PERKINS LIBRARY

Duke University

Rare Books

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS NONUS.

Bottari, G.G. ed

FLORENTIÆ. M.DCC.XXII.
Typis Regiæ Celsitudinis, apud Joannem Cajetanum Tartinium, & Sanctem Franchium.

Superioribus permittentibus.

CATALOGUS
ITALORUM POETARUM
Tomi Noni.

E
RBR
B751C
V. 9

S

Sala Diomedes. pag. 397.
Salentinus Majoranus. 398.
Sarrinus Eusebius. 398.
Scaliger Joseph. 453.
Scaphenatius Joannes Baptista. 1.
Scardantes Palmerius. 479.
Segnius Fabius. 6.
Sejanus Pecinus. 29.
Seneca Thomas. 39.
Sentinus Jacobus. 40.
Seronus Antonius. 480.
Sfondratus Franciscus. 42.

Sfor-

376492

Sfortia Fabius. *pag.* 73.
Siccus Nicolaus. 480.
Siculus Baptista. 74.
Silvius Michaël. 75.
Spagnolus Baptista. 76.
Spinellus. 498.
Spinius Gerardus. 498.
Spinula Publius. 93.
Spiriteus Prosperus. 499.
Stoa Jo: Franciscus Quintianus. 500.
Sossagius Benedictus. 503.
Strozza Titus. 97.
Strozza Hercules. 175.
Strozza Vespasianus. 504.
Strozza Nicolaus. 505.
Superchius Valerius. 209.
Suspirius Simon Angelus. 521.

T

T*aninus Hieronymus.* *pag.* 522.
Tassus Torquatus. 210.
Tassus Nicolaus. 525.
Taurellus Lælius. 211.
Taurellus Jacobus. 525.
Taygetus Joannes Angelus. 211.
Taygetus Joannes Antonius. 212.
Tebaldeus Antonius. 239.
Theanus Bartholomæus. 527.
Theseus Janus. 246.

Thien-

Thiennæus Hieronymus. pag. 531.
Thomaſius Franciſcus. 538.
Thomitanus Bernardinus. 248. & 540.
Thyleſius Antonius. 248.
Tiphernas Gregorius. 264.
Titus Robertus. 268.
Tolomeus Claudius. 272.
Tomitanus Donatus. 539.
Tonſus Joannes. 273.
Toſcanus Joannes Matthæus. 283.
Triſſinus Gaſpar. 588.
Tritonius Marcus Antonius. 389.
Trombeta Sebaſtianus. 390.
Tuccius Julius Aſcanius. 392.
Turcus Joannes Antonius. 393.

CAR.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

JO: BAPT.TÆ SCAPHENATII
MEDIOLANENSIS.

PANI.

EN tibi, paſtorum tutel, ſaluſque, Charicles,
  Fundit nectareo pocula plena mero:
Ecce novo fundit ſpumantia cymbia lacte,
  Votaque ſuſcipiens terque, quaterque rogat:
Non ut prata gregi cythiſum vernantia dulcem
  Sufficiant, vitreas fonſque perennis aquas:
Aut, ut oves aries, & capras augeat hircus,
  Quæ niveos ferus, vellera cana ferant:
Sed tandem ut doctos numeros moduletur avena;
  Molliat & Pholoës pectora dura ſuæ.

376492

Heu, heu, non illam mage dona, precesve Chariclis,
  Quam lenes Zephyri, saxa Sicana movent.
Heu, non Æthnæo minus æstuat igne Charicles;
  Caucaseâ glacie non minus illa riget.
At tu quod superest facilem concede cicutam
  Pastori, & curis carmina digna suis:
Qualia vel Damon vel concinit Alphesibœus;
  Hunc dum Nisæ, illum Daphnidis urit amor.
Nisa suum sequitur jam sponte & Daphnis amantem,
  Mænala cum placido complet uterque sono.
Quid mirum? adcurrit, comitatur & ipsa canentes
  Aëriis nutans silva cacuminibus.
Attonitæ pecudes adsunt, tacitæque volucres:
  Et sistunt liquidum flumina muta pedem.
O fortunati, quorum tot sæcla vigere
  Tam celebres flammas fistula sacra dedit.
Vivent, dum viridis formosa juvenca Lycæi
  Gramina, dum casiam sedula amabit apis.
Me vero assiduo dolor ingens conficit, ut vix
  Ora levi, & digitos admoveam calamo;
Quem dum pallidulis pertento inflare labellis,
  Vox inter primos deficit ipsa modos.
Tu, qui pastorum servas armenta, gregesque,
  Pastorem serva, Pan, rogo magne tuum:
Pastorisque simul, simul & miserescere amantis:
  Pana decet, notum est & tibi, quid sit amor.
Testantur scopuli tecum Syringa vocantes,
  Cum fugeret rapidis ocyor illa Notis.
Quid fugis, ah demens? te non aper horridus urget,
  Non rabido sequitur te ferus ore leo:
Sed Deus Arcadiæ, Venerem qui exurere posset,
  Fronteque purpureâ, purpureisque genis.
Amplexus cupit ille tuos, te deperit unam,
  Conjugiique orat vincula sola tui.
Ah, virgo infelix, nisi mens tibi læva fuisset,
  Nunc pulchrarum ageres pulchra choros Dryadum;
Nunc tibi quisque humiles certatim poneret aras;
  Jamque fores nobis altera sancta Pales.

At contra invisi cuicumque obnoxia vento,
  Fluminis ad ripas frigida canna tremis.
Hîc ubi præteritam quasi suspirare videris
  Duritiem, & querulos mœsta referre sonos.
Ah, virgo infelix, tene hoc tam triste manebat
  Exitium? has pœnas te soluisse decet?
Parcite crudeles Eurique Notique: quiescat
  Tandem hæc; sat cursu est languida facta suo.
Tu quoque piscator, venator & impie, tuque
  Impie vitisator, ne miseram lacera,
Ne miseram lacera: nunc est fluvialis arundo:
  At modo, si nescis, candida Nympha fuit.
Nuncque aliquis sensus superest quoque forsitan illi;
  Ut sine fine queat tot superesse malis.
Linque sacro hanc Pani, ut proprios soletur amores,
  Et nemora, & montes mulceat arte novâ.
Ipsa etiam digitis tractari gaudet amantis:
  Mitior ipsa Dei jam minus ora fugit.
Aspera sic illam quondam sua fata trahebant:
  Hei mihi me mea nunc asperiora trahunt:
In fluvium lacrimans vertor, qui mox Erymanthi
  Ladonisque vagas exuperabit aquas.
Utraque sors gravis: at mea sane indignior: illa
  Sævitiæ pœnas soluit: amoris ego.

De Thisbe, & Pyramo.

Certa sequi extinctum crudeli vulnere amantem,
  Vix Thisbe hos potuit promere voce sonos.
Si moriendum ambobus erat, saltem occubuissem
  Ipsa prior, gemino ne caderem interitu!
Altera sed merito non sunt tibi fata ferenda:
  Altera sunt merito fata ferenda mihi!

De Narcisso.

Ardebat proprii Narcissus imagine vultus,
  Fontis & ad ripas hæc moriturus ait:

Forma in amore juvat: extinguitur ignis in undâ.
  Me miſerum, noſtri eſt utraque cauſſa mali.

De Procri, & Cephalo.

Æolidæ cónjux, dirâ illius icta ſagitta
  Concidit, & moriens talia viſa loqui:
Me vanus fortaſſe timor; te vana fefellit
  Spes una, erroris damna utriuſque fero.
Adſpice: non ego ſum latitans fera: ſum tua Procris.
  At tu dic Auræ ſis, Cephale, anne meus?

De Leandro, & Ero.

Ardentem in celsâ ſimul ardens turre Leander
  E reſono lychnum littore vidit amans;
Inſani timuit primum aſpera murmura ponti;
  Forti mox fortes excitat ore animos:
Et gravis eſt certe fluctus gravis æquoris atri;
  Sed gravior ſævi eſt fluctus Amoris, ait
Anne ſacros cupiant ulla æquora perdere amantes,
  Quæ ſervantem ipſos progenuere Deam?
Sed cupiant: noſtro non unda potentior igne eſt.
  Hæc ſiccare undas vel mea flamma poteſt.

De eadem ſe præcipitante.

Fluctibus exanimem ſimul obtritumque Leandrum
  Ut vidit medio Seſta puella freto:
Hos lacrimis queſtus miſtos effudit inanes,
  Dilaniata comas, dilaniata genas:
Tunc igitur noſtræ vitæ unica cauſſa fuiſti?
  Unica ſed mortis cauſſa fui ipſa tuæ?
Heu ſcelus! at veniam mox ſaltem ad te, optime conjux,
  Quando tuum nobis fata negant reditum.
Cumque tibi haud fluctus fas exſuperaſſe marinos,
  Jam tecum Stygios exſuperabo lacus.

Ad Alcippen.

Hos tibi caſeolos, hæc nunc tibi roſcida pruna
Immodici ardoris pignora parva damus.
At totus, ſi te munuſcula noſtra juvabunt.
Hortulus, Alcippe, grexque erit uſque tuus.

Ad Chryſillam.

Quid Zephyro, Chryſilla, tuum fugis ocyor Idam?
Si mihi dura negas parcere; parce tibi.
Heu, heu, ne fuſos rami per colla capillos;
Ne lædant teneros aſpera ſaxa pedes.
Sed majora etiam, mea cura, pericla timentur.
Nam ſeu fors, Paphiæ ſeu tulit ira Deæ,
Olim dum proprium fugit altera, & altera amantem:
Fit rigida hæc arbor; fit levis hæc calamus.

In ſtatuam Arionis, ex Græco.

Hæc ſimulacra tibi poſuit Periander, Arion;
Delphino hæc qui te per vada ſalſa tulit.
Et factum admirans exclamat protinus: ergo
Nos ſervant piſces, nos perimunt homines?

In Niobes ſtatuam ex Græco.

Adſpice quam vere Niobes lacrimetur imago
Saxea, natorum triſtia fata dolens.
Spirantem adſpiceres etiam; ſed denegat illi
Ars animam: ſimilis marmoreæ eſt Niobi.

FABII SEGNII

FLORENTINI.

In obitu Cosmi Medices Magn. Etrur. Ducis.

PRo myrto, & violis crines tegat atra cupressus,
  Invictumque gemas inclita Flora Ducem.
Arne Pater lacrimisque tuis nunc unda tumescat,
  Nil nisi singultus, luctus & urbe sonet.

Ejusdem.

Extinctum ut magnum conspexit Hetruria Cosmum,
  Procubuit, lacrimis flebilis ora rigans.
Quas in narcissos confestim, & lilia versas
  Legerunt manibus Virgineis Charites.
Floribus his tumulum certatim & Principis alti
  Quælibet illarum spargere nixa fuit.

De Rure suo Septimiano.

Sunt mihi Septimii collis radicibus imis
  Rure suburbano jugera pauca soli:
Fertilis est Cereris flavæ: atque uberrima Baccho
  Tellus: est oleæ Palladiæque ferax.
Arborei fœtus nullis felicius arvis
  Proveniunt: agro est tantus honor proprius.

 Vil-

Villa ibi regali consurgit splendida cultu.
  Pauperiemque meam non decet illa domus.
Porticus erigitur sublimibus alta columnis,
  Prospiciens Floræ mœnia celsa meæ.
Hæc instar speculæ villas supereminet omnes.
  Hinc licet urbanas enumerare domos.
Non gelido est Boreæ, non ulli pervia vento.
  Ver ibi, cum glacie flumina frenat hiems.
Sole tepet semper, Septemque aversa Trioni
  Apricis statio est non male grata viris.
Hujus in ingressu primo, qua dextera tendit,
  Egregium miræ cernitur artis opus.
Aerea nam ferri compages retia fulcit,
  Vulcani dicas quæ fabricata manu.
Ingens hæc cavea est, & aves clauduntur in ista
  Innumeræ, forma, dissimilesque sono.
Hic niveas Turtur superans candore columbas
  Ingemit, hanc Italis Africa misit avem.
Junonis volucris contextas purpura, & auro
  Adverso pennas Sole micante rotat.
Argolicos ante heroas non cognitus ales
  Spectatur, nunc a Phaside nomen habet.
Dulciter ore queri Philomelam audire licebit.
  Dumque canit, volucrum cetera turba silet.
Mixta ibi conspicitur suaves effundere odores
  Idaliæ myrto laurus Apollinea,
Et paries latè vestitur vitibus albis.
  Hinc hederæ pallent, arbutus inde rubet.
Quinetiam in formam colles velut amphitheatri
  Undique conjungi porticus ampla videt.
Tantum Apennini decurrens vertice summo
  Permedium gelidis labitur Arnus aquis.
Qui salice intectus, glaucos, & arundine crines,
  Amne fluens leni Florea culta rigat.
Assidua & mulcens humentem aspergine barbam
  Optatam lætus gaudet adesse diem.
Namque sinu quondam dum conditur Amphitrites,
  Undisoni ingrediens humida regna maris,

Protinus assurgens sese tulit obvius illi
  Neptunus, tales & dedit ore sonos.
Hesperiæ regnator aquæ salve. urbis Hetruscæ
  Ardua qui vitreo mœnia rore secas.
O terræ, & cœlo gratissime corniger Arne,
  Ante alios amnes gratior Oceano.
Alme pater veniet sæclis labentibus ævum,
  Quo resonet toto nomen in orbe tuum.
Quo Ganges, Euphratesque, & septem hostia Nili
  Et tua Danubius numina sola colent.
Quod tibi jam solitus Tibris jactare triumphos
  Concedet, ductos ad sacra templa Deûm.
Signa ego certa canam (tu condita mente repones)
  Fatorum arcanas & reserabo fores.
Cum magnum cernet primo sub flore juventæ,
  Heroem, & clarum Thuscia læta ducem.
Scilicet & Divûm genitus de sanguine Cosmus
  Jura dabit Thuscis, imperioque reget.
Quem Jovis ætherii volucris sacra proteget alis,
  Cui dabit expertem semper & esse metus:
O tunc felicem te, o terque quaterque beatum.
  Italiæ priscus tunc remeabit honor.
Quæque diu latuit terris pax alma redibit.
  Incorrupta fides, justitiæque soror.
Splendebit gemmis, auro flavescet arena.
  Purior argento tunc fluet unda tibi.
Vix hæc ediderat, cum circumfunditur Arno
  Nereidum applaudens per vada salsa chorus.
Cœruleus saltat Phorcus, luditque Palæmon.
  Tritones conchis insonuere cavis
Attolluntque humeris Arnum, stipantque frequentes:
  Faustaque mirantes omnia voce canunt.
Ille animo olim conceptos, nunc sentit honores
  Præsens: & mentem gaudia blanda movent.
Sed quid ego a primo digressus limite, longè
  Evagor? inceptum iam peragamus iter.
Alta domus geminis hic atque hinc cingitur hortis;
  Alcinoum tales non habuisse ferunt.

Hespe-

Hesperidum sileant halantes floribus horti.
  Atque alii: vatum quos celebravit honor.
Medorum late fragrant felicia mala.
  Consitus his primum est Parthenopæus ager.
Floribus argentum: aurum pomis: fronde smaragdos
  Hæc arbor superat, perpetuoque viret.
Punica virgineo cernes suffusa rubore
  Mala: Cydon pallent quæ generosa tulit.
Pomaque Luculli rutilant invecta triumpho:
  Barbaricam postquam contudit ille manum.
Undique pampineæ texunt umbracula vites;
  Pubentes Zephyri mulcet, & aura rosas.
Nigræ sublucent violæ: lætatur Acanthus,
  Narcissus spirat: flosque Hiacynthe tuus.
Miscet odoratis peregrinas hortus & herbas,
  Quæque etiam prosunt arte Machaonia.
Hic & apes libant parcæ violaria, rorem
  Floribus inspersum nectareumque legunt.
Quid nemus umbrosum memorem: quippe altera tempe,
  Quo numquam radiis Phœbus adire potest?
Horrent juniperi: lucum frondosaque opacat
  Ulmus: & a summo quercus amata Jove.
Auriti lepores ibi, capreolique fugaces
  Gramineo carpunt arbuta fusa solo.
Ducere qui molles invitat lumina somnos
  Obstrepit, & dulci murmure rivus aquæ.
Hanc olim sedem coluit Mirandula Picus:
  Picus: cui similem sæcula nulla ferent.
Hanc colis, & Delo contempta Phœbe: novemque
  Posthabito resident hic Helicone Deæ.
Sint (precor) ista meæ sedes, requiesque senectæ:
  Hæc colui juvenis rura, colamque senex.
Hinc fastus procul omnis abest, & dira Cupido,
  Et lucri studium candida mens refugit.
Non Arabas molles: non Indos visere fuscos,
  Non cupio Scythicæ noscere regna plagæ.
Pauperiem indocilis tolerare hæc viderit alter:
  Cui fervet turpi pectus avaritia.

Pro-

Profpera non lætum, non reddunt ardua mœftum.
  Æqua fortunam pondero utramque manu.
Quin, ubi tartareis in nos excita tenebris
  Mors ruet, & terras linquere fata volent,
Non tumulus furgat maculufo ftructus ophite,
  Nec de Tænario marmore confpicuus.
Sit procul hinc longus pompæ funebris & ordo,
  Contineat cinerem fictilis urna meum.
Et caream lacrimis, abfit querimonia triftis,
  Flebilibufque abfit nænia mixta modis.
Hocque aliquis rude fignet nobis carmine faxum
  Paftor diffundens lilia utraque manu.
Qui cecinit filvas, & aprici ruris bonores,
  Etrufcum vatem florea ferta tegunt.

De quodam Fonte Infigni ruris Septin .

O Fons Septimiæ delitiæ plagæ,
Vitro fplendidior, nectare dulcior
Undis, qui glacie frigidior foves
Artus Naiadum fub cane torrido.
O fons Pindarico carmine dignior
Salve: tu Dryadum femper agis choros.
Tu femper Satyris capripedes Deos
Mixtos, in numerum ludere confpicis.
Nam, quæ dulcifono murmure perftrepit
Alto defiliens lympha fugax fpecu,
Nymphas Fefuleas allicit undique,
Ut molles ineant Pampineis thoris
Somnos, atque monet, dum viridantia
Spirant purpureis gramina floribus,
Pallentes violæ, mollis amaracus,
Pubentefque rofæ, candida lilia,
Et flores alii, vere Favonius
Quîs pingit variis prata coloribus.
Occultant volucres arborea coma
Sylvæ, dum querulæ carmina concinunt.
Nympharum chorus huc advolat omnis, &

Binis

Binis Euphrosyne juncta sororibus,
Quæ suaves citharas, & Berecynthiæ
Matri grata Deum flamina tibiæ
Dum pulsant, vitrei respiciunt vada
Arni, tunc placido sic modulamine,
Divinisque movent sidera vocibus.
Thuscorum fluvius corniger amnium
Regnator, superis grate Deis, tuum
Quis digne valeat tollere laudibus
Nomen? nam Tibridis Arne pater decus
Fraternum superas, qui Capitolio
Regum ducta videns colla minantium
Olim, læticia dissiluit fremens.
Urbis namque tuæ mœnia Floreæ
Ornat cœlicolis progenitus Deis,
Spes fida Italiæ, lux & Hetruriæ
Cosmus, præsidiumque, ac decus inclitum.
Hunc heroa suis accumulant sacris
Pallas muneribus, Juppiter, & Venus.
Phœbus luce diem siderea regens
Dici percuperet Cosme parens tuus.

De Obitu Joannis Medicis, & Aloysii Gonzagæ.

Quis Janum Medicen fortis Etruriæ
Præclaram sobolem, lumen & alterum,
Quis digno celebret carmine, Mincii
Quod ripis rittuit vagi,
Ambos Marte satos, fulmina bellica
Ambos terribili, & fundere prœlio
Hostiles acies, signaque barbara
Invicta solitos manu?
Non si Pindaricis fontibus effluens
Gurges, sitque mihi barbitos aurea,
Illustres animas tollere laudibus
Heroum meritis queam.
Nec si Cerbereis Mæonides vadis

Excitus, geminos concineret duces,
Immortale viris ponere præmium
Digna ſufficeret tuba.
Hi ſoli auſpiciis Italiam ſuis
Antiquis poterant reddere honoribus,
Deſuetaſque diu ducere ab hoſtibus
Raptas exuvias feris.
Sed non Auſoniæ funditus excidit
Spes: en purpureo ſtemmate verticem
Accinctus juvenis, mœnia Romuli
Aſpectu exhilarat ſuo.
Quo flavi Tiberis lætitia fremunt,
Exultant & aquæ, murmureque obſtrepunt
Septem nobilium culmina montium,
Audire & videor preces.
Quîs nomen celebrant Hippolyti ſacrum.
O Sol, qui roſeo lumine diſcutis
Avertens tenebras, atraque nubila
Urbis Romulidum fugas,
Da ſemper vireant frondibus ut comæ
Nobis alme pater, da Capitolio,
Ut regum laqueis colla minacium
(Ut quondam) premat æreis.
Sic, quæ clara micat ſtella comantibus
Illuſtrans radiis ætheriam plagam,
Fulgorem rutilum miſceat, & jubar,
Nobis ut niteas magis.

De Cerasis.

Poſtquam barbaricos contudit impetus,
Hoſtilem & rabiem, ſanguine Pontica
Tinxit Romulidum ductor & æquora
Lucullus patriæ decus,
Lætanti rediens agmine militum.
Plantam Romuleis gentibus intulit,
Quæ numquam Latio conſita ſub polo,
Aut oris fuit Italûm.

Inſi-

Insignem decorat candidus arborem
  Flos, qui purpureis poma coloribus
  Primo progenerat vere rubentia,
  Ut gemmas maris Indici,
Ostendit niveam præcipuus meam,
  Candorque eximius non dubiam fidem,
  Urit sed facibus pectora torridis
  Pomum puniceis genis.

Ad Cupidinem.

Dignus es nullo puer, o triumpho,
  Qui meum telis pharetratus urges
  Ictibus sævis fodiens inique
      Pectus inerme;
Fulgido armorum validam decore.
  Impiam cur non laceras Neæram?
  Hinc tibi clarum paries trophæum,
      Exuviasque.
Nam meos cerva levior fugaci
  Fervidos ignes, tacite medullas
  Tabe qui dira penetrant, tuosque
      Diffugit arcus.

In obitum Aloysii Gonzagæ.

Heu heu luctisona præcipe tibia,
  Cantus Melpomene dic age lugubres,
  Heu nunc funereum flebiliter melos
  Ferali cane barbito.
Et crines cyparissus sacra manibus
  Velet, purpureis & fluat in genis
  Humor, conveniunt quippe sororibus
  Tristes nunc lacrimæ tuis.
Ergo perpetuus luminibus sopor
  Irrepens tacite, membraque vinciens
  Urget magnanimum [proh scelus, & nefas]
  Gonzagam superis parem?

Quo

Quo nil sidereo Phœbus ab æthere
In terris melius viderat, aut magis
Acri conspicuum militia ducem,
Ut Martis sobolem decet
Cui bello intrepidâ, moreque fulminis
Votum barbaricas sternere dexterâ
Gentes, Hesperiæ & pellere finibus
Ardens matris ab ubere,
Æternumque fuit. Quod nisi candida
Herois triplices sanguineis Deæ
Rupissent manibus stamina regii,
Ni mors atra peremerit,
Non prædator Iberus, neque Theutones,
Urbes Ausoniæ scindere funditus
Tentarent facibus, cladeque perdere
Romanos cineres ferâ.
Non hæc numinibus proveniunt sine
Divûm, raucisoni qui pelagi minas,
Terras, astra, polum; nigraque Tartara,
Nutu, fronteque temperant.
Ut Flos (alma manu quem genuit sua
Natura, advolitant florida candidi,
Cumque ornant Zephyri rura, coloribus
Pingentes variis humum]
Quo pollet nitido cespite pulchrius,
Et quo purpurea luce serenius,
Hoc dira citius tabe celerrimo
Languescit moriens gradu.
Sic quicumque vias arripit arduæ
Virtutis melius, clarius & micat;
Hunc mors Tartareis ocyus irruens
Demergit tenebris atrox.
Sed quo Musa procax me rapidum vehis?
Non cymbæ Oceanum fluctibus asperum:
Nec tractus volucres aërios vagæ
Formosæ Veneris secent.

Ad Benedictum Accoltum Card.

Quæ nobis hilari lumine ſidera
Riſerunt? Veneris an fuit aureæ
Hoc? an terribili fulmina dextera
Patris qui rotat ignea?
Ut te nectareum pectore cernerem
Promentem eloquium mellifluis notis,
Audiremque ſacro verba ſilentio
Nil mortale ſonantia.
Illa & candidior, lætior & dies,
Natalique mihi luce beatior
Affulſit, memori funereum ad rogum,
Cum mors membra reſolverit,
Quo primum placidas hauſimus auribus
Voces; tunc animo protinus agmina
Noſtro diſcutis, & ſollicitudinum
Fluctus, ceu Boreas ſolet.
Accolte, horriſono nubila flamine
Confeſtim aëriis pellere ſedibus.
O quæ læta mihi cordis in intimo
Jam ſpes concipitur ſinu.
Quod ni noſtra ſopor lumina ferreus
Condat, ni Stygis ante diem vadis
Nos mergat Lacheſis, ſtamina rumpere
Pernix; quam cupiam tuum
Nomen perpetuis tollere laudibus,
Et trans ſidereas arduus eveham
Nubes, tranſque volans aſtra micantia,
Ut ſummi Jovis armiger.

Ad Antonium Allegrettum.

Apenninigenæ fluminis accolas
Inter, præcipuum Caſtalidum decus
Antoni, celebris gloria Thuſciæ,
Quo non conſpicuum terra videt magis

Aſtrum.

Aſtrum, o pars animæ, o læta quies meæ.
Tu ſeptem dominæ culmina montium
Urbis, quæ populos compede vinxerat
Olim, nunc tenebris, pulvereque obſitæ
Spectas, attonita mente vicem dolens,
Et flavum Tiberim, ſanguine barbara
Nuper purpureum quem manus impia
Reddens, Romulidum mœnia diruit:
Quod cernens facinus littoribus ſuis
Indignum, lacrimis Oceanum Thetis
Implevit, miſeris & querimoniis.
Nec luctu abſtinuit Nereidum chorus.
Me rus umbriferis collibus, & nemus
Invitant gelidum valle recondita,
Me laſſum reficit ruris amœnitas,
Et curis animum ſolvere triſtibus
Cogit, quem nimium tela Cupidinis
Sævis dilacerant ictibus effera.
Hic ſuccincta comas, & Zephyro caput
Ingens obiiciens molliter obſtrepit
Pinus, nec platanus ſiderei canis
Umbroſis rabiem pellere frondibus
Ceſſat, perpetuo mixta ſimul viret,
Et dilecta Deo laurea Pythio,
Myrtuſque Idaliæ grata maris Deæ.
Hic dulci nitidis murmure fontibus
Manans gramineos rivus aquæ thoros,
Aſpectu recreans lumina, perfluit.
Nec ſuavi requiem dant modulamine
Depictæ variis colla coloribus
In ſilvis volucres dulcia conqueri.
His in deliciis otia conteram,
Quærens egregiæ Palladis artibus
Altum ſideribus tollere verticem.
Nec triſtis metuam tempora pallidæ
Mortis, nec cupiam: ſic placitum Deis.

De

De Neæra.

Molliter greſſus movet ut Neæra,
Tangit & prati viridantis herbam,
Candidi ſpirat Zephyri repente
Dulciter aura.
Protinus flores, violaſque tellus
Suggerit, quamvis hiemis procellæ
Sæviant latè pelago minantes
Turbine diro.
Hæc foret Sapphûs modulanda plectro.
Hæc foret Flacci fidibus canenda,
Hæc foret vati celebranda Thuſco
Carmine ſacro,
Qui modos, cycnus veluti, canoros
Fudit ad ripas Araris virentes,
Dum ſuos ludens teneros puellæ
Deflet amores.
Hæret heu menti nimium, ſerenæ
Splendidum frontis jubar, & renidens
Purpura in labris, hebenuſque crine.
Marmor & ore,

De Jaſmine Puella in Florem.

Candida tabuerant Jaſmines ora puellæ,
Preſſerat æternus lumina clara ſopor.
Jam face funerea niveos invaſerat artus,
Et dabat horribiles impia flamma ſonos.
Ætherio tum forte ſedens Venus aurea nimbo,
Dum ſpectat facinus, talibus orſa loqui.
Divina heu poterunt tam dira incendia membra
Carpere? Jaſmines immemor orbis erit?
Vix ea dicta dedit, flammæ cum protinus omnes
Ardentemque ignes deſeruere rogum.
Ceſpite prorupit tunc flos argenteus atro,
Triſti ne careant hæc monumenta nota.

Virginis & nomen flori, candorque remanſit,
Lilia cui cedunt, alba liguſtra, nives.

De Amore favos Mellis furante, ex Græco.

Dum ſtudio raperet puerili forte Cupido
Mella, manum ſæva cuſpide læſit apis.
Senſit, & indoluit, Venerique ait aſpice mater
Quam parva eſt cuſpis, vulnera quanta facit.
Cui Venus arridens inſpecto vulnere dixit.
At tu parve puer vulnera quanta facis?

Ad Coſmum Med. Flor. & Senen. Ducem.

Inſignis quamvis pietate, inſignis & armis
Ediderit genitor fortia facta tuus,
Hoc opus, hoc unum late tamen omnia vincit.
Quod tuus extiterit maxime Coſme parens.

De M. Angelo Bonarroto Sculptore.

Dum ſpectat Macedum regem, quem Grajus Apelles
Pinxerat, admirans Juppiter obſtupuit.
Mortaleſque (ait) pingat, ſed Etruſcus Apelles
Me, dignus ſolum pingere quippe Jovem.

Ad Juliam Romanam.

Barbarus irruerat Romanam miles in urbem,
Martiaque horribili cæde madebat humus.
Ædibus in patriis, parviſque penatibus, ingens
Gloria Romulidum Julia gentis erat.
Quæ, ſimul irrupit mediis penetralibus hoſtis,
Virgineo vidit proque pudore peti.
An mortem verear (inquit) præferre pudori?
Nonne pudicitiæ morte luendus honor?
Dixit, fulmineoque arrepto protinus enſe
Marmorea rupit pectora caſta manu.

Vives in toto ſemper memorabilis orbe
  Julia, non Latium nomina tanta capit.

De Neptuno Picto a Vincio.

Pinxit Virgilius Neptunum, pinxit Homerus,
  Dum maris undiſoni per vada flectit equos.
Mente quidem vates illum conſpexit uterque,
  Vincius aſt oculis, jureque vincit eos.

Ad Coſmum Med. Flor. & Senen. Ducem.

Cum primum terris ceu ſydus Coſme ſalubre
  Te caſto genitrix edidit ex utero,
Exceptum gremio Charites fovere, tibique
  Perfudit ſacro membra liquore Venus.
Porrexere ſimul Virtus, Fortunaque dextram,
  Scilicet ut gemino numine tutus eas.
Defuerat tantum Mavors, & bellicus ardor:
  Perſtitit hoc alter Mars tibi Coſme pater.

De Paulo Jovio Hiſtoriographo.

Si cupis Eoæ motus, & prœlia gentis
  Noſcere, & occiduæ fortia facta plagæ,
Si gelida exoptas fuerint quæ geſta ſub Arcto,
  Scire, ſub humenti ductaque bella Noto,
Perlegito Jovium, Jovio nam regnat in uno
  Hiſtoriæ integritas, candor & eloquii.

Ad Ferdinandum Gonzagam.

Invictam bello dextram Germania ſenſit.
  Senſerunt vires Celtica regna tuas.
Iſter, & Eridanus tremuerunt te duce, quorum
  Hic Gallo, hic Scythico ſanguine tinxit aquas.
Inter ſe magnos componere fœdere reges,
  Orbem majus opus quam domuiſſe fuit.

De Filio Cosini Med. Flor. & Senen. Ducis.

Ut soboles tantis est digna parentibus orta,
  Juppiter hæc prompsit pectore verba sacro.
In mare nunc auro flaventes Arnus arenas
  Volvat, & argento purior unda fluat.
Clarius & niteat Sol terris, candida cælo
  Splendidius Phœbe, ceteraque astra micent.

Ad Dominicum Gherardum.

Rontinus noster Thuscam remeavit in urbem,
Rontinus medicis, quadrigis prænitet albis.
Rontino patre non est Phœbo gratior ullus.
Ille etenim vera, doctaque Machaonis arte,
Scriptorum spretis longis ambagibus, Orco
Mortales, tenebrisque infernis liberat; utque
Nunc alios sileam, me quondam cum igneus ardor,
Lentaque paulatim tabes consumeret artus,
Atque alis circumstreperet mors frigida fuscis,
Eripuit [fateor] letho, & pallentibus umbris
Excitum, dulcis vitæ revocavit in auras.
Indulgere igitur Genio juvat, & dare plausus.
Tali quippe viro furere est mihi dulce recepto.
Gaudia ne differ, reditu sed lætus amici
Communis, roseos cum primum Aurora jugales
Ostendet terris, rus nostrum, nosque revise.

Ad Hippolytum Med. Card.

Romanæ Princeps gentis, sanctique senatus,
  Auspiciis facta est Roma beata tuis.
Te duce desuetas cernent Capitolia pompas,
  Squallentem ponent Martia tecta situm.
Aspice lætatur, tellus, mare, sidera cœli,
  Aurea Saturni sæcula nam redeunt.

Ad Eumdem.

Enitet auricomo diffulgens vertice ſydus.
Quo non ſplendidius lumen in orbe micat.
Non rapit huic nitidam, reliquis, ut Phœbus ab axe
Lucem, ſed dubium eſt an capit inde ſuam.

De Eodem.

Viderat Hippolytum dum ſævos tendit in hoſtes
Aurea Mavortem quem Venus eſſe rata,
Hæc ſecum: ah pereat quicumque horrentia bella,
Diraque ſanguinea repperit arma manu.
Fulgenteſne oculos nitidum ceu ſydus olympi;
Oraque Threicia candidiora nive
Barbarus abſcondet nobis Germanus, & Iſter?
Heu potero tantæ tædia ferre moræ?
Sed quia non pariunt cœleſtes otia palmas,
Nec laus, aut virtus provenit inde; feram.

De Victoria Fulmine Tacta ex Græco Epigrammate Pompeii Magni.

Fulmine disjectas quod habet Victoria pennas,
Quæ Tyberim impendens deſpicit arce ſuper.
Roma metu parcas, placidi hæc ſunt ſigna tonantis.
Ne poſſit volucres inde movere gradus.

De eadem.

Amiſſis numquam poterit Victoria pennis
Septenas arces linquere Roma tuas.

Ad Benedictum Accoltum Card.

Divini Accolto ſoli debentur honores.
Accolti volitet fama per ora virûm.

Accepta Italiam nam ſolus clade labantem
  Auxilio firmat, militibuſque juvat.
Quin patriæ officio certans prior, indicat heros
  Et conſanguineis mentem, animumque pium.

De quodam Fonte Montis Pyrenæi.

Aſpicite, ut vitreus labatur murmure blando
  Fons, & inexhauſto gurgite manet aqua.
Hanc ſi paſtores, ſi turbavere bobulci
  Sordibus injectis, protinus illa fugit.
Nimirum ſordes nymphis; quas alta Pirene.
  Educat inviſas, Virginibuſque patet.

Ad Paulum Jovium Hiſtoriographum.

Divinis ut quondam herbis Diana pudicum
  Eripuit Stygiis fluctibus Hippolytum.
Sic tenebris gentes, pallentique eripis Orco
  Hiſtoriæ claro lumine Paule tuæ.
Ergo tibi Divûm merito largitur honores
  Orbis adhuc vivo funera præveniens.

De Tyberi inundante.

Spectabat vaſto ſpumantem gurgite Tybrin
  Neptunus, tales cum dedit ore ſonos.
Heu fama, & geſtis Tybris ſuperaverat olim
  Nos, at nunc tumidis vincere tentat aquis.

De Daphnide quodam.

Viderat ætherii Daphnin regnator Olympi.
  Hæſerat in puero, mens animuſque Dei,
Mirantem ſpectans Phœbus, pater optime (dixit)
  Dignior extiterat hic Ganymede rapi.
Talia cui genitor demiſit pectore: Daphne
  Dignior hic Daphnis quem ſequereris erat.

De

De Cynthia.

Forte Jovis luco Dryadum comitante caterva
  Pulchra vagabatur Cynthia dulce canens.
Flos varios inter flores, violasque ligustri
  Spirabat mollis, candidiorque nive.
Hunc carpsit pastor, qui forte adstabat, & (inquit)
  Hoc quoque digneris nectere virgo comas.
Pollice virgineo contacto, purpura florem
  Infecit, fugit qui fuit ante color.
In promptu causa est: nam florem protinus illum
  Divino tinxit sparsus ab ore rubor.

Ad Alexandrum Farnesiam Cardinalem.

Aspice ut obscura septem caligine colles
  Involvat nubes Martia Roma tuos.
Aspice demissis labatur Tybris ut undis,
  Nerea nec tumido gurgite, ut ante, petat.
Diffugient nubes, Tyberi reddentur honores
  Pristini, Alexandro qui periere duce.

Ad Hispaniam de Andrea Angulio.

Quid tot bellatrix, tantosque Hispania jactas
  Illustres armis, egregiosque viros?
Angulium eloquio potius mirare tonantem.
  Tantorum hic instar solus alumnus erit.

Epitaphium Bartholomæi Rontini Medici.

Arte Machaonia mortalia fata morantem
  Rontinum terris abstulit atra dies.
Nunc sævam licet, & mitem te Parca vocare:
  Hoc opus, hoc solum nomen utrumque decet.
Sævam: namque orbi diffulgens eripis astrum.
  Mitem: nam reddis, venerat unde, polo.

Ad Paulum Jovium Historiographum Pisis morantem.

Oceani veluti cum Sol defertur in undas,
  Nox tenebris terram, velat & atra polum.
Sic, ubi digrederis, tecum lux alma recedit,
  Flora gemit, lacrimis auget, & Arnus aquas.
Ergo, quam præsens concedis, tollis & absens,
  Jam nobis redeat te redeunte salus.

De Lodovico Ariosto.

Cecropios inter (ceu sydus) fulget Homerus.
  Non illi invenit Græcia prisca parem.
Vergilium Roma admirata est, quamque Maronis
  Non alia dixit bella canenda tuba.
Hujus candori vatis nunc cedit uterque,
  Sitque suo judex Græcia: Roma suo.

De Oculis Neæræ.

Dum nemora, & saltus omnes Venus alma peragrat
  Quærens parvus ubi delituisset Amor,
Replebat mœstis terras, atque astra querelis:
  Cernere erat lacrimis ora rigare Deam.
Spes ubi nulla fuit, latitantem protinus illum
  Luminibus vidit, diva Neæra, tuis.
Tunc ait, Idalium valeat, valeantque Cythera,
  O nate, hic sedes nostra perennis erit.

Ad Petrum Ang. Bargæum.

Ut stetit Idaliis errans Venus aurea campis
  [Ridet enim ante alias hæc plaga cara Deæ]
Illius adglomerant lateri mille undique Amores,
  Musarumque sacer, Naïadumque chorus.
Perpetuusque comes Divæ tum luvere cœpit,
  Et viridem Zephyrus pingere dulcis humum.

Spectantur passim in pratis molles hyacinthi, &
 Candida purpureis lilia mixta rosis.
Tunc Venus accitis Euterpe, Calliopeque,
 Floribus accumulans vestis utrique sinus,
Ite (ait) his Thuscum violis ornate poëtam,
 Et manibus plenis florea serta date.

Ad Cosmum Med. Flor. Ducem.

Olim qnot dederant Augusto numina honores,
 Nunc totidem tribuunt inclite Cosme tibi.
Augustum patriæ patrem gens Romula dixit,
 Te patrem patriæ Thuscia læta vocat.
Aurea pax illo viguit regnante per orbem;
 Tu placida populos, cunctaque pace regis.
Nascenti Augusto sydus fulsit Capricorni.
 Natali arrisit sydus idemque tuo.
Debita ad astra sibi princeps sero ille redivit.
 Tu felix eadem serius astra petes.

De Neæra.

Aliger occurrit dum forte Cupido Neæræ,
 Esse ratus Venerem, quo mea mater? ait.
Utque fuit puero gratissimus agnitus error,
 Obstupuit deinceps, erubuitque simul.

De Hortis suis.

India quas legit, & Nilus quas irrigat herbas,
 Quas & odorato pollice carpit Arabs,
Littora quasque ferunt, montes, vallesque profundæ,
 Hic parvo cunctas aggere collis habet.
Hæc animum pascit spectari digna, sed illa
 Radice, & folio est, semine, flore potens.
Alma igitur natura parens superaris ab arte,
 Hoc tantum liceat dicere pace tua.
Nam quæcumque sinu per totum amplecteris orbem
 Cernuntur parvo cuncta vigere loco.

Ex primo Lib. Græcorum Epigramm.

Quattuor illustris certamina Græcia ponit.
  Sunt duo sacra Deis: & duo sacra viris.
Prima Jovis, Phœbique; Palæmonis, Archemorique,
  Quorum apium, malus, pinus, oliva, decor.

De Julio III. Pont. Max.

Italiæ atque orbis regina olim aurea Roma
  Suppliciter tristis constitit ante Jovem.
Dextera non hastam, clypeum non læva gerebat.
  Deciderat sacro vertice cassis humi.
Et laniata comas, lacera & crudeliter ora
  Fundebat gemitus, verbaque erant lacrimæ.
His motus Divûm rector, quid Martia Roma
  Fles? ait, ah fugiat mœstus ab ore dolor.
Fata tuis finem voluere imponere damnis;
  Et longis tandem consuluere malis.
Tertius e cœlo descendit Julius alto;
  Hic pater, hic urbis conditor alter erit.

De Expeditione Germanica Caroli Cæs. Aug.

Dum gelidas Cæsar Rheni contendit in oras,
  Et petit hostili barbara regna manu,
Horruit inspectis Germania Cæsaris armis.
  Insolitus subiit protinus ossa tremor.
Utque fuit telis accincta, & casside fulgens,
  Procubuit lacrimans illius ante pedes.
Hasque (ait) exuvias tibi trado maxime Cæsar,
  Ut Marti ex illis digna trophæa pares.
Jam nunc incipies merito Germanicus esse:
  Hoc tantum nomen defuit ante tibi.

De Bellis impendentibus.

Sanguineum quassat clypeum Tritonia Pallas.
  In toto Mavors impius orbe fremit.

Jam pelagi rector maria obstrepit omnia circum.
Tartarea Eumenides intonuere tuba.
In chaos ergo omnis priscum miscebitur orbis?
En pontus, tellus, astra cruore rubent.

De Statua ænea Persei.

En Danaës Perseus, & proles clara Tonantis
Palladis armisonæ numine tutus adest.
Læva Medusæum gestat caput, altera ferrum,
Pes clypeum, atque alter Gorgona calcat humi.
Arne igitur lætare parens, & candida Flora,
Perseo namque cadent impia monstra duce.

De Hortis sui Ruris Septimiani.

Aspice odoratis halantes floribus hortos,
Quos dulcis Zephyri molliter aura fovet.
Hic regnat Pomona, hic Flora, hic aurea cornu
Copia distendit fœtibus arboreis.
Non mirum, æterno nam rident omnia vere,
Hoc Fabio eximium munus Apollo dedit.

De Eisdem Hortis suis.

Hanc villam, hos hortos, nemus hoc, & ruris amœni
Quas potes innumeras cernere delicias.
Annorum series, patriique incendia belli
Excidio dederant, erueruntque solo.
Sed Fabius soboles Antoni Segnius illis
Jam deploratis attulit auxilium.
Nam studio miro cuncta instauravit, eisque
Restituit cultu splendidiore decus.
Ergo loci genius, Nymphæque, & numina ruris
Certatim meritis hæc posuere suis.

In obitum Benedicti Varchi. Ad Lauream Ammannatiam.

Ingentis sumas solatia carmina luctus
 Laurea, quæ Musis adderis una novem.
His Varchi nomen, clari & celebrantur honores.
 Tanta sed attolli gloria laude nequit.

De B. Varchio e terrestri Cycno in cœlestem verso.

Qui Penei Grajo: Tiberis Latio: Arni & Etrusco
Compleat cantu ripas, & carmine dulci:
Ante alios omnes suavis candoreque præstans
Cycnus: dum fato terras poscente relinquit,
Indignas tanto nimirum nomine terras:
Aërias niveis & nubes transvolat alis:
Atria stellantis tetigit sublimia cœli:
Enituit subito, & radians mutatus in astrum:
Astrum, cui tellus, æther, atque æquora rident.
Sic cœlestis olor, ceu Sol effulget Olympo
Debita honoratæ referens nunc præmia vitæ.

Epit. ejusdem.

Laudatus cunctis: laudandus nec satis unquam,
 Invidia major, Varchius hic tegitur.

Ad Petrum Victorium.

Victori, Latiæ regnat Grajæque Minervæ
 In quo majestas, candor & eloquii.
Auspice te excolitur jampridem Etrusca juventus
 Virtutis tutum te duce carpit iter.
Utque olim Chiron clarum exercebat Achillem,
 Sic animos ornas, moribus erudiens.
Ex te haurire datur cunctis, ceu fonte perenni,
 Quid sit vitandum, quidque beare queat
Qui post fata aliis igitur tribuuntur honores
 Orbis viventi donat habere tibi.

PE-

PECINI SEJANI
CREMONENSIS.

De Classe Turcarum a Christiana victa, & capta.

O Grata fama Christianis omnibus
De classe capta barbara.
Quæ per tot ætates, tot & per sæcula
Fuerat potens toto æquore.
Primum occupavit Bosphorum olim Thracium.
Cepitque vi Byzantium.
Euxinus additur, simul Symplegades,
Cimmerius atque Bosphorus.
Propontidem mox hinc, & hinc invasit hæc.
Hellesque pontum transiit.
Ad Cycladas venit, quibus cunctis quidem
Longo potita est tempore.
Multosqua post annos Rhodon claram capit.
Sed Proditoris crimine,
Qui prodidit Equites suos fratres: tamen
Pœnas scelus meritas dedit.
Tandemque cœpit huc, & illuc currere,
Orasque deprædarier.
Nunc litoris Corinthii: nunc Cretici:
Nunc totiusque Græciæ.
Epirus hanc timebat, hanc Corcyraque,
Timebat Jonium, & mare
Superum timebat hanc, timebat inferum,
Ligusticum cum Corsico.

Terrebat hæc Sardos, & insulas, bonos
Quæ funditores educant.
Nili ostia occupavit hæc septemplicis,
Ambasque Syrtes aridas.
Hæc regibus cunctis favebat Africæ,
Et omnibus prædonibus.
Incendio castella multa, & oppida
Placebat huic absumere.
Mordere Turcas cerneres rabidos uti
Canes viros, & feminas.
O quot fuere cæsi ab his, quot & fame
Periere in atro carcere.
O quot equites fortissimi, quot & Duces
Cecidere Melita in Insula.
A qua repulsus Turca post adit Cyprum
Frangens fidem Venetis datam.
Hanc barbarus noctes, dies non desinit
Vastare ferro, & ignibus.
Nec credit illum, qui gubernat omnia,
Punire cunctos perfidos.
En Pontifex Quinctus Pius Sanctissimus
Cum Purpuratis Fratribus,
Et Austrius Philippus ille Hispaniæ
Rex semper invictissimus,
Patres simul Veneti, Patres justissimi,
Patres & Illustrissimi
Fœdus ineunt nolle amplius pati feros
Sævire tantum Barbaros.
Princepsque consensu omnium, & sententia
Delectus Imperator est
Classis Fidelinm Austrius, quia a Carolo
Quinto genitus est Austrio.
Nam militaris hunc rei scientiam
Callere cuncti non negant.
Virtutis haud expertem, adest auctoritas.
Nec procul erit felicitas.
Triremibus cunctis coactis deserit
Ibericis Iberiam.

Por-

Portumque Genuæ intrat faventibus Notis.
    Læta excipit Refpublica
Hic Principes funt Itali quamplurimi,
    Hic funt Duces, & milites.
Paucis diebus hinc abit Neapolin,
    Neapolin clariffimam
Doctis viris, principibus & quamplurimis.
    Cunctique honorant Auftrium.
Mox hinc abit Meffanam, ubi moratur, &
    Dum ceteræ advolent rates:
Dum & tela, quæ cudunt Cyclopes incudibus,
    Mittant, quibus cuncta urier
Cernas, Charybdis interim fluctus vorax
    Nec attrahit, nec evomit.
Nec Scylla nautas territat latratibus
    Canum fuorum horrentibus.
Ut ante, non fervet fretum Trinacrium,
    Omen quidem non peffimum.
Adfunt diem ad dictam carinæ ceteræ:
    Funefque folvunt illico,
Dant vela ventis profperis, puppes volant
    Unctæ per undas marmoris.
Claffis brevi Corcyram adit, mox hinc abit
    Ad Gomenizas (ut ferunt)
Exercitum hic, claffemque luftrat Auftrius,
    Ut militaris lex jubet.
Marcus Columna Antonius cum heroibus
    De ftirpe præfto eft Romuli.
Quintus Pius pietate præditus pia
    Præfecit hunc claffi fuæ.
Pompejus hic Columna adeft cum Profpero.
    Sabella gens, & Maxima.
Pandulphus hic Stroza eft, Nigrinus, Buffalus,
    Metellus hic Caraciolus.
Pifanus hic eft Boza, Perpignanus hic,
    Palotta, Thomas Medices.
Venerus hic claffis Venetæ adeft totius
    Ductor quidem invictiffimus.

De-

Delegit hunc Senatus integerrimus
    Cunctis datis suffragiis.
Quirinus hic, & Barbadicus incliti,
    Sed mæstus hic est paululum.
Hic Bragadini adsunt, Grotus, Duodus: hic,
    Nereides quos diligunt,
Canuleii clarissimi, Cornelii.
    Catharinus hic, Superantius.
Hostesque (fama ut est) feros qui conterunt,
    Sunt Contarini hic strenui.
Hic Lauredanus, Landus, hic Lipomanus,
    Pisanus hic cum Pesaro.
Molinus hic, Bonus, Caballus, Malipetrus,
    Badovarius cum Fuscaro.
Fratellus hic, hic Romierius non latet,
    Nanus, & Gradenigus simul.
Non est Valerius, Vallereffus hinc procul.
    Benedictus hic, Mezusque adest.
Donatus hic, hic est Leo, Ciconia,
    Pasqualigi, & Pizamani.
Zenus, Polanus, Mocenigus, Dandolus,
    Bembus, Morus, Balbus, Tronus.
Aliique Veneti plurimi: quidam tamen
    Frontem quidem læti parum.
At ille Justinianus est hilaris: quia
    Se nuncium sperat fore
Victoriæ primum suis charissimis
    Cum civibus, tum patriæ.
Hic ille Commendator est Major, nihil
    Curans necem ob sanctam fidem.
Hic Frigarola Illustris est, Cuevaque
    Vargas, Benevides, Vergara.
Cardona, Dieghi, Argalia, Occava, Alvarus,
    Qui sanctæ habet titulum Crucis.
Pirola, & Guardiola, Cicuta, Menganus,
    Drazzus, Cimera, Crissaque.
Hic Runius, Bustus, Medinus, Mongiva,
    Quessada, Oieves, Pasacalus.

Her

Hermandus hic, & Rocha Ful. Speciamus hic,
Batinus hic, Emanuel.
Heredia hic, Vaſcheſque adeſt, hic Lephrias
Amadeus, Caidus hic
Equites, Duces, multique fortes milites
Miſſi peruſta Hiſpaniá,
Veterana gens in prœliis horrentibus
Horrens nihil mortem horridam.
Allobrogum hic miſſi Duces a Principe:
Leininus horum Ductor eſt.
Octavianus hic adeſt Muretus: &
Non eſt Batallinus procul.
Adſunt triremes Thuſciæ hic, & incliti
Equites, Duceſque ſtrenui,
Quos ille magnus Coſmus ornatus Pio
Quinto corona auri ſacra
Miſit, ſed ille Fabius eſt Galeratus hic
Domus ſuæ, & patriæ decus.
Hic Andreas, Neptunus alter, Doria,
Ligurum manu circumdatus.
Philippus hic eſt Doria, hic ſunt Spinulæ,
Grimaldus hic, Sancta Fedra adeſt.
Hic Julius Centurio adeſt, Marinus hic.
Caſalis, Imperialis hic.
Hic roſtra Lomelina ſunt, Nigronaque,
Nigronus hic Ambroſius eſt,
Qui cauſa mortis nigræ erit genti feræ.
Aloiſiuſque hic Gamba adeſt.
Petrus ille Bartholomæus hic Navarchus eſt,
Quem Lomelina dedit Domus.
Hic Bandinellus Saulius adeſt, Treſſanus.
Hic Baltius, Foliana adeſt.
Polydorus hic; Bellinus hic, Luanus hic,
Bua, Pelleranus, Stellio.
Hic Garibaltius, Lagana, Cornilia eſt,
Tienſa, Zurla, Coſtaque.
Equiteſque Melitenſes avent ulciſcier
Equitum ſuorum funera.

Princeps adeſt Parmæ & Placentiæ micans
Et oſtro, & armis aureis.
Urbini adeſt Princeps viris Mavortiis
Stipatus, hic Lunatus eſt.
Gonzaga Sigiſmundus hic adeſt ſuis
Cum Tranſpadanis ſtrenuis.
Gonzaga adeſt Octavius, qui patriæ
Virtutis eſt peræmulus.
Terræque quos motu dedit Ferraria
Interritos perterrita.
Hinc Corneus, Sanctæque Floræ Sfortia,
Belli quidem duo fulmina.
Jordanus ille Urſinus hic heros adeſt,
Urſa ſua horridus horrida.
Hic bellicoſus Paulus eſt Vitellius.
Hic Julius Rangonius.
Albericus hic Ludronius Germaniæ
Adeſt Tribunus militum.
Adeſſe Cæſar Avalos heu non potuit hic
Zephyris relictis navibus.
Nec Vinciguerra Archus bonum cum nomine
Omen quidem ſecum gerens.
Aliique multi Equites, Duceſque, & milites
Abſunt Notis ceſſantibus.
Inſubrium pubes micans in lucidis
Armis ſtat hic & torquibus.
Adſunt Duces Cremonæ: adſunt Brixiæ,
Quæ ſunt mihi cariſſimæ.
Et quos Crema educat ſimul cum Bergomo.
Verona quos, Vicetia.
Non hic viri deſunt ab urbe Antenoris
Virtute plena præditi.
Nec hi tacendi ſunt, qui in obſcuris quidem
Non deliteſcunt angulis.
Taccus. Cania, Gancarolus, Canevallus hic.
Horatius Fiſoognus.
Hic Gaſparus adeſt Oxius, Bonfittus hic,
Paternus, & Afaitatus hic.

Nec

Nec Angelus deeſt; Avonal hic adeſt.
Et Condacollis non latet.
Georgius Græcus, Caraſſus, Sarnus hic.
Portus, Briſantus, Clappaque.
Alzatus hic, Cochinus hic; Lucichus hic,
Santubius cum Teſſera.
Cum Cipice Dominus, Turrianus, Daniel,
Securus hic. Pataruſque adeſt.
Calergii hic adſunt, adeſt Bonus ſenex,
Quem terra miſit Gnoſia.
Omneſque demum qui fuere, ab Italis
Miſſi urbibuſque, & opidis.
Multique ab oris, quæ colunt ſanctam Crucem,
Ultro parati occumbere.
Omnes ſalutant Imperatorem ſuum
Hilares Joannem Auſtrium.
Heros in armis ſplendidus ſplendentibus
Hæc verba cœpit dicere.
Mirarier nequis velit me in florida
Ætate delectum Ducem
Veſtrum maritimum ad hoc periclis maximis
Bellum refertum (ut cernitis)
Nam cuncta, quæ fiunt ſub hoc cœlo, quidem
Fiunt Superno Numine.
Quare mei Commilitones ſpernere
Nolite, quem elegit Deus.
Vobiſcum ero paratus ipſe perpeti
Duros labores, ipſeque
Feram ſitim, famem, ipſe primus omnia
Mortis petam pericula.
Noloque vos habere me veſtrum Ducem:
Regem ſed hunc Regum omnium.
Extollit hic imaginem affixam Cruci
Nati Patris ſummi Poli.
Rex hic erit noſter, tuebiturque nos
Ab hoſtibus crudelibus.
Promittit hic victoriam certam. Ergo ſit
Ab omnibus timor procul.

Hic cerneres cunctos obortas fundere
    Præ gaudio guttas genis.
Voluntque cuncti cuncta ferre incommoda,
    Necem & cruentam pro fide.
Post consulunt quid facto opus sit; nec mora;
    Pugnare statuunt fortiter.
Cephaleniam ventis secundis insulam
    Spirantibus statim petunt.
Andrana it exploratum ubi sint Barbari.
    Refertque: Naupacti in sinu.
Olli Austrius cunctique Principes simul
    Amittere haud deliberant
Occasionem; quam Deus fert, & citò
    Hortantur omnes, quo velint,
Quod dixerint, re comprobare; nec fidem
    Christi sinant a Barbaris
Lacerarier, cuncti libenter velle se
    Dicant perire pro fide.
Hortatione nen egent: nam strenue
    Turcas volunt occidere.
Cephaleniam classis relinquit insulam
    Instructa triplici ordine.
Et septimo Octobris die venit, videt,
    Vincitque (nervis omnibus
Prius tamen cum fortiter, tum strenue
    Pugnando) classem Barbaram.
Cœlo it cadentum clamor, & pugnantium.
    Pars ferro acuto concidit.
Pars glandibus missis cavo œre plumbes,
    Pars ferreis, magnis pilis.
Pars arcubus missis sagittis illitis
    Atro cruore viperæ.
Pars ignibus Vulcani, & est miraculum,
    Multos sub undis urier.
Naupactus horret, Echinadesque, cum vident
    Rubescere mare sanguine.
Tot Punicas cœpit Duellius haud rates,
    Tot milites, nec tot Duces:

Nec

Nec ille Pompejus latrones tot freti
 Magnus, ſacri ut faſti canunt:
Octavius pugnando nec tot ad Actium
 Ab his locis diſtans parum,
Antonium cum vicit, & quæ finiit
 Vitam nigris ſerpentibus:
Quot Imperator Auſtrius fortiſſimus
 Cum fœderis ſodalibus.
Quid fecerit brevi trium concordia,
 Eſt omnibus notiſſimum.
Faceſſat hinc diſcordia, o Cæſar, ſimul
 Regeſque cuncti, & Principes,
Qui confitentur Chriſtiana nomina,
 Ferire fœdus hoc velint.
Nunc recipiendi tempus eſt, quicquid fuit
 Captum ratibus hoſtilibus.
Nunc tempus eſt pugnare cum Turca truci.
 Terra, mari, velis, equis:
Ut tam potentem hoſtem queamus vincere,
 Regnoque tanto expellere.
Id nos monet Dux Pœnus Annibal ſciens
 Hoſtes ſuos devincere:
Sed neſciens parta utier victoria,
 Romana ut hiſtoria refert.
Nunc ſupplicationibus nos ſupplices
 Orare decretis Deum
Debemus omnes, gratiaſque agere: quia
 Tantam dedit victoriam.
Nunc eſt canendum voce quam clariſſima,
 Et mente quam lætiſſima;
Io triumphe: io Imperator Auſtriæ
 Claſſis fidelis totius.
Io triumphe Pontifex Pie Quinte: io
 Patres micantes purpura;
Io triumphe Rex Philippe Hiſpaniæ,
 Triumphe Veneti io Patres.
Io triumphe Principes, io Duces,
 Poſt hæc canamus ſupplices:

Deo Patri, atque Filio cum Spiritu
Sancto sit omnis gloria.

Epitaphium Clarissimi Augustini Barbadici, qui pro Patria, Christique fide cum Turca apud Echinadas strenue pugnando occubuit.

Thalia nostra veste pulla est obsita
Pangens cruenta funera
Equitum Ducum, fortissimorum militum
Pugnantium, cadentium,
Pro Christiana fortiter Republica,
Quos inter hic heu concidit.
Dum Barbadicus ense cædit Barbaros.
Fixus sagitta oculum heu perit.

THOMAS SENECA
GRAMMATICUS.

Ad Virum omnium præstantissimum Cosmum Medicem, spem, & refugium suum.

COsme tuas animo si parvo implere licebit,
Exequar has laudes, quas primis orsus ab annis
Forte aliud faciens volvebam in teque, tuosque;
Nec mea de multis, quibus hic tibi consonat aër,
Undique fors fuerit manca, & postrema Camœna,
Inque tuos titulos felici creverit æstu
Fortis amore tui, fortis pietate, fideque;
Nam si pace loqui fas est Regumque Ducumque,
Quos habet hæc ætas, notus quos extulit orbis,
Nemo est te melior, nemo est te dignior uno
Carmine vatisono, vel pulvinaribus altis,
Cujus ab auspiciis fato impendente levata
Chara tibi imprimis patria, & fulgore, bonisque
Artibus in toto facta est illustrior orbe;
Nec quisquam ex alto quantum sol aureus orbe
Despicit, est alter Civis felicior ullus,
Libertate potens, opibus sublimis, amicis
Commodus, ac gemino Natorum pignore fultus;
Eloquio insignis, vivendi exemplar, amorque
Humani generis, patriæ Pater inclitus altæ,
Qui Divos, hominesque tuo connectis honore.
Me quoque, cui pridem adjutor, dexterque fuisti,
Respice quæso senem, sed adhuc ardente senecta,
Et præsta, ut valeam supremæ tempora vitæ
In fastos, cumulumque tuæ componere laudis;
Sic tibi cuncta pio succedant Numine vota,
Nullaque non ætas studeat meminisse tuorum.

JACOBI SENTINI
RICINENSIS.

HEsperides hortum Vatum tenuisse puellas
  Omnis, & Hesperia, Grajaque turba canit.
In quo fulva simul ramis fulgentibus arbor
  Præbebat dominis aurea poma suis
Hortulus ille mihi liber hic, mihi crede, Latinis:
  Nam non est toto hoc ditior orbe liber.
Cujus si flava cupies ex arbore, lector,
  Unâ poma leges aurea mille die.
Aureus hic numerus, quod tanto Nomine dignum
  Effecit Cæsar Julius auctor opus.
Tempora Romanis gentes quibus æra ferebant,
  Quæ proprium Nomen inditionis habent.
Intervalla, cyclus sunt hic & Apollinis alti,
  Monstratque & Domini littera certa diem.
Hinc Phaëtonteos poteris cognoscere motus,
  Motus & Phœbes hinc tibi nosse licet.
Adde etiam Phœbi pariter Lunæque labores,
  Quos qui scire volent hinc bene scire queunt.
Hic tibi vel Titan cum jungitur ipse sorori,
  Oppositusve manet, conspiciendus adest.
Hic quibus in signis Phœbus, vel Luna vehatur
  Edocet. ambobus dat sua lora liber.
Hic tibi horizonte & descendant horrida signa,
  Ascendantve quibus monstrat in arte modis.
Hic quam quæque dies Phœbo fulgente trahatur,
  Quamque brevis maneat, stat tibi quæque dies.

Hic

Hic modo inæqualis, necnon æqualis haberi
  Hora, quod & quadrans noſcere poſſe docet.
Hic etiam tabula eſt qua conſtant omnia cunctis
  Urbibus, Europæ hæc datque, trahitque gradum.
Hoc Germanus opus Regio de monte Johannes
  Compoſuit, patriæ Nomen, honoſque ſuæ.
Qui fuit, & Rhetor ſummus, qui ſolus & alta
  Aſtrorum doctor verus in arte fuit.
Qui fuit & Vates celebris, cui ſemper abunde
  Et Latia eloquium, Grajaque lingua dedit.
Multa viris latiis juvenis monumenta reliquit.
  Scribere ſed nobis dum meliora parat;
Ah ſcelus infandum! ſecuit ſua fila ſororum
  Una trium celeri vipera ſæva manu.
Notus in Italia eſt, & qua regione potentes
  Mergit equos Phœbus, naſcitur unde ſimul.

FRANCISCI SFONDRATI

MEDIOLANENSIS.

De Raptu Helenæ,

LIBER PRIMUS.

Ausa cano juvenis Phrygii, qui jura fidemque
Hospitii sanctam, thalamumque absentis Atridæ
Polluit, insigne hoc facinus, quod atrocibus orbem
Concutiens bellis, totque urbes clade perenni
Evertens, aliis alta incrementa paravit.
Tu modo læta meum complectere, Musa, laborem,
Nec minus æqua veni, si magno in turbine rerum,
Quo tot gesta virum, tot nunc præconia laudum
Panduntur, veteres titulos vulgataque rursus
Furta loquor: fors antiquo sub nomine casus
Oblectet memorare novos, sæclique recentis
Consilia, & mores hac tempestate receptos.
Quod si hæc vota parum cedent, felicior aura
Mox aderit, cum res, & nostræ ætatis honores
Percurram, patriæque intexam nobilis ortum.
Jam pontum emensi fatali classe premebant
Littus; & Euboicos rutilans Aurora receptus,
Hostilesque procul Teucris ostenderat oras,
Cum miro juvenilem animum succensus amore,
Actutum somno excutitur dux Troicus alto.
Tum secum visa in tenebris, speciemque revolvens
Oblatam, & raræ exemplar mirabile formæ;

At-

Attonitus primo, ſenſuque habes, hæſitat anceps.
An vigilet: tantus latet unde excreverit ardor:
Nec dum poſſe adeo nocturna inſomnia noſcit.
At ſimul illi oculorum acies, atque excita mens eſt,
Verum aperit, ſentitque ictus, cauſſaſque recenſet.
Utque in rebus amor dubiis ſolertia prodit
Conſilia atque animos ultro addit, vimque loquendi
Iliacos tandem proceres, cœtumque frequentem
Accerſit; tum compoſito ſic incipit ore:
Poſtquam, magnanimi o comites, infida tenemus
Littora & hic patrio jacenda eſt alea juſſu;
Ante opus eſt longe eventus ſpectare futuros;
Et quanto graviora inſtant diſcrimina cœptis.
Cautius audendum eſt: namque, ut nocitura paratis
Non adeo officient; ſic quæ felicia caſu
Inciderint, minimæ laudis monumenta relinquent.
At, quoniam haud vano lempus ſermoae terendum eſt,
Non ego Trojanas claſſes & fata retexam,
Nec paſſis eadem repetam, quæ Solis ab ortu
Ad Gades audita, atque omnibus edita terris.
Scilicet ingentes patriæ templiſque ruinas
Intulit, atque atrox infandas Græcia cædes.
Quæ fas dura pati, ſed non tolerare dolentem
Hæſionem: proh Dii! virgo Regina tyranni
Imperio ſuppoſta trucis, vitamque tot annos
Magna labe trahens, generoſa quieſcere Troum
Corda ſinet? tantumque ſcelus patientur inultum?
Sat foret, everſæ damnum reparabile Trojæ,
Et veteris ſtimulos vindictæ, obtunderet ævum:
Verum ſervitiis raptoris ſerva nefandi
Durat adhuc, ſemperque graves pudibunda querelas
Innovat, & lacrimis miſeranda recentibus auget.
Hinc odii fomes; hinc juſta percitus irâ,
Egregius genitor claſſem ſociesſque paravit,
Ut tantum excuteret Trojanæ dedecus urbis.
Nam, ſive illicitos vinclo emendare jugali
Concubitus, calpeque notam delere prioris,
Seu magis ad patrios miſeram remeare penates
Ef-

Efferus ille velit, jussum est conjungere dextras.
Quod si amens utrumque neget, legesque recuset
Accipere oblatas: tantum arma, manusque supersunt,
Jus ubi non viget; & gladio tum vindice agendum est.
Sed frustra hæc reor, atque ausus tentamus inanes
O socii: nec enim præbet spem fœderis ullam
Olli mens assueta malis, & nescia recti:
Servabit mores, & pacem falsque repellet.
Quod si tunc bellare putem, non æqua feretur
Sors pugnæ: non externo tot in orbe periclis
Objecti, tuto ille suis peccaverit oris
Haud scelerum oblitus, nec me timor improbus urget
Ficta loqui: laudem semper præferre saluti
Contendam: nec me avertent extrema malorum,
Dum lapsos decoret memorabilis exitus annos.
Sed quid, in ultores iterum si damna redirent?
Actum etenim, & cunctis nostra hæc infamia sæclis
Major erit, primisque etiam pejora sequentur:
Quare agite in melius liceat consulta referre:
Et, si opibus nequeunt modicis ablata reduci,
Æquum erit, egregiumque alio par reddere raptu.
Nec quid (ut intueor) sese nunc aptius offert,
Filia quam Ledæ, quæ magno est nata Tonante.
Et germana Deûm, conjuxque insignis Atridæ.
Atque adeo Argolicis specie prælata puellis.
Hæc igitur tentanda via est: justamque parare
Seu vi, sive dolis vindictam ex hoste licebit.
Quin læti Superos etiam sperate secundos;
Pro merito hanc debent; quam dudum in montibus Idæ
Nuda repromisit nostro tunc munere victrix
Alma Venus: quodque esse potest spe certius omni,
Illam Diva mihi præsenti numine eandem
Obtulit in somnis nuper, quo tempore anhelans
Tithoni conjux visa haud mentita revelat.
Hæc Paris affectu tanto, atque ardore loquutus
Tum fuit, ut fremerent uno omnes ore Lacænam.
Et quamquam indigna hæc, nimiumque audacia multis
Perculerint animos; cupido se opponere Regi
Ne-

Nemo audet: magnis igitur conatibus altas
Obvertunt puppes, nixique tumentia torquent
Carbasa, remigibusque actis petiere Gytheum.
Interea ad magnum placuit præmittere Atriden,
Qui longe ex Asiæ venisse renuntiet oris
Priamiden, Grajo ut statuat cum sanguine fœdus.
Ille quod & Trojæ, Phrygiique potentia regni
Nota fuit, veterisque atrox injuria belli;
Quanquam parte alia pacis mandata referrent:
Haud tamen antiquo fidebat providus hosti.
Verum plura agitans cautâ formidine damnis
Occurrit longe, & casus prospectat in omnes.
Mox validam egreditur multis stipantibus urbem,
Qua Phrygii adventant proceres: at proxima postquam
Adstitit in medio gens Laomedontia campo,
Certatum officiis: fundit Menelaus Achivum
Eloquium, & blandis dictis, vultuque sereno
Iliadum frustra mentes captare laborat.
Jamque intus curâ ingenti solenne parabant
Justitium, & festos pompæ regalis honores;
Atria sternebantque toros; pars maxima longis
Instaurare dapes mensis, & dona Lyæi.
Verum, ubi dux Troum, tectisque apparuit ingens
Turba virum; læto strepit omnis regia cantu.
Et varii audiri sonitus, quos Thessala notis
Euterpe est modulata choris, studioque minori
Ætherias illam certes agitare choreas,
Et versare polos, orbemque rotare canorum.
Ergo Phrygum his faciles animos, & pectora mulcent
Mollia: nec minus argutæ solertia gentis
Arte effingit opes, fuit ingens ambitus aulæ,
Egregium ostentans infra, supraque laborem,
Insignemque loci cultum: nam carbasa circum
Addiderant picta, & miris variata figuris;
Crebraque odoratas spargebant lumina nubes;
Lumina vel noctu radios imitantia solis,
Multaque præterea: sed postquam Tyndaris ultro
Affuit, ut reliquas Phœbeia lampas obumbrat,
Sic

Sic cunctis summo injecit fulgore tenebras.
Apparet mirâ species compage, nec umquam
Talis visa alibi facies, oculique micantes,
Siderei illi oculi, vires, & fastus Amoris,
Unde faces, ac vincla paret, promatque sagittas,
Queis hominumque, Deumque animas transfigere, & illas
Nectere, tum gratis longum queat urere flammis.
Obstupuere simul Troës, & Dardanus imo est
Pectore concussus; quique umbræ cessit inani,
Spectans plura oculis, extemplo immobilis hæsit,
Vixque diu potuit, quod tanto ardore remotus
Optarat, propior specimen cœleste tueri.
Jamque erat alte instructa abacis operosa supellex,
Atque adeo mensis; cum lætum tibia cœnæ
Dat signum, & manibus lymphæ inspergunturr odoræ.
Promunturque dapes: fruitur Trojana juventus,
Et stupet apponi. quicquid vescum unda, solumque,
Fertque aër, luxuque eadem variata liquorum
Mirifico, & laute altilibus condita popinis.
Interea ardentem Paridis præsenserat æstum
Oebalis, intentaque acie pia suspirantem
Viderat: egregia huic facies corpusque decenti
Robore, compactum, cultuque insigne superbo.
Inde novum sensim perlustrans femina amantem
Pectore totum haurit, seseque haud secius illi
Jam dedens placidos averso conjuge figit
Obtutus, blandoque interdum lumine nictat.
Utque immensus amor non casu, aut arte paratur,
Propositove animi simili sed imagine mentis,
Atque pari instinctu cœli: sic illa Diones
Sidereo afflatu pulchrum formosa tuendo
Jam calet, & cæco paulatim ex igne liquescit.
Sed postquam dapibus modulos cecinere supremis,
Alternoque hilares hauserunt cymbia potu:
Dum jam læta aliis instant solatia somni,
At multa abrumpi metuit sua gaudia nocte
Priamides, visu gratæ contentus amantis.
Verum se Alcibides optato tempore coram

Pro-

Protulit, hic dociles inter ſpectatus Achæos,
Pulſandique fides, & clarior arte canendi,
Vocale hoc tandem ſociavit carmine plectrum:
Non ego, ut Oceani fluxu, atque ambita refluxu
Perpetuo tellus ſtet parte habitabilis ulla:
Aut rerum arcanas quæram diſcernere cauſas.
Nec loquar, ut magnus ſemper circumferat orbis
Fixaque, & adverſis errantia ſidera gyris.
Novimus hæc & noſtra docet quæ plurima tellus.
At læta hos odere graves convivia cantus.
Apta feram, & lapſu ne cedat tempus inerti,
Dum cithara hæc crepitans, & dulcis lumina ſomnus
Feſſa premat, ſocius veniet, noctiſque levamen
Magnus Amor, quem non fumantis Mulciber Ætnæ,
Ac Regina Paphi genuit, bellique ſuperbus
Arbiter, aut tepido Chloris ſuppoſta Favonio,
Nec Lucina parens, vel Nox ſecura creavit,
Nec Jovis apricis Peniæ concepit in hortis
Ex Poro, exultanſque humano ignavia luxu.
Hæc vetus, utque reor, paucis noteſcit origo,
Hoſpes quam docuit caræ genitricis Apollo.
Poſtquam etenim ſummus genitor primordia rerum
Fecit, & his proprias vario diſcrimine formas
Indidit; admirata ſuum Natura decorem
Protinus indoluit, tantæ quod molis inane
Eſſe opus, idque brevi fruiturum cerneret ævo.
Namque rudi in Mundo deerant conſortia rerum,
Nullaque erat primis ſenſuſque, animique voluptas,
Exitiumque aliis inſtabat morte priorum.
Ac, veluti dulcis cum proxima funera nati
Mœſta videt genitrix, cui nobilis ubera ſucci
Præbuit; & viduum ſervavit caſta cubile,
Illa vicem optarct nato ſubiiſſe redempto:
At, ſimul ac via nulla datur, ſpes nulla ſalutis,
Ingemit, & fletus amens effundit amaros,
Haud aliter magna hanc nutrix miſerata ruinam
Innumeris totum implebat ſingultibus orbem,
Talibus interdum exclamans: Ergo iſta peribit
Ma-

Machina? & in primo hærentem ſermone moratur.
Heu dolor, o utinam non hæc fabrefacta fuiſſent,
Aut ego nunc morerer; ſed mors fugit atra volentes.
His ſimul ingeminat luctum, totamque ſubortæ
Irrorant lacrimæ, nimbi vel fluminis inſtar.
Jam tum quinta dies aderat, jam pectore toto
Exhauſtus lacrimas humor, vocemque negabat.
Ecce acrem nervos invadere, & oſſa rigorem,
Ac velli intortis ſenſit præcordia fibris;
Palluit, atque omnes immane perhorruit artus,
Et penitus valido ad terram prolapſa tremore eſt.
Hinc medium ingenti patefactum eſt pectus hiatu,
Atque reluctatis erupit viſceribus cor.
Quod ſi tum lex mortis erat, ſuprema tuliſſet:
Triſte tamen viſum eſt Ponti, & Telluris alumnam
Inſpectare ſuo cordi pia juſta parantem,
Quod demum, ut cineres mox occluſura ſepulchro,
Detulit ad Superos, cœleſtique igne cremandum.
Sed Deus hanc largo disjecit munere curam.
Nam poſtquam magnæ altricis præcordia flammas
Hauſere, in variam mutari cœpta figuram;
Hinc levis aura ſimul fuſa eſt, & amoris origo
Apta inferre animis quaſcumque ſimillima formas:
Quale refert oculis ſpeculum fulgore metalli,
Splendentiſque vitri; quid enim non imprimit hæc vis?
Ergo Amor afflatu leni ſimul omnia luſtrans,
Viventes animas mirâ virtute replevit,
Et prima oſtendit reparandæ ſemina prolis.
Namque modis ſe inter variis animantia junxit,
Atque rudes hominum jucundo fœdere ſenſus,
Mollivitque iras, & pectora cruda ferarum:
Idem etiam tulit, ut propriis ex fœtibus herbæ
Propagent genus, & nativo e germine plantæ;
Caudicibuſque hederam, vitemque innexuit ulmis.
Præterea, quod quiſque cupit, fruiturque, fugitque,
Nimirum pater omnipotens conceſſit amori.
At vos cura agitat quos interiore Cupido,
Aſſiduoque æſtu torquet; nam pallida certe

Hos

Hos facies, imique notant ſuſpiria cordis :
Prima licet caſſo proceſſit pugna labore,
Pergite; feminea hæc feritas ſuperatur amando.
Talibus arriſit feſtivo murmure cœtus,
Idque Paris conatus erat: ſed viribus ullis
Neſcit amor, vel flamma tegi: pudor ilicet ora
Purpureus tinxit, tectique expreſſa caloris
Signa dedit: magis illa ſuum ſed cauta ruborem
Actutum occuluit defricti luminis aſtu
At non intentum Iliaden hoc fugit amoris
Indicium, ſpemque erexit potiore fruendi
Succeſſu [ſic tentat amor] jamque hora quietis,
Poculaque acciεrant torpentem crebra ſoporem.
Sed non ulla quies, nullum eſt ſolamen amantis.
Namque, ubi depoſuit longum Ledeja cultum,
Accubuitque toro, tunc omnia mente revolvit
Viſa prius, lætoſque oculos, floremque juventæ,
Priamidumque genus, Trojanæque urbis honores:
Hinc majora agitat, quam vel conſpexerit amens,
Vel ſpectare queat: ſed mox ſibi conſcia turpes
Caſtigat curas, ſacroque adverſa pudori
Arguit hæc genio invito; tum vertitur ardens
In latus obliquum, & quærit revoluta quietem.
At non cedit amor; mutatâ ſede repugnat
Acrius, & Paridis manifeſtos obiicit ignes,
Conceptumque illâ ſupremâ voce ruborem.
His actam, & motu verſantem membra frequenti
Excipit Atrides, & blando murmure poſcit,
Qui languor, quæ cauſa repens ita viſcera quaſſet.
Illa acrem, haud falſo, cordis conqueſta dolorem,
Conjugis infeſti illecebras, atque oſcula vitat:
Dardanidenque ſuum repetit, nec pugnat amori
Amplius; huic ceſſit: gravior ſed cura recurſat,
Conqueriturque magis: ſtudium ſuſpirat inane,
Vanaque vota dolet ſecumque ita corde volutat.
Quid juvat, heu; miſeram his curis accendere mentem,
Quæ nunquam extingui valeant? ergo ipſa pudoris
Sacra, fidemque amens violem, aut pia fœdera ſolvam

Regalis thalami? nomenque insigne Lacæna
Inficiat? gravior noxa est quò dignior errat.
Præterea haud facile est oculos, curamque mariti
Fallere pervigilis, tantumque admittere Regem.
Durum etenim ignaram tot supposuisse periclis.
At nihil effugiam, fervens amor omnia vincit,
Et novit reperire viam, tempusque furori.
Sed quod nos magis atque adeo ad præcordia torquet,
Forte per immites infestis navibus undas
Dardanus ire parat, vel saltem certus eundi
Est meus ille brevi: meque & mea vota relinquet.
Deditus imperio est genitoris, & ardua tractans
Consilia, haud poterit nostris intendere rebus.
Sunt tamen ardentes flammæ, tua tela Cupido
Haud levia, & vis nulla tuis se viribus æquat.
Quod si pulchra Jovem genitrix deduxit Olympo,
Cur non hac hominem formâ retinere valebo?
Inde animum partes Helene versabat in omnes,
Queis captum vinclis teneat, quave arte moretur.
Ceu canibus studio ingenti venator odoris
Quum capream excussit, multave indagine cervum;
Si rursum elabi in saltus exploret opacos,
Acrius insequitur, nodosque & retia tendit
Circumdans omnes aditus; fertque illius ægre
Effugium, quem jam mensis inferre parabat.
Haud minus interea curarum fluctuat æstu
Priamides, neque adhuc somnum jam luce propinqua
Accipere, aut potis est depellere mente Lacænam.
Nunc raram effigiem sensu miratur inerti,
Nunc ardore furit; sortem hanc modo tristis Atridæ
Invidet, interdumque notas, & plurima grati
Signa animi repetens, spem læto in pectore nutrit.
Tum secum exclamat: Quantum mihi grata fuisti
Alma Venus: mali donum quo munere pensas!
Ipse equidem pueri arbitrium nunc jure tuebor,
Musarum sprevisse choros, artemque Minervæ
Et Junonis opes: quæ si sua cesserit æthræ
Regna, meam prudens malim præferre Lacænam.
At

Atcur hæc mea, perpetuo quæ addicta mariti est
Imperio, nisi furta parem insignemve rapinam?
Certum quippe sedet facto quocumque potiri
Velle Helenâ, & cunctis Paridem objectare periclis.
Sed quid agam? divæne ausim turbare quietem?
Quod mihi si tristi eventu forte irritus ibit
Conatus, jam stat miseram hanc abrumpere vitam,
Præcipitemque animam tenebras extendere ad imas.
Ergo age, quæ talis felicia gaudia fructus
Porrexti prior, immenso succurre labori:
Stella micans tu, duxque meæ es, spesque una salutis.
Tum velut ignotâ fessus regione viator
Si a rectâ detorsit iter, nec longius audet
Vadere, præteritum tædetque revolvere callem:
Hinc campi in medio, densave sub arbore sistit,
Si quem forte viâ comitem qui pergat eadem
Prospiciat, quive ancipites regat incola gressus.
Haud secus Iliades, postquam sententia nondum
Constitit ulla satis, caussas simulare morandi
Cogitat: interea succurret tempus agendis.
Talia versarat dudum, cum fessa subivit
Tardus membra sopor, rursumque oblata Dione
Consilium probat, & mentem læto omine firmat.
Jamque refulgebat radiis lux alma coruscis,
Et properans cœli primam transcenderat oram:
Cum Regem Paris immensa spe lætus adibat,
Cumque illo frater jucunda fronde Cremones.
Atque Acamas Antenorides, natusque Dione,
Primoresque alii, nec non Priameja pubes.
Tum quoque parte omni regalia tecta fremebant,
Muneribusque intenta suis Spartana juventus
Itque reditque frequens, ac longo murmure complet
Atria: quadrupedes cornu, frenisque columnas
Obstrepitant circum, famulorumque intonat ordo,
Liminaque hastati servantes prima latrones.
Rex intus Danaûm venerandâ fronte coronam,
Sceptra manu gestans, populorum audire querelas.
Stant juxta lecti proceres, patrumque senatus,

Nobiliumque chori; quo poſtquam Trojus heros
Acceſſit, turbaque fuit cedente loquendi
Copia; tum primum longis ambagibus orſus
(Ut memorem faciebat amor) mandata parentis
Falſa refert, cauſaſque moræ prætexere tendit.
Namque ſuæ infelix repetens ab origine fatum
Urbis, & illatas Grajorum a gente ruinas,
Venit ad Heſiones lacrimas; ubi plurima queſtus
Æternum Telamoni odium, nec tempore longo
Extinctam rabiem, Phrygii tum dedecus ingens
Nominis, & Priami juſtas exaggerat iras.
Inde Aſiæ imperium extollens, opulentaque regna,
Parentes dicto populos, totque inclita fratrum
Nomina commemorat, metuendoſque Hectoris ictus.
Quotque objecta foret tellus Argiva periclis:
Sed tamen Iliaco Regi pia Numina mentem
Bellorum exortem, & cupidam inſpiraſſe quietis:
Hocque ipſum ſtudio adductum, quo cuncta duello
Præferre, immenſo teſtatum proderet orbi.
Jam tentaſſe omnes aditus, munuſque ſupremum
Delatum Atridæ, cujus prudentia cunctos,
Et præclara fides, virtuſque anteiret Achæos.
His ille ut placidas jamdudum intenderat aures,
Sic diverſa movens animo, vix coniicit unde
Hæc pietas, & tanta inſit fiducia Teucro.
Verum adeo propriæ capit omnes gratia laudis,
Sicque agit, ut falſo laudantis dicta ſequatur
Certa fides: igitur blandâ deceptus amantis
Arte Lacon, haud pauca refert, & nititur hoſti
Solvere Dardanio grates; tum recta probare
Conſilia atque animos, & multis fœdera jungi
Poſſe modis aperit: nec ſe cui credita tantæ
Res fuerit molis, caſu quocumque referre
Poſſe gradum; tandem imprudens ne cœpta relinquat,
Hortatur Paridem, ac præſens eventa moretur.

LIBER SECUNDUS.

Ille animo victor, postquam Lacedæmone sisti,
Regis sponte, datum est, omnisque exinde recessit
Mente pavor, jam nunc vacat indulgere furori:
Nec mora, nec requies, studium quodcumque puellam
Vertit in Oëbaliam, totusque incumbit amori.
Sævus amor quem non mirando numine cogit
Oblitum propriæ rationis in altera sese
Pectora transferre, atque alieno vivere sensu?
Cuncta ergo aggreditur; nulla intentata relinquit
Consilia, ut pulchræ teneros confirmet amores
Tyndaridis: Venerisque intendit callidus artes.
Ac, veluti Auroræ, Zephyrive profectus ab oris
Mercator, quem spes optati maxima quæstus
Traxit ad emporium, quo mercibus emptor opimis
Accedat; varias operosoque ordine casus
Promit opes, studiumque fori sibi comparat omnis:
Sic Trojanus amans gemmisque, auroque coruscans,
Et luxu vestes patrio, Serumque nitentes
Indutus, numquam ornatu bis cultus eodem,
Præstantem augebat formam; corpusque labore
Exercens vario vires ostendere, & artem,
Seu jaculo interdum, aut libratæ pondere massæ,
Sive fugâ certet veloce, agilive palæstrâ,
Primas sæpe tulit; vel quando interritus acrem
Urget equum, pedibusque instans, frenoque retentans,
Aut agit in gyrum, aut saltu, cursuve fatigat.
Interdum paribus ludit si prœlia turmis,
Victori acclamant omnes; seu spicula vibrat,
Sive leves vacuum jaculatur in aëra cannas.
Nec minus & gravibus cum pugna edicitur armis,
Intenduntque equites præscripto in limite cursum;
Adversa in medio occurrunt acie æquore bini,
Æraque pulsa sonant, fractisque hastilibus æther.
Hæc Paridi suadebat amor: sed gratius illud
Tempus erat, placidi cum cernere lumina vultus

Contigit, & longo præſentem adſiſtere tractu.
Hinc ſacras ſolenne aras, ludoſque frequenter
Lætus adit, ſegneſque horas, atque otia vitat.
Sæpius & lauta in multam convivia noctem
Exhibuit, populoque hilares plaudente choreas.
Sed quid agat? neque enim curas narrare latentes
Eſt locus, & coram lacrimis orare ſalutem.
Æſtuat impatiens ſe nec ſuccurrere votis
Poſſe ſuis, nec quem Argivæ diſcernere gentis,
Cui tantam fidens committeret advena molem.
At Regina pari dudum confixa ſagittâ
Virus alit, ſævitque nocens in corde venenum;
Inque dies late ſerpit, creſcuntque dolores.
Dum juge in Teucro ſtudium, aſſiduumque laborem
Perdita, totque ſui præconia ſentit amantis:
Jam quo plura haurit, majore incenditur æſtu;
Uritur, atque imis conſumitur ægra medullis.
Sed, poſtquam valido nequicquam obſtare furori
Nixa fuit, fruſtraque iterumque iterumque repugnat;
Victa diu tandem optatis laxavit habenas.
Inter Tyndareas comites non ultima Thecle,
Tum fuit, arcanas Helene cui pandere curas
Suerat, & a teneris ſemper convenerat annis.
At nunc grata magis, Phrygio quod creta fuiſſet
Sanguine: nam multas inter captiva puellas
Veniit, Herculeæ quo tempore Pergama dudum
Evertere manus, & Ledæ eſt tradita matri.
Unam hanc poſſe videt curis afferre quietem
Oëbalis: & rerum ſeriem, firmataque promens
Vota animo, fuſis lacrimis, linguaque trementi
Orat opem ſupplex, & ſæpe amplexa precatur.
Illa graves dominæ ardentis miſerata querelas
Annuit, ac blandis adhibens ſolamina dictis
Læta brevi ſperare monet, remque ordine texit.
Nec cœptum remorata, ducem mox callida Teucrum
Convenit, & patriam, nomen, caſuſque retexens,
Eloquitur molli quantum ſit grata Lacænæ,
Et quam fida diu, totque illi aſſueta per annos.
Quod

Quod si Tænariam nasci fortuna tulisset
Invida, jam felix, cunctisque beatior esset.
Verum dulcis amor patriæ, & natalis origo,
Desertis etiam quæ rupibus afficit ortos,
Arripit hanc sortem, nimiaque cupidine semper
Ardentem impellit Phrygios agnoscere campos,
Et patriis thus ferre Deis, sedesque parentum
Visere, cognatoque & amico fœdere junctos.
Hoc igitur miseram tantum deposcere munus,
Si quando Iliacas classem est ducturus ad oras,
Se deferre velit: Reginæ accedere nutum
Spem fore, quæ nunquam repulit majora petentem.
Audiit hæc hilari vultu Priamejus heros,
Atque illam ratus Idæo sibi nomine fidam,
Talibus alloquitur: Nulla hac mihi gratior unquam
Nuntia, nec nostro venit magis apta dolori,
Optatisque tuis: nam quod nunc Thecla petisti,
Quis neget ignotus? sed enim me plura fatebor
Debere, ac patriæ communis origine nexum. [ausim
Multum hoc pondus habet, meque ipsum impellit, ut
Ilicet arcanos soli tibi credere sensus.
Magna sequor, sed quæ interdum docet usus obire.
Nec te suspensam teneo, neque vera silebo:
Insanis agitor curis, & proxima letho
Vita labat, jamque in varios abitura recessus.
Nec patet ulla salus pesti, quæ fors tibi dudum
Cognita: nam tantum quis non præsenserit ignem?
At cur jam moror effari? me Tyndaris urit,
Exitiumque feret, nisi vestro munere vivam.
Haud me, cara fugit, nutrix, nimis ardua posci,
Et minus apta meæ, sed non indebita sorti.
Certa loquor, nec Theclæ unquam mentita referrem,
Verum nunc minime fas est arcana Deorum
Pandere consilia, & mentem; non id tamen unum
Præteream: pacta debent mercede Lacænam
Dii superi, speque hac fretus Lacedæmonis urbem
Accessi, votumque sequar: nec me ardua terrent
Cœpta, sed egregiæ victorem evadere pugnæ,

Decretumve mori, & solari hoc funere manes.
Tu nunc una potes tristem hunc avertere casum,
Et nobis curam, atque animum mollire puellæ.
Sic postquam effatus, collatis Troada donis,
Promissisque onerat: solata est illa labantem,
Spem præstans dubiæ menti mandata referre.
Nec placuit tunc ardenti simul omnia Teucro
Prodere; & in duris quia major gratia rebus
Debetur, sæpe ancipiti spe lusit amantem.
Verum ubi nequicquam votum commune duorum,
Seque inter variis signis, nutuque loquentes
Dissimulare potest, curas jam detegit omnes;
Itque, reditque frequens Thecle, quam nomen euntem
Crebrius excusat Phrygium, & nunc dicta reportat
Mollia, nunc longo defertur epistola textu
De re plura loquens, levibus modo plena querelis:
Quandoque immodico designans gaudia lusu.
Interdum proprio juvenum fabricata labore
Dona libens, variisque notis inscripta ferebat.
Sic igitur studiis ardent concordibus ambo;
Mens eadem, ut tuto læti potiantur amore,
Illicet Argolica pariter decedere terrâ.
Interea motu vario Minoja proles
Dissidet, antiquos Atrei dum plurimi census,
Et multas partitur opes, litique supremum
Impositura diem Cretæâ edicit in urbe.
Linquit & Euboicas Belides inclitus oras,
Et Clymenes, Merionque potens, Dictysque vocantur,
Minoisque alii quacumque ex parte nepotes.
Poscitur & conjux Helenes: at certus eundi
Non videt infelix, quâ res sub mole relinquat;
Nec patriæ damnum, turbandamque Hellada sentit;
Quodque adeo insanum est, formosam credere pulchro
Oebaliden Teucro: nec tum discordia gentis
Est animo, cladesque utraque ex parte sequutæ
Jampridem: nec Theseæ est memor ante rapinæ.
Fallitur Atrides: Paridemque affatur, inani
Consilio repetens caussas, subitique recessus

Com-

Commoda, ut optatæ ſtudio conducere pacis
Id valeat, quod tot præclari nominis una
Conveniant Reges, quibus hæc ſint ardua curæ,
Et queiſcum vario tractari examine poſſint;
Ipſe modo ut maneat, rurſuſque iterumque precatur.
Annuit immoto is vultu vix pauca loquutus:
Et ſimulans viſu curas, ſpem pectore celat.
Nec mora Tænario Regi, jamque ire parabat,
Cum falſos dantem gemitus, fictaſque querelas
Uxorem alloquitur, lacrimantique oſcula figens
Commendat Spartæ cives, populoſque merentes,
Et parvam Hermionen: mandat ſuper omnia curam
Hoſpitis Iliaci.
Inde abit Ægæum diſcindens remige pontum.
At non ſollicitos ſors hæc effugit amantes.
Jamque optata diu tandem veniſſe tuentur
Tempora, nec labor eſt; concors ſententia perſtat
Ire viam ceſſitque dies; nihil amplius obſtat,
Nil metuunt, poſtquam tutos diſceſſus Atridæ
Reddidit inviſi, nullaque ex parte requirunt
Officium Theeles: ineunt ipſi improba coram
Conſilia, infamemque fugam, nec plura morantur.
Inſtruit Iliacam deſueto remige claſſem
Dardanus; hinc Helene collectis ordine rebus
Dirum carpit iter, carique oblita pudoris
Tota abit in vetitum, furiiſque Cupidinis ardet.
Nec natam, patrioſque lares, aut impia famam
Curat, ut illicito veſana incumbat amori.
Nec minus auſa probant comites infanda ſequutæ.
Tum læta ante alias Theele, geminæque ſorores
Sanguinis Atrei, famoſi criminis ambæ
Participes, ſociæque, œſtro quas ſævus eodem
Extimulabat Amor: Acamantem deperit Æthre,
Altera formoſo Clymene eſt addicta Cremoni.
Talis, dum pelagi ſulcaret adultera fluctus;
Oblata eſt procul in magno vetus inſula tractu
Dicta prius Cranaë, Sporadum intermixta latebris;
Quæ licet aſperior, rariſque habitata colonis,
No-

Nota tamen, clari quod nominis educat herbam
Serpyllo similem foliis, ac cespite largo,
Cui lenire cutim, & Venerem placare potestas,
Atque mero infusæ lætos ostendere vultus.
Hic classi requies, blandosque excerpsit amoris
Priamides fructus: cujus ne longa periret
Fama boni, gratæ ponens monumenta quietis
Uno Helenes herbam, atque locum cognomine dixit,
Instituitque sacris templum solenne Diones.
Inde iter inceptum peragunt, & cærula versant.
Nullus tum liquido glomeratus in aëre nimbus,
Nullus erat placido circunfluus æquore vortex,
Et flatu Zephyri tendebant vela secundo.
Ipse repugnantes Boreas tunc mitior auras
Pressit, Erichtheæ repetens sua furta puellæ.
Suscipit infaustum raptor Priamejus omen;
Atque Helenæ thalamos, & non inglorius ultam
Conspicit Hesionen: sed enim contraria votis
Scilicet humanis aliam Rhamnusia sortem
Obtulit, & cœpto fecit desistere cursu.
Nam telluris inops Dido, sed ditior auri,
Pigmalioneas fugiens Sichæja fraudes,
Affuit in medio Trojanis obvia ponto.
Illa quidem patriis haud jure penatibus exul,
Nec sibi ad auriferum sedes optaverat Hermum,
Felicesque Arabas, aut fertilis horrea Nili,
Vicinosque Asiæ campos: quin cauta petebat
Italiam, mundique decus, nisi fata repugnent.
Verum alio infelix agitata furentibus Austris
Inclinarat iter Græcorum ad littora versus.
Quæ procul ut vasto conspexit in æquore Teucros
Objectas inferre rates, jam gnara malorum,
Et graviora timens (neque enim metuisse cavendo
Adversa indignum est) classem subsistere jussit.
Interea solido direxerat ordine proras,
Et pila, & contos, & ferrea vincla, trabesque
Struxerat, harpagonasque, informiaque armamenta,
Quum prior auratum Phœnissa aplustre virago

Im-

Impellens Tyrios dictis accendit & ausu
Egregio, suaderque ulcisci conjugis umbras.
Nec secus Hectorides Cretenses tendere contra,
Cappadocesve ratus piratas, quive Pelasgum
Sæpius incursant Cilicum navalibus æquor,
Multijuges statuit porrecta in cornua pinus,
Implicuitque leves stabili compage carinas.
Hinc tribulos, plumbumq; picemq;, & sulphur, & ignes,
Telaque terrificique parat tormenta fragoris.
Præterea Æneam mittit, qui verbere crebro
Undam agitans prima exploret discrimina Martis,
Jamque ille haud procul intrepidam properabat Elisam
Sævior, & pugnâ explessent præcoce furores:
Nec Carthago olim, vel fors nunc Roma maneret.
Quum Sol hesperiis condens in fluctibus orbem,
Noxque incerta animis ardentibus intercessit.
Inde fatigatis repetentes agmina tonsis
Lassatos curare artus, & ubique locantes
Excubias atris speculari insida tenebris.
Tempus erat quo cuncta suis animalia curis
Solvit primus amor somni, quum Cynthia nobis
Imminet, adversoque micat sub cardine Titan.
Tum Regina sago recubans Sidonia vili,
Ambiguam sero captarat lassa quietem.
Ecce viri remeans a sedibus umbra beatis
Tales visa pio est effundere murmure voces:
Ille ego sum, Dido, cui maxima conjugis olim
Cura fuit, dum felices simul egimus annos.
At postquam infandâ dissoluit cæde hymenæos
Frater, & infernas solum detrusit ad umbras;
Sollicito manes, & nunc Ducis ante tribunal
Tartarei, assiduosque Hecatæ simul edere questus
Non moror, eventu ut cedant tibi vota secundo.
Ipsa maritali lustrasti funus honore
Corporis effossi, & celasti marmore bustum.
Hinc ego (sunt justis sua præmia) vere potitus
Perpetuo, patriæque adsum felicis alumnus.
Ergo meas animi penetralibus accipe voces,
Quæ

Quæ ſeri obſervent utinam mandata nepotes.
Deſere fatales pugnas, infauſtaque ſemper
Bella ſequi, nec ſic noſtros ulciſcere caſus.
Nam neque Pygmalion, quam cernis in æquore claſſem,
Ducit; & hoſtiles dux non oſtenderet iras,
Ni prior audaci tentaſſes prœlia remo.
At fuge Tyrrhenos dulcis Sichæia campos,
Diverſoque aliam ſortire ſub æthere ſedem;
Quod ſimul ac profugæ fatalia mœnia genti
Fixeris, hæc precibus veniet ſors proſpera noſtris.
Arduus extremos ubi Gallia tangit Iberos,
Surgit apex, latere in pelagus qui tendit utroque,
Forte Pyrenæum dicent, nam monte frequentes
Lucos Silvicolæ Paſtores igne cremabunt,
Inde fluens calidis argentea bractea venis
Occluſum oſtendet locupleti in rupe metallum,
Quo claram Tyrii patriam, ſceptrumque parabunt
Immenſum. quid enim mortale potentius auro?
Dixit, & intentam monitis excuſſit amantem.
Paruit illa viri dictis, demiſſaque tendi
Vela jubens, tandem variis agitata procellis
Condidit in Lybico venalem littore Byrſam.
Interea trepidæ metuens Sichæus Eliſæ,
Ne rapido inſtarent fugientibus agmine Troes:
Invocat Elyſios manes, Herebumque potentem,
Et mox Iliacas miro ciet impete naves.
Jamque illæ ut ſteterant, curſu vertuntur in Eurum:
Vixque fide dignum eſt, pinus abiiſſe natantes
Ocyus, Eoo quam ſtridula cuſpis ab arcu
Evolat, aut quam avidus prædam quum deſpicit ales!
Segnius & celeri ſimulat deſcendere lapſu
Sidus, & excuſſum demittitur æthere fulmen:
Tum quoque flaminibus nullis, ſed concita motu
Vela tument, mugit clavus, ſtridentque rudentes.
Scilicet obſtupuere omnes, hebeteſque ſopore
Prærepto, proras crebro & percurrere puppes.
At quid agant? nec enim ſiſti tunc arte, nec ulla
Vi potuere rates; auget nox alta timorem,
Men-

Mensque memor sceleris: jam solo id numine Divûm
Evenisse putant: sed iniquum in crimine Regis
Imperium excusant, superosque frequentibus ergo
Sollicitant timidi votis at Dardanus astrum
Suspiciens Veneris, tacito vix murmure, cœli
Implorare fidem, & Divæ promissa recensens,
Ejus se nutu impulsum, jussisque suasum,
Nec falli fas esse Deis auctoribus ullum.
Tum matutino Phrygiis apparuit ortu
Lucifer, & dubio firmavit lumine cursum:
Jamque novam pallens lucem ostendebat Apollo,
Purgabatque udas tetrâ caligine terras;
Quum procul apparet turris, tabulataque nautas
Summa monent pelagi vitare pericula falsi.
Hanc fertur celso sic vertice Sostratus olim
Erexisse super scopulum, ne tanta pateret
Externis jactura viris, nam cautibus æquor
Difficile ignaros reflexis falleret undis.
Protinus exultant Teucri, terramque requirunt.
At vada perlustrans clavumque & dirigit axem
Puppe sedens altâ rector, nautisque superbe
Intonat, & magno torquet terrore flagellum.
Sicque diu refluis lassato remige tandem
Fluctibus, optato consistunt littore Troës.
Hic extrema duos tellus Ægyptia colles
Proiicit in pelagus, per quos Pharus insula tractu
Clauditur oblongo, geminosque ad cornua portus
Efficit: Eoos Acrolochias aspicit ortus,
Hesperias alter Eunostus vergit in oras.
Quo postquam egressa est totis Priameja castris
Turba, Deis reduces instruxit Dardanus aras.
Ipse coronatis Helenâ comitante capillis
Prima Salutari solvebat vota Dianæ.
Proteus interea Neptuni sede relicta,
Cæruleique gregis studio, de more vetusto
Gaudentes populos, gratamque inviserat urbem,
Atque graves abigens curas, magno agmine campos
Circumierat, trepidamque sagaci indagine prædam
Im-

Immaneſque feras multo ſudore premebat.
At poſtquam occiduos procul inſpexere receſſus
Solis equi, celeres declivi tramite currum
Pone trahunt, notaſque diu ſitientia in undas
Labra, & ſpumantes properant immergere rictus.
Tum quoque defeſſis gratæ indulgere quieti
Tempus adeſt Phariis, reflexaque cornua buccis
Aptant, & tumidis, quanta eſt vis, faucibus efflant.
Ilicet emiſſis reboant clangoribus antra.
Prataque cum ſylvis, & denſior arbore lucus.
Inde canes variis ſtrepitum latratibus augent
Æthera ſcindentes, & quo paulo ante ſolutis
Gaudia teſtati vinclis, dum ſanguine paſci,
Et ſimul hoſtiles ſperant evertere fœtus,
Nunc ſimili [ſua cura feris] clamore queruntur,
Impaſtique dolent, & multi ad clauſtra reduci.
Nec mora conveniunt trepidi, aptaturque paratis
Copula, nectunturque ſuis ſua vincula millis.
Illi autem æternâ contenti pace revertunt:
Nam neque ſollicito ſulcantes remige pontum
Infeſtaſque artes, atque impia bella peroſi,
Ocia ſecuro vitate inimica labore
Inde ſitim valido extinguunt ſudore receptam,
Et placidam aſſiduo carpunt ſudore quietem.
Qui læti curas removent ſudore diurnas.
Jamque propinquabant primi, præmiſſaque longo
Ordine prodiderat venientem pompa Tyrannum;
Cum Teucer prædæ metuens, poſtquam omnia cautis,
Diſpoſuit ſignis, tum primum occurrere Regi
Cenſuit, aſſuetumque Ægypti doctus honorem
Ad genua injunctis manibus, ſic Protea ſupplex
Affatur. Si magna tibi vis cognita dudum
Fortunæ, & pelagi, cunctiſque exinde timendum eſt:
Æquum erit, ut noſtros foveas Rex optime caſus.
Troja mihi natale ſolum, Priamuſque ſuperbæ
Rex Aſiæ pater eſt, & quæ tulit Hectora mater.
Ille quidem (ut ſemper genitorem gloria nati
Excitat & virtus ſit clarior omnis agendo)

Ne mea si qua subest, ævo torperet inerti
Insita vis animi; classem, sociosque paravit.
Et primum ad veteres jussit dare vela Mycenas,
Si qua hostes possent induci ad fœdera Graii.
Jamque ego tractatâ, sed frustra, pace redibam,
Atque omnes pelagi casus superasse videbar:
At vetuit, votumque diu sors vana fefellit.
Namque per Ægæos classis contraria fluctus
Obstitit, & cœpto fecit desistere cursu.
Nox erat, & prima sperabam prœlia luce,
Quum vis mira freti, seu vis fuit illa Deorum.
Compulit insolita nox tantum errare procellâ.
Et quoniam magis esse solet suspecta latentis
Caussa fugæ [caput hoc testor superosque minaces]
Hæc nos haud vestris pacata ad littora damnis,
Nec venisse dolo; sed vi pelagoque coactos.
Tu profugos admitte precor, si præmia tanti
Officii exspectas, aut te clementia summo
Sceptro digna movet, vel priscæ stirpis origo:
Namque Phryges hominum fama est vixisse priores,
Unde trahit sobolem Memphis cognata secundam.
Hæc licet audierit commoto pectore Proteus,
Ambages Paridis fictas, & crimina noscens,
At sic pauca refert: Prognate e sanguine gentis
Laomedonteæ, nec tempus plurima fandi est,
Nec locus; at requies captanda, & quæ hospita cunctis
Aula patet, nullosque arcere penatibus unquam
Sueta, pio vos hospitio laribusque benignis
Suscipit una omnes: mecum succedite tectis;
Hic tuta est statio: dabitur lux altera nostris
Colloquiis, longoque mihi sermone terenda.
Hisque simul Phariam Teucris comitantibus urbem
Ingreditur, simul & Trojanæ plurima classi
Ferri dona jubet, niveæ funalia ceræ,
Et fructum Cereris genialem, & munera Bacchi,
Arboreos etiam fœtus, tum pinguia septem
Viscera taurorum: verubus pars assa rotatis,
Pars infrixa adipe, atque undanti elixa lebete.

Sic igitur, quique in tectis, ratibusque morantur,
Dardanidæ penitus gaudent, pelagique labores
Convictu, ac vino pendunt, & corpora curant.
At non Iliacus curis absolvitur heros,
Sed placidos lusus, elapsaque gaudia dudum
Irrequietus amor tristi formidine pensat:
Cuncta timet, scelerisque memor, pulchræque rapinæ,
Et simul ambiguum pectus, suspectaque Protei
Verba putans, odit læto convivia plausu,
Insomnemque agitat noctem mens conscia noxæ,
Innumeros animo curarum suscitat æstus.
Et jam si qua foret digressûs copia, primum
Pergat iter, solusque Helenâ comitante recedat.
Verum incerta fugæ ratio est, & mœnibus urbis
Clauditur, & gyris ingentibus Amphitrites.

LIBER TERTIUS.

Interea miseris lucem mortalibus almam
Protulit e roseo conjux Tithonia curru.
Hinc surgit jubare exorto Priameja pubes
Stipatura Ducem, cumque imo in limite cœli
Lustraret radiis magis alta cacumina Phœbus,
Ad Regem simul accedunt, tum sacra parabat
Ille Jovi summo, & Paridem in penetrale vocari,
Arcanumque adytum mandarat, eoque Cremonem,
Atque Anchisiaden, magnoque Antenore natum,
Nulla mora est; animis pariter nutantibus aras
Secretas adeunt, & raro inspecta profanis
Antra viris: aderat mediâ pius æde Sacerdos
Inflexis genibus, rectoque sedilibus altis
Pectore inhærebat spectans orientia Solis.
Proxima fumanti redolent altaria thure,
Luminibusque micant, variisque affixa figuris
Signa super, tabulæque & certa volumina vatum.
Ipse ergo, Iliacis templum subeuntibus, ullo
Non motus nutu, sed longo murmure dudum
Numen adorabat, votisque ardentibus omnes

Cor-

Corporis affecti curas, & pondera molis
Terrenæ excutiens, paulatim ad sidera puram
Mentem extollebat, superosque solutus adibat.
Ecce autem subito aspectu pallescere visus,
Sanguis abit, nullæ apparent in corpore vires,
Nec venas, artusve, aut pulsat spiritus auras,
Intentisque oculis, & parte immobilis omni
Hæret, ut exanimum corpus, gelidumque cadaver,
Aut opus, egregio quod tandem marmore finxit
Docta manus, tota penitus compagine vivum
Assimulans, cui sola animæ vis deficit alma.
Verum ubi jamdudum monstrum hoc mirabile Protei
Attonitis juvenes animis stupuere, vicissim
Ambigui sese aspectant, nec panditur ulli,
Quid speret metuatve; adeo tum visa repente
Lux illi emicuisse oculis, torpensque moveri:
Non secus ac longo e somno atque e nocte profundâ
Qui primum excitus, subiit vitalis ab omni
Parte vigor, solitoque intingitur ora colore.
Mox ubi cunctatus paulum sese ipse recepit,
Hæc solio incumbens divino est ore locutus,
Dardanii heroës, quæ vestros plurima sensus
Relligio, mixtaque premat formidine cura,
Cernere conspicuum est: quando hæc miranda Deorum
Atque ignota prius licuit tam clara tueri:
Sed, postquam fatum alterius, Numenque coëgit
Cœptum linquere iter, vosque has accedere terras,
Plura manent: quod frustra alii multa arte requirunt,
Vobis sponte datur sæclis patranda futuris
Noscere, sic placitum æterno quandoque Tonanti,
Ut late pateat cœlestis gloria doni.
Ille igitur sola mundum qui mente gubernat,
Egregius scelerum vindex, prudensque bonorum
Largitor, callere dedit mihi munere raro
Præterita, & quæ nunc instant, casusque futuros.
Haud satis idem etiam incolumes mihi protulit annos
Expertes penitus necis, & mirabile corpus
Concessit varios ultro aptum inducere vultus,

Et volucrum ac pecudum formas, undiſque natantum,
Rerumque omnigenas facies diverſaque monſtra.
Nec minor inde fuit Neptuni gratia, curam
Qui gregis æquorei ceſſit, pelagique potentem
Eſſe Deum, tribuitque coli ſolennibus aris.
Nec tua Priamide, dudum me præda fefellit,
Mendaceſque doli, nec quæ te pœna maneret;
Cujus ſumma manus ſocios in crimen adegit.
At nolunt hoc fata Deumque immobilis ordo
Plectere nunc facinus, quod non impune relinquent;
Namque ultrix Superûm lente ſeſe admovet ira,
Subſiſtenſque diu tolerat ſcelerata nocentum
Vota, queant ut jam putres abſtergere labes.
At, ſi quem averti a noxis ſpes nulla ſuperſit,
Protinus effuſas vindictæ laxat habenas.
Conpenſatque ſevera moras graviore flagello:
Sed quæ juſta Deis ira eſt? quando omnia nutu
Ipſorum eveniunt, quodque eſt ſuper æthera ſcitum,
Evitare nefas: aut quæ tum pœna coactos
Æqua manet, cum fata trahunt? Venus imminet Idæ,
Inſanoſque animis obliqua enutrit amores.
Inde autem infames Latonæ nata Mycenas
Obducto inſpectat radio, bellumque minatur
Efferus Armipotens, Senior cui falce recurvâ
Jungitur, ardentes protendunt ſidera criſtas,
Et medius placido connivet Juppiter aſtro.
Cui vis ergo fuat cœleſtes fallere motus?
At pater omnipotens proprium dedit omnibus ultro
Arbitrium, prava ut rectis præferre liceret,
Et quamvis ſummi nutu genitoris agantur
Cuncta, nec invito fieri quid Numine poſſit;
Haud tamen arctamur. ſed libertate perenni
Humano aſſiduas verſamus pectore curas,
Mox placitum ſponte eligimus, ſequimurque volentes.
Cumqae ſuperna aliquid portendunt ſigna futurum,
Id Deus e ſummo præſens adſpectat Olympo,
Terriſque ante diem demonſtrat imagine cœli.
Sic igitur ſcelere indigno ſuccenſa per orbem
La-

Late odia, & bellis ardentes undique terras
Conſpicio, hinc longo tandem poſt tempore regni
Excidium Phrygii, Priamumque extrema ferentem,
Cunctorumque fere natorum funera; nec te
Gaudentem rapto infelix vis ulla juvabit.
Mox etiam intueor palantes omnibus undis
Relliquias Troum, & diverſo in littore fuſas.
Heu ſortem humanæ gentis ratione carentem,
Quæ cum dura venit, numquam uno vulnere lædens.
Damna frequens parat, & vix lapſa ſequentibus urget,
At contra ſi lenis adeſt, nova gaudia ſemper
Felici accumulat, doniſque recentibus auget.
Haud aliter poſtquam adverſis exercita votis
Jam Fortuna diu fuerit, deponet acerba
Sponte odia, & quantum fundo depreſſerat imo,
Tantum ſublimi feret altam in vertice gentem.
Vos juvenes palma hæc ſpectat, vos tanta manebit
Spes, olim Italico quæ tantum accedet honori.
Et, te nate Dea, primum qui claſſe procellis
Jactata innumeris venies, ubi Tibris in æquor
Influit, atque armis hic parta conjuge ſedem
Conſtitues, ponet mutandam filius urbem
Sylvius, hinc Gemini demum Mavortia proles
Albanas linquent arces, & mœnia Romæ
Romulus Æneades occiſo fratre locabit.
Hic igitur miranda loci primordia, ſceptrum
Orbis ubi ſtabitque caput: namque æmula virtus
Ingentes humili eventus prædicet in ortu.
Dumque libens recolo, quæ pace, & plurima bello
Roma geret, totque heroum, tot clara virorum
Pectora: mens hæret potiuſque ardentia cœlo
Lumina, & Oceani fundo numeremus arenas;
Id loquar, Ænea, gentem nulla afferet ætas
Poſtera, quæ major, populove æquanda Quiritum,
Nec quem orbis reliqui clades, moveantve rapinæ.
Quandoquidem regnum omne ingens, ſummiq; poteſtas
Imperii ferro violenta exordia ſemper
Aut cæpere dolis; ſed longo tempore demum

Confensum præftant populi, affuetisque volentes
Subiiciunt fe deinde jugis, tum jure creare
Legitimo Reges cenfent, rerumque potentes.
O fortuna hominum, & vitæ mortalis iniqua
Conditio, humanæque vices, quæ cuncta rotatu
Volvitis affiduo, folitoque errore perennem
Lætitiam exofæ fupremâ in parte locatos
Ad fedes fato urgenti detruditis imas.
Quæ tot jura dabit populis, totque urbibus ingens
Imponet regnifque jugum, mox fubdet eisdem
Cervicem mifera, atque vicem collapfa rependet.
Sed tamen egregium eft felici fidere nafci,
Et condi ominibus lætis: en Roma futuris
Tot devota malis, fummum haud deponet honorem;
Primam etenim veræ fedem pietatis adepta
Pontificum titulo formidandifque tiaris
Major erit, miroque hic propagabitur auctu
Relligio, quæ dehinc variis agitata procellis
Ambitione patrum, & ferpentibus undique luxu
Immodico errorum fectis, tandem ultima victrix
Ad mores renovata pios in fæcula tendet.
Ergo illis felix ævum, divinaque large
Dona ferent Superi, quos tanti muneris olim
Auctores dederint: at veftri hic feminis unus,
O focii, Divûm celsâ illâ in fede locandus
Occurrit, columen facri qui nominis ardens
Proteget, infignis fama, reque amplior ipsâ;
Tum fpecie, atque animo, & præftans virtute, piorum
Anceps Concilium, & ftudia in contraria verfum
Componens, fataget rebus fuccurrere lapfis.
Verum ego cur mœrens, bilique accenfus amarâ
Prætereo, quæ dira facros fententia patres
Impellet duram Hefperiis indicere legem;
Ut Capitolinos pofthac Germania Reges
Ad feptem procerum nutum legat, unde tot annos
Urbefque & populi, leges, fafcefque requirant.
Quod fi amplo, varioque fitu, fi mole virorum,
Et numero, atque opibus terras fuperambiat omnes:
Sat

Sat fuerit si in conventu suffragia tanto
Æqua ferat, summosve aliis sociarit honores.
Sed, quoniam fuerat monitis fatalibus ante
Decretum Augustæ culmen ditionis ab ortu
Ad Solem occiduum cursu deferre perenni;
Sors quoque ad extremos hæc demum tendet Iberos.
Namque ipsis dabit externo de stemmate Regem,
Quem summo ornatum sceptro tam læta fovebit,
Quantum aliquem Æneadum, rerumque ad sidera tollet
Gestarum fama, & domitorum gloria Regum
Verum etiam ille suos manes patietur, & isdem
Temporibus Deus orbem alium, penitusque repostas,
Atque diu ignotas, alioque sub axe jacentes
Ostendet nostris terras. quarum undique gentes
Mirentur novitatem, alias speciesque, habitusque,
Naturasque hominum, cœlique, solique, marisque.
Montibus hic, fluviisque auri, argentique redundans
Copia: tum certo fiet manifesta periclo
Antipodum via, sed magnus dum cetera vates
Prosequitur. casu incertum est nutune Deorum
Ecce Anchisiadæ subitus sopor occupat artus,
Excelsusque thoro sensu languente cadit vir.
Pectora tum comitum casu tremefacta repenti.
Verum ipse ut spatium nactus paulisper anhelis
Flatibus, atque gravi dehinc murmure respiravit;
Sic iterum: o juvenes, ultra quid fata reposcant
Æneam nunc scire nefas: nec pauca supersunt.
At non cuncta uni Superum prudentia defert.
Vos etiam præclarus honor, stirpsque alta sequetur;
Utque ambos nunc exagitat par cura suorum,
Sic pariter sævi ereptos discrimine belli
Eventus varii, fallacesque æquoris æstus
Extremo tandem Adriaci maris aggere sistent.
Hic partitus opem, gentesque, & sacra Cremonæ,
Invitum fesso cum patre Acamanta relinques,
Et sedem inde aliam fato ducente requirens
Idæo Eridani penetrabis in ostia remo.
Sed postquam adverso ductaris gurgite pinus,

Attigerisque diu medium vix fluminis alveum,
Qua procul uberibus pandet se Insubria campis:
Ecce novum dictuque ingens, at numine Divûm
Iliacas puppes rapidæ alti verticis undæ
Impellent, dextroque infigent littore proras,
Nec studio, aut poterunt divelli hinc viribus ullis.
Tum manifesta aderunt iterum præsagia Teucris.
Namque agro visa explorans delubra propinquo
Fatalem Jani invenies & conjugis aram.
Ille quidem spretor bellorum, & pacis amator
Ostendet sedem hanc profugis, requiemque paratam
Quæ tu monstra sequens, atque aura affatus Olympi
Hic muros statues, quos instar navis in orbem
Signabis, malique loco prisca æde relicta
Annua decernes Jano cum conjuge gratus
Sacra, tuique addes fulgorem nominis urbi.
At validis posthac Æneja Roma colonis
Præsidium imperio hic statuet, quo tutius hostis
Barbarici evitent damna, insanosque tumultus.
Sævitiam prius ipsa tamen passura suorum,
Quam belli cladem externi, felicius ævum
Mox ducet, fatoque diu meliore fruetur.
Quandoquidem templis domibusque extructa superbis,
Ingeniis armisque vigens atque ubere campi,
Italicas inter celsum caput efferet urbes.
Quod si omnes rerum eventus, & gesta referrem,
Nec mihi multa dies, nec vox, aut lingua loquenti
Sufficerent: immenso igitur quamplurima saltu
Transiliens, longo post tempore gesta silebo:
Donec viperei fato inclinante manipli
Exurget juvenis, cœlo quem Sfortia gignet
Flaminio, Italicis præclarus Sfortia bellis.
Huic natam Rex Insubrum, solamque parenti
Progeniem thalamo junget, dignisque hymenæis.
Et vestram titulis cedet dotalibus urbem.
Ipse diu Ausoniæ signis victricibus oras
Percurrens, postquam socerum suprema cadentem
Fata petent, invicto animo, validisque Cremonæ

Præſidiis ſumma audebit, tum ſtemmata, reſque
Conjugis accipiens, Inſubrum regna tenebit
Felix, conſtituetque optatæ fœdera pacis.
Hujus ego egregias animoque, & corpore dotes
Quum repeto, ac gratum linguæque oriſque decorem,
Tum pectus pugna intrepidum, præſentia nec non
Conſilia, & bello fortunam, atque inclita facta;
Præteritis vix major erit, ſæcliſque futuris:
Hinc nimio ut luxu pariter galeæ aptus & armis
Natus ſceptra reget: ſed, poſtquam interrita magnis
Ipſum auſis celebres manus obtruncarit ad aras,
Filius imprudens regni juvenilibus annis
Succedet, ſolo genitorem nomine reddens.
Ecce autem triſti patruus rumore ſequetur,
Quem rerum præſtantem uſu, gravibuſque tumentem
Conſiliis, longum Heſperius mirabitur orbis.
Sed quam vanæ hominum curæ, nimiumque procaces
Fortunæ luſus! nam majus ut horrida robur
Oſtentet, cæpta evertit malefida potentum.
Ille igitur Celtarum armis clauſtra ardua pandens,
Italicam abrumpet non tali mente quietem.
Namque aliis bellum intexens horrenda parabit
Fata ſibi, & Latio miſerandæ exordia peſtis.
Aurea tum latè florebunt lilia, donec
Alter avi referens præclarum Sfortia nomen,
Externo auxilio, civilique agmine, & omnis
Aſſenſu Auſoniæ, ſedes intrabit avitas.
Sed gravis hic labor, & valido tentatus ab hoſte
Sæpius, evertet bello tria caſtra trienni.
Treſque duces, qui tot caſus, & funera, totque
Experti clades, Ticini ad mœnia tandem
Spectabunt Regem illum animo membriſque opibuſque
Ingentem, captivum adverſæ haud cedere ſorti.
Ergo idem Hiſpanas primum ducetur ad oras.
Cæſarei at proceres hunc magni criminis ante
Delatum, regno erepto vixque arce receptum
Et vallis, & foſsâ, & milite circumſident.
Quæ non damna feret, quæ non miſeranda videbit

Hic ipſe, atque graves infeſto ex hoſte ruinas?
Nec tantum id ſileam; quamquam omnes debilis artus
Morbo acri, & rebus modicis, ſpeque auſus inani;
Haud tamen ante loco cedet, quam triſtis egeſtas
Extrema, & fame defectum penuria coget.
Jamque anceps feror, an miſeram ſors improba ſedem
Sfortiaco heroi, aut felicem læta pararit:
Quando ipſum exitio populorum, omniſque tumultu,
Europæ, ac patriæ damnis rerum omnium egentem
Excierit, totoque hærentem corpore, & ægrum.
Verum parte alia adſpirans tot ubique periclis
Elapſumque malis, contra tot tela, tot hoſtes
Proteget, & certo pacabit fœdere regnum.
Scilicet hæc ſuperis primum laus inde Cremonæ
Debita erit: nam, quæ ſceptri primordia figet
Sfortiaci, feret auxilium plerumque cadenti.
Quin hic filii alid, genio impellente recludam.
Quamquam etenim ſacra Romani in claſſe ſenatus
Optari dabitur cunctis, nullamque galero
Purpureo gentem excludet; longum tamen una
Urbs tua tot decorata bonis, tot dotibus omne
Promeritura decus tam clari muneris expers,
Et caritura diu eſt; donec pia numina ſortem
Mutabunt, varioque aſtrorum lumine fructus
Trunca novos arbor valido dabit incremento.
Hæc effatus erat Proteus; & plura tenebat
Promenda: at longo fatorum examine feſſus
Subſtitit: illi autem feſtini ad littora tendunt,
Pertæſique iter, & peregrinæ incommoda terræ,
In patriam reditum exoptant, finemque laborum.

FABII SFORTIÆ

FOROJULIENSIS.

Contra Selimum.

Per mare dum pedibus, per ſumma cacumina remis,
  Inſuetas Xerxes audet inire vias;
Confuſas leges, faſtuſque exoſa ſuperbos
  Fortuna inſanum perfida rupit iter.
Quique olim fuerat Neptuno vincla minatus,
  Penſavit vili poſt ſua facta fuga:
Sic tu ſæve Selin, dum ſpe tecum omnia vincis,
  Adverſoque audes bella movere Deo:
Et Venetum contra cupis adventare Leonem,
  Et ſanctas fidei dilacerare comas:
Vinceris ut cauſſa, pariter ſic vinceris armis:
  Sic etiam poſthac ſemper inermis eris.
Quodque Cypro damni dederas, tibi fœnore magno
  Id Leo in Joniis reddidit ultus aquis.

Iſmarium exiguo periturum tempore monſtrum
  Dixerunt vates, credite, vera canunt.
Namque animal lethale vomens e pectore virus
  Mortifero immites quod necat ore feras,
Hoc inſigne Pater, claris fatale triumphis
  Maximus a Decimo Tertius omen habet.
Scilicet hæc nobis dant ſignum inſignia: ſerpens
  Barbarus aſpectum procidet ante tuum.
Auguror hoc tibi ſumme Parens, nam clara ſereno
  Fulſerunt cœlo ſidera: victor eris.

BAPTISTA SICULUS

In Auctoris Persona, ad Lectorem.

INgenium superasset opus nunc Dædale; si me
Legisses, validis volitare per aëra pennis
Vidisses teneri trepidantia brachia nati,
Et posset Siculus totum quâ verteret orbem
Inventâ gaudere basi, curaque solutus.
Si quis Hyperboreos ardet discindere montes
Æmulus assiduo superet Babylona labore,
Condat & excelso pendentia culmina Olympo.
Velificatus Athos narratur, jungere terras
Pontibus humana instruxit sollertia, sed te
Non minus ista juvent volumus, quam pagina signat.
Nostra oppugnabit munitos machina muros
Cautius, hac poterit sese hostis ab hoste tueri,
Terrigenisque minus nocuissent tela Tonantis,
Frustra & Trinacrii sudassent brachia fabri;
Enceladus siculâ nec jam premeretur arena.
Quo privata domus, quo Regia tecta struantur
Ordine, quo loca sacra Deûm ornes, quove profana,
Certus eris, quo rura colas, quam fertilis illinc
Surgat ager, læta ut capiant vix horrea messes.
Inde operum vitia emendes; qua regula, quemve
Quisque modum rebus tandem proponat agendis.
Accedit post hæc Romanæ gratia linguæ;
Si te forte juvat nulla pallescere culpa
Eloquii, eloquium hic est, quodque imiteris habebis,
Et quæ nulla tibi veterum monumenta dedere

Hic

Hic noſces, lectore, meas ſi volvere chartas
Non pigeat, loculiſque tenax ſi incumbere avaris
Dediſcas, largas ſi bibliopola ſonanti
Impleat ære manus, noſtros legiſſe labores
Non te pœniteat, celeri quos callidus arte
Impreſſor doctæ perſtrinxit robore dextræ

MICHAELIS SILVII

Ad Titianum pictorem.

A Te uno pingi voluit Titiane Diegus,
  Pictores unum quem probat ante alios.
Qui ſibi tam ſimilem facis hunc, ut dimidiatum
  Se credat: magnum hoc: efficis arte tamen.
At contra ſuaves mores, & pectus, & illud
  Tam cultum ingenuis artibus ingenium
Formari a ſe uno voluit Titiane Diegus:
  Quanto eſt hoc quam illud rectius, & melius?
Qui pingenda tibi quæ ſunt moritura reliquit,
  Formanda aſſumit non moritura ſibi.

BAPTISTÆ SPAGNOLI

MANTUANI.

Ad D. Falconem Protonotarium.

SUnt propria, ſunt qui niteant virtute parentum:
Falco, tuam radiat ſplendor uterque domum.
Sed tuus eſt major: nam quidquid laudis in omnes
Sparſit avos virtus prodiga ſolus habes.

In eumdem.

Si te triſtis adit quiſquam, cur lætior exit?
Falco, tuum Charites concomitantur iter,

Eidem.

Cur male cuſtodit tua janitor atria, Falco?
Quod ſcit in occulta turpe domo eſſe nihil.

Ad eumdem.

Cur tibi tam levis eſt, cur tam jucunda ſenectus?
Libera quod vitiis tota juventa fuit.

Ad Franciſcum Gonzagam Pr. Mant.

Dant ſua Romanis victæ cognomina gentes,
Et jam patratum teſtificantur opus.
At nondum victi dederant tibi nomina Franci:
Hæc tibi venturæ nuntia laudis erant.

In-

Infans a lupo invasus.

Fert lupus infantem prensa cervice: pater se
Proripiens nati pendula crura tenet.
Dum rapit, inde fames, pietasque ardentius istinc,
Heu, tulit hæc truncum corpus, at illa caput.

In Pamphilum Saxum.

Pamphilus & Saxum duo sunt contraria in iisdem
Nominibus: saxum friget; amor, calor est.
Sed tamen ignescit saxum, atque tenacius ignem
Servat, at & cœlo saxa pluisse ferunt.
Pamphilus est igitur saxum, quod ab æthere venit
Igne calens, quo Sol, quo Venus alma calet.

In Codrum.

Ilias in genibus; spumat manus una lebetem;
Una veru versat, tres obit iste viros.

De Falcone.

Cum Deus extructo terras inviseret orbe,
Cunctaque de veteri cerneret orta chao:
Natura ex utero traxit duo pignora, quorum
Nutibus humanæ dividerentur opes
Virtutem Sortemque vocant: temeraria Sorti
Frons fuit; at Virtus casta, modesta, proba.
Mentis inops, orbamqste ferens Sors lumine frontem;
Justitiam nescit, consilioque caret.
At virtus gravis, æqua, sagax, innoxia, verax:
Pondera, mensuras corrigit & numeros.
Quod jubet utilitas, Virtus, quod poscit honestas
Præstat; inaudita nil ratione facit.
Sors autem quidquid præceps sine lege libido
Suggerit; instabili datque, adimitque manu.

Ipsa sibi satis est; ipsa est sibi præmia Virtus:
Sors est, præter opes, & sine honore nihil.
Has sibi, quod nemo potuit sine Numine, tandem
Evaluit Falco conciliare duas.
Nec mirum: quoniam quisquis veneratur Olympum,
Ipse sibi cœlos subiicit, ipse Deum.

Cur posthabeantur boni.

Sponte malos homines, & noxia gramina nutrit:
At melius semen ferre recusat humus
Mitior est propriis, alienaque pignora semper
Tractat inhumana dura noverca manu.
Vir bonus est cœli, malus est telluris alumnu:
Quos igitur cœlum diligit, odit humus.

De Virtute.

Plurima Virtuti laus hic: at præmia nulla.
Nam Deus illius præmia solus habet.

De eadem.

Eximiæ claros cur ad Virtutis honores,
Ex humili plures vidimus ire loco?
Pauperibus Virtus quia sit sine dote maritis
Nubit: habet grandes Sors opulenta viros.

Ad Falconem.

Innumeros Phœnix, & Phœbi nuncius annos
Vivit; Hamadryades tempora longa Deæ:
Sæcula tot cervus, tot vivit sæcula cornix:
Ast hominum paucis vita diebus abit.
Recte igitur, Falco, major tibi cura dierum
Quam sit opum: redit æs; non redit ulla dies.

De Natura Amoris.

Omnipotens jaculis, metuendus & igne Cupido,
Qui ſibi mortales ſubiicit atque Deos.
Audentes animos amat, & ſublimia corda
Gaudet ad eximium ſollicitare decus.
Ignipotens ideo, quia amat ardere medullas,
Pectoraque excuſſo fert animoſa metu:
Aliger eſt, quoniam terris petit alta relictis;
Et ſecat excelſas, difficileſque vias.
Ambulat armatus; quia diligit arma, virumque,
Qui gerit audaci bella ſuperba manu.
Legimus Alcidæ curas & Achillis amores,
Oënidæ ardores, Tantalidæque dolos.
Adſpice Leandrum tumidos contemnere fluctus,
Et dare ventoſis penſile corpus aquis
Perſeus audaci veniens per inane volatu,
Æquoream valido ſuſtulit enſe feram.
Et Paris invaſit fauſto Lacedæmona raptu:
Unus amans tanta fortior urbe fuit.
Multa poteſt, fateor, Virtus, Rhamuuſia multa.
Sed tamen in nobis prædominatur Amor.
Quando amor in mentes cœlo delabitur altas,
Protinus heroas, ſemideoſque facit.
Hi ſunt, qui factis celebrant illuſtribus orbem,
Et quorum penetrat nomen utrumque polum.
Hos igitur ſtimulos, iſtas generoſa juventus
Diſce pati flammas; & ſapienter ama.

Ad Jovianum Pontanum ex tempore.

Cum legerem nuper, curis accenſus amaris
Uranien, Pontane, tuam lucentiaque aſtra,
Et cœli ſtellantis opes; egreſſa repente
Luxit, ut expulſa Sol tempeſtate, voluptas:
Carminibus vis tanta tuis, quantam neque Circe
Nec Medea ſagax medicis invenit in herbis.

Tri-

Triſtibus adplaudunt animis, & grandia cantu
Dulciſono totam rapiunt in gaudia mentem.
Hoc erat Amphion quo mœnia ſurgere fecit;
Hoc erat Orpheo quod agebat flumina plectro.
Felices igitur tua qui cunabula primum
Et ſacri videre ortus primordia campi.
Sic cœlo in noſtras eſt tanta potentia mentes,
Ut canit Uranie; tanti ſi credere fas eſt
Eſſe vagos aſtrorum ignes; Cyllenia certe
Flamma tibi nimium favit nimiumque potenti
Sidere Phœbeum pluit in tua pectora carmen.
Te virides inter lauros Bajanaque tempe
Per loca quæ fertur coluiſſe Papinius olim
Pierides aluere Deæ: nos inter opacas
Mincius eduxit ſalices per aquatica rura,
Inter arundineas, lutris ubi tecta, lacunas.
Propterea mea fila ſitum ſenſere paluſtrem,
Et rudis ex trunco nobis formata ſaligno
Eſt lyra, & articuli reſides, & inutile plectrum.

Ad Comitem Fregoſinum Campofregoſum.

Dulce Muſarum decus, & voluptas,
Patriæ ſplendor Ligurumque princeps,
Quem fovet dulci gremio receptum
Hoſpita Manto;
Impio poſtquam Genuæ tumultu,
Miſſus ex alto Phlegethontis amne
Jura ſubvertit placidamque pacem
Nuntius Orci,
Te decet magnos animi dolores
Atque Neptuni ſalientis æſtum
Ferre, & accenſo Jove fulgurantem
Fortiter iram,
Rebus adverſis agitata virtus
Creſcit, & robur cruciata longo
Sumit attritu, meliuſque terſo
Candicat ore.

Ocium

Ocium clari fugiunt honores:
Nobiles ducit labor ad triumphos;
Sudor infignes iter ad coronas
Monftrat apertum.
Unico vitrum fuperatur ictu;
Spernit incudes adamas & omnem
Malleum: virtus animofa cafum
Suftinet omnem.
Debiles nautas, humilemque cymbam
Africus pulfis violenter undis
Jactat & vafto fragilem carinam
Vortice forbet.
Fronte fublimi ratis alta proram
Tollit, & Caurum, Boreamque ridet,
Atque profternit valido fonantem
Pectore pontum.
Blanda fortunæ levitas in altum
Volvit; & facti cito pœnitentem
Dexteram verfans male fida curvum
Deprimit orbem.
Fortium gaudens hominum ruinis,
Regna longinqui penetrare mundi
Cogit Heroas, patrioque pulfos
Jactat ab Orbe.
Egit Æneam pelago vagantem
Flante per nigros Aquilone fluctus
Atque nimbofo reboante cœlo
Littus ad Afrum.
Pulfus antiquam Salamina Teucer
Liquit Alciden odium novercæ
Mifit ad Gades, ubi cernit altam
Julia Calpen.
Faucis anguftæ mare vorticofum
Exules quondam foror, atque frater,
Heu nimis trifti fecuere curfu,
Phryxus, & Helle.
Velleris fulvi fpolio fuperbus
Æquor Euxinum, gelidamque Tethym

Thessala primus rate navigavit
Fortis Jason.
Magna, non una regione virtus
Clauditur. toto spatiatur Orbe
Sicut immensum radians Olympum
Clarus Apollo.
Perfidam sortem generosa virtus
Spernit, & plausum popularis auræ
Æstimans ludi pueriles instar
Libera regnat.
Vate Dircæo generata Manto
Unde gens urbis fata Mantuanæ
Juncta Tyrrheno Siculam Carybdim
Vidit & Ætnam,
Vidit & ripam resonantis Arni,
Qui per Etruscos sinuosus agros
Serpit, & cultis inimica campis
Flumina voluit.
Inde per montis juga saltuosi
Venit errantes ubi major undas
Mincius spargit. bifidoque terram
Circuit amne:
Tum solo nomen dedit occupato,
Atque Thebanos imitata muros
Cum sua celsam genitrice proles
Condidit arcem.
Nave Phœnices Tyria colonos
Regnaque fratris fugiens avari
Nobilem Dido patriam Colossi
Vidit in undis;
Vidit & Cyprum, Paphiamque gentem;
Transiit Syrtes, Lilybæa lustrans
Æquora, & tamdem Libycæ subivit
Littora Byrsæ.
Spernit imbellem populum libido
Dira fortunæ, tumidoque plebem
Corde fastidit; sua tela frontes
Mittit in altas.

Ergo

Ergo priſcorum memorata Virtus
Excitet fortes animi lacertos;
Et tuæ fiant tibi clara gentis
Stemmata calcar.
Namque te magno genitore natum,
Atque Virtutis gremio educatum
Ad decus ſummum vocat, & ſupremam
Gloria laudem.
Ergo viſurus Pyliam ſenectam
Vive, nec tantum Genuæ potentis,
Regna, ſed pinguem teneas Etruſci
Littoris oram.
Africæ latis dominare campis,
Atque Sardoi ſpatioſa ponti
Doris, & bello ſuperata Cyrnos
Porrigat arma.
Dum venit fati melioris ætas,
Liberum curis animum ſolutis
Transfer ad Muſas, viridique lauro
Tempora cinge.
Et per herboſos ſpatiare tractus,
Qua Padus ripas oneroſus altas
Complet, & mites ſalicum per umbras
Serpit in æquor.
Læta Regali Sabiola tecto
Villa felici redimita cultu,
Te ſua tutum ſtatione longos
Servet in annos.
Servet & prolem Deus, atque claræ
Conjugis ſanctum caput & nepotes,
Voſque cœleſtem ferat in ſenatum
Longa ſenectus.

Deprecatio, pro ſalute Æmylii Romani.

Phœbe, quid Æmylio febrem ſinis eſſe moleſtam?
In tua quid juris corpora languor habet?
Tu pater herbarum, tu vim medicaminis omnem
Per maria, & fluvios mittis & omne ſolum.

Viribus uſa tuis ſubigit Medea dracones,
Terrigenaſque viros, ignivomoſque boves.
Vulneris auxilium non Lariſſæa tulerunt
Spicula, ſanatrix ars tua Phœbe fuit.
Tu piper, & myrrham, caſias, & cinnama profers,
Et redolens opus eſt thurea virga tuum.
Tu paris Hyblæum nectar, paris Attica mella;
Sunt etiam munus Medica mala tuum.
Tu coquis albentes in apricis collibus uvas:
Gnoſia vina paris, vina Falerna paris.
Quæ generant humiles felicia balſama ſilvæ,
Hierichuntino ſunt tua dona ſolo.
Tu facis æſtatem, tu ver, hiememque nivoſam,
Eſque potens pluviæ, grandinis, atque gelu.
Luna regit menſes tu Cynthie dirigis annos:
Illa colit tenebras, tu jubar atque diem.
Semina cum liquida tu digeris omnia Tethy
Quæ freta, quæ tellus, quæ levis æthra tenet.
Tu Liber, tu ſancta Ceres, tu numina plura;
Nam quia multa potes, nomina multa tenes.
Omnia comburis ſub eodem ſidera ſigno;
Omniaque imperiis ſubiicis aſtra tuis.
Sola tuam claudit veniens ſoror obvia lucem,
Et tua liventi lumina nube tegit:
Diſplicet id Superis: ideo pro talibus auſis
Non leve vindictæ conſtituere genus.
Namque viam Lunæ noctis volvere per umbram;
Ut chaos & tenebras diſcat & ipſa pari
Ergo quid Æmylio febrem ſinis eſſe moleſtam?
Cur tam dira lues hæc tua membra premit?
Hic tibi primævis vix ablactatus ab annis
Obtulit ætatis tempora to a ſuæ.
Nullus in Aoniis argutior ambulat oris;
Seu numero currat impare, ſive pari.
Ad domini funus cecinit miſerabile carmen;
Unde tua meruit tempora fronde tegi.
Nunc jacet, & morbo dolet enervatus acerbo,
Mœſtitiæ triſtem debilitante animum.

Non

Non redit ad dulces Musas, Heliconidas undas
  Non valet infirmo sollicitare gradu.
Plectra jacent, lyra muta silet; sine carmine languent,
  Et viduæ ducunt ocia longa fides.
Vitales aperi fibras, artusque jacentes
  Erige, nec Stygius polluat ora color.
Quale Giganteos post aspera bella tumultus
  Te memorant carmen concinuisse Jovi,
Tale tibi referet, cum te præstasse salutem
  Senserit, & medicas applicuisse manus.
Et cecidisse tuis veterem Pythona sagittis
  Dicet, & auxilio Pergama facta tuo.
Quod te, quod Triviam pulcherrima Rhea sororem
  Progenuit Sedes cur tibi quarta datur.
Curve tuo mitem curru premis Aphrogeniam,
  Curve sub ardenti sidere Martis eas.
Cur Veneris claudo, cur Martia furta marito
  Deregis, occultum nec sinis esse scelus.
Quid sibi vult Phœbus, quid Sol, quid nomen Apollo,
  Et cur te Rhodii Lœmion esse canunt,
Cur tibi det Titan, & cur cognomina Delos;
  Nomina cur Cynthus, cur tibi Thymbra facit.
Cur Lycius, cur Grynæus, cur Smintheus esse
  Diceris, & Clarius, Chrysocomusque Deus:
Cur Myrinus, cur Cyrrhæus, Pæanque vocaris,
  Unde tibi Argenetes nomen & Ortygius.
Argolico ritu quare Argyrotoxus, Agyeus,
  Ac Nomius, quare dictus Alexicacos.
Ulion adiunget cur te Milesia pubes;
  Cur Grajo veteres ore Phaneta vocant.
Quid sibi tela volunt, quid laurea serta, quid arcus,
  Quid lyra, quid crines, quid juvenile decus?
His aliisque tuas mulcebit versibus aures,
  Et tua Pimpleo carmine dona canet.
Phœbe pater vatum communibus annue votis;
  Proque tuo fusas accipe vate preces.

Ad Joann. Sabadinum Argenteum, pro filii morte paramythia.

Quæ vos innocui vexat fortuna parentes?
Triſtia cur tantis fletibus ora madent?
Mitius Andromache tulit Aſtyanacta peremptum;
Mitius errantem Penelopea virum.
Mitius Halcyone crudelia fata mariti,
Hippolytum Phœbe, garrula mater Ityn.
Flevit Hylam minus Alcides, minus Iſis Oſyrin,
Et Niobe natos, & Phaëtonta ſoror.
Quid tibi vult tanto reſonans querimonia luctu?
Et gemitu longo ſollicitata domus?
Cur ſetoſa genis facies ſquallentibus horret?
Cur macies turpi dejicit ora ſitu?
Quo fugere ſales? cur lætæ gratia frontis
Decidit? obſcurum quæ tegit umbra caput?
Cur tua compreſſo facundia mutuit ore?
Nec fluit in dulces lingua diſerta ſonos?
Dic age, lugubri deformis imagine vultus
In mea ſecretum pectora vulnus agit.
Aſpera ſors veros & proſpera tangit amicos,
Corporibus quia mens una duobus ineſt.
Hei mihi, neſcio quod radiis grave ſidus iniquis
Miſit in infauſtos fulmina tanta lares.
Et mihi perpetuus chara cum conjuge mœror
Attulit a Stygio longa venena lacu.
Carolus eximiæ fulgens puer indole formæ.
Occubuit, caſti vota ſecunda thori.
Et jam morigera Superos pietate colebat,
Et docili ſupplex Numina ſancta fide.
Jam matura novis ætas lucebat in annis:
In tenero gravitas ore ſenilis erat.
Talis erat nobis qualis roſa prima roſetis,
Et qualis riguo Lilia prima ſolo,
Læta verecundos decorabat gratia vultus,
Et gravis ornabat dulcia verba lepor.

Ille

Ille meo triftes tollebat pectore curas,
Gaudia patris erat, gaudia matris erat.
Hunc igitur rapiens lex ferrea mortis avaræ
Sub gelidam trifti funere merfit humum.
Luget mœfta domus, vidui fine prole parentes,
In gemitu noctes ducimus, atque dies:
Sicut ubi implumes invafit vipera nidos,
Ingemit, & querulo carmine plangit avis,
Solvitur in lacrimas gemitufque miferrima conjux,
Et requiem numquam debile pectus habet.
Cum gemit illa, mihi lacrimas ciet: ignea rorant
Lumina, fingultu guttura rauca fonant.
Eft mihi pro nato fimul & pro conjuge mœror,
Et duplex agitat faucia corda dolor.
Pœnitet ingratæ producere tempora vitæ,
Et toties mortis vulnera acerba pati.
Emorimur toties obeunt quot pignora nobis,
Et toties ferrum corda paterna fecat.
Pelle graves animo curas, Argentea proles,
Neu cruciet tantus pectora mœfta dolor.
Terra domus non eft animis accommoda noftris;
Altius it noftræ conditionis honor.
Qui nimium terras amat, & mortalia tecta,
Fallitur; eft alio patria noftra loco.
Hic fumus extorres, alienaque regna tenemus
Sub gravis exilii fervitiique jugo.
Nunc animus curis coquitur, nunc corpora morbo;
Et ftimulos affert quælibet hora novos.
Nunc fratrum fubeunt obitus, modo fata nepotum:
Tempus in obfequiis triftibus omne fuit.
Crebrius auditur per templa, per atria planctus,
Quam faciles inter vox Hymenæa choros.
Et modo noftra vocant, modo nos aliena fepulchra:
Funera funt noftri continuata dies.
O Felix quem res non implicuere caducæ,
Quem nullus retinet pofteritatis amor.
Quem nec cura domus nec deficientis in horas
Corporis, aut vitæ prætereuntis agit.

Poſtquam divitiis fuerint & honore potiti.
  Mors hominum triplici corpora fauce vorat,
Felices fruſtra nobis promittimus annos,
  Semper enim curæ triſtitiæque premunt.
Fluctus ut inſequitur fluctum, ſic tempora volvit
  Noſtra catenatis ſors inimica malis.
Mittimur æthereos per limina mortis in axes,
  Hæc patet in noſtros janua ſola lares.
Eſt illic natale ſolum, noſtrique penates,
  Regnat ubi decimo maximus orbe pater.
Nos Deus ex alto, nos magni gloria mundi,
  Omnia nos pronis vultibus aſtra vocant.
Cum nitet, & pictæ noctis fulgoribus ardet,
  Oſtendit noſtras pulcher Olympus opes.
Noſter enim polus eſt, ſunt ſidera, noſtra; ſereno
  Civibus arridet Lucifer orbe ſuis.
Eſt requies illic, illic æterna voluptas,
  Perpetuus ſplendor, gaudia, riſus, amor.
Carolus eſt illic, & candida lilia circum
  Tempora virginei ſigna pudoris, habet.
Nos quoque cum Lacheſis noſtros evolverit annos,
  In loca fatalis transferet illa dies.
Quotquot erunt animas, & quot nos ante fuere
  Accipient lato magna theatra ſinu.
Fas erit hic noſtræ vultus agnoſcere gentis,
  Atque dare alternis mutua verba ſonis.
Hic cum fratre ſoror, nati cum patribus ibunt;
  Veſpera nec feſtos finiet ulla dies.
Quos modo miramur, regione videbimus illa,
  Et veteres inter ſuſpiciemur avos.
Hic ſunt qui patrum veſtigia ſancta ſequuti
  Stigmata ſervatæ relligionis habent.
Tunc tuus ille nepos juvenem quem fata tulerunt,
  Cognatam nitido porriget ore manum.
Tunc tuus occurret tibi natus, & obvia circum
  Brachia cum lacrimis colla paterna dabit.
Coge vagos animi fluctus, Argentea proles,
  Cordaque conceptus deſerat ægra dolor.

Com-

Comprime bacchantes ventos, & nubila pelle,
  Cymbaque tranquillo currat, ut ante, mari.
Ad nova cœpta redi, laudemque laboribus auge,
  Et brevis immenſa floreat arte liber.
Scribe quod æterno dignentur honore nepotes,
  Et quod non valeat perdere longa dies.
Utque minus rodant vigiles præcordia curæ;
  Fertilis ingenii pinguia rura cole.
Interea celeri labentia tempora curſu
  Exilii finem ſervitiique dabunt.

Ad Sigiſmundum Gonzagam contra Amorem.

Conſuluit pietas ut te, Sigmunde, monerem
  Communem juvenum ne ſequerere viam.
Omnis enim tenera puer ut lanugine vernat,
  Perdere in inſano tempus amore ſolet.
Quo caveas igitur ſcelus hoc, animique venenum,
  Quid ſit amor paucis inſtituare modis.
Mentis amor vitium juvenile, cupidine formæ
  Viſu animi robur debilitante ſatum.
Hoc ubi corda premens humana, tenacius hæſit;
  Obligat impoſito colla ſubacta jugo.
Et trahit in facinus Veneri quodcumque videtur;
  Nil veritum leges, imperiumque Dei.
Res horrenda, facit licitum ſcelus omne videri;
  Sic jacet affectu mens hebetata malo.
Ut Notus æſtivis obnubilat aëra nimbis;
  Ac tenet oppreſſum ſole latente diem:
Sic Amor ante oculos animi velamina tendit:
  Et trahit in cæcum pectora noſtra chaos.
Hinc ſecurus amans per aperta pericula fertur,
  Quæ niſi mentis inops nullus adire velit.
Hic poſitis noctu ſcalis ſuper alta domorum
  Tecta ſalit, Getico dum riget aura gelu.
Hic jacet in latebris; loculoque reconditus arcto,
  Spem titubans inter fluctuat, atque metum.

Pn-

Pugnat in ambiguo ſententia pectore duplex;
  Vellet amore frui; vellet inire fugam.
Ille ſubit gladios, & pro muliere duellum:
  Mox init egeſtam ſanguinolentus humum.
Fit pecus omnis amans: dum pro ratione libido
  Judicium nutu temperat omne ſuo.
Quiſquis enim vivit ſine lumine mentis & uſu;
  Fert hominis vultus, ingeniumque feræ:
Eſt pecus; & fallax hominem mentitur imago.
  Teſtis opus melior, veridicumque magis.
Anſer aquis gaudet; ſilvis aper, aëre falco,
  Legibus humanum conſilioque genus.
Sirenes, Satyri, Panes, Nymphæque marinæ;
  Et Lamiæ humani corporis ora ferunt:
Si videas vultus, homines vidiſſe putabis;
  Eſſe feras conſtat, ſi intuearis opus.
Hinc igitur fati non ſunt mendacia vates,
  Quando homini vultus impoſuere novos;
Qui partim ſenſu, partim ratione feruntur;
  Nec vivunt totos cum pietate dies.
Hi ſunt Centauri; Minotaurique biformes;
  Monſtra, quibus duplex ambiguumque genus.
Talia ſignificant animos in amore jacentes
  Continue, in mutuum degenerare pecus.
Hinc bovis effigiem ſubit Inachis; æquora ſubter
  Latrat, & abſorptas Scylla profundit aquas.
Nyctimene in noctis volucrem converſa; Meduſæ
  Tempora vipereæ complicuere comæ
Utque ſcias quantum valeat ſubvertere mentes,
  Inferior nullis cladibus iſte furor.
Adſpice Leandrum ſpatioſa per æquora nantem;
  In ſe odium fati ſollicitare ſui.
Adſpice paſtorem Phrygium Spartana ferentem
  Furta domûs lacrimas, excidiumque ſuæ.
Suaſit amor Scyllæ regno ſpoliare parentem;
  Et dare Gnoſiaco ſe, patriamque duci.
Tanta animo rabies; hoſtem præponere patri,
  Conſuluit ſævo ſævior angue puer.

Ad-

Adſpice Theſeæ redeuntia vela carinæ,
  Ferre Jovis neptes (furta ſuperba) duas.
Crudeles caſus, triſtemque attende rapinam;
  Nec ſervaſſe datam, fœdera vana, fidem.
Quid referam Cyniræ coitum? quid Biblidis ignem?
  Et ſcelera admiſſo Paſiphaea bove?
Phaſias hoſpitibus dedit aurea vellera Graiis;
  Et ſecuit dura pignora parva manu.
Heu facinus crudele! parens in ſanguine nati
  Tingitur: in ſobolem carnificata ſuam.
Ira malum minus eſt; brevibus quia præterit horis:
  Longa venenoſus tempora vivit amor:
Vivit; & aſſiduis hominem cruciatibus angit;
  Et tenet ardenti corda ſepulta foco.
Cetera quæ noſtrum dicit mortalia vulgus
  Crimina, ſunt longe perniciosa minus.
His etenim ſatis eſt uni nocuiſſe: Cupido
  Vult homines ſaltem præcipitare duos.
Semper enim tali febrit quicumque cicuta,
  Vult alium vitio commaculare pari.
Adſpice quam variis Erymanthida Juppiter urſam
  Cepit, ut eſt virgo ludificata modis.
Quot ſtuduit verbis Daphnen facundus Apollo
  Flectere; & ardori conciliare ſuo?
Te cui magnanimo grandes in pectore curas
  Parturit antiquæ gloria longa domus;
Et cui majorum laudes calcaria ſubdunt,
  Ut ſtudeas atavis non minor eſſe tuis;
Hanc decet ex animo penitus convellere peſtem;
  Et ſepire omnes, ne feriare, vias.
Ac vitare locos puer hic ubi retia tendit;
  Atque ubi in inſidiis ipſe latere ſolet.
Retia ſunt juvenum; vultus, & amabilis ætas;
  Quæ rapiunt ſenſus illaqueantque novos.
Corda retundit Amor; generoſa negotia frangit;
  Nec niſi femineum mente volutat opus.
Grandibus inceptis, ſtudiiſque virilibus obſtat:
  Nec probat heroa fortiter acta manu.

Negligit insignes quæ sunt paritura triumphos;
  Et decora, & titulos extimat asse minus.
Delicias, unguenta, jocos, & inertia laudat
  Otia; & ad Phrygios fila reducta modos.
Invidus Æneam Libycis tentavit in oris
  Sistere; ne in Latium prosequeretur iter:
Ne jacta imperii primordia poneret Alba,
  Unde sata est orbis Roma futura caput.
Æstuat amissa Chryseide magnus Achilles;
  Languet; & Argolicis ferre recusat opem.
Sic Amor elatam studuit subvertere mentem,
  Ut Venerem Grajos poneret ante duces;
Ut juvenis tantum decus obscuraret; & arma
  Græca forent læso debiliora duce.
Et quia nudus Amor studet exhaurire sequaces;
  Eximias luxu dilapidante domos:
Hinc ubi quis lautis minuit patrimonia mensis,
  Ambulat attrita tristis inopsque toga:
Et quas cura patrum multis sudaverat annis,
  Femina longævas una triumphat opes,
Et quoniam puer est, levium solatia rerum,
  Qualia blanditiæ, basia, carmen, amat.
Et quia pennatus; cito mobilis: & quia cæcus,
  Præcipiti fertur per scelus omne gradu,
Et quia fert arcus, mucronigeramque pharetram,
  Atque facem; mala mens, ingeniumque ferox.
Incipit a risu; curis coalescit amaris;
  Desinit in lacrimas improbus iste furor.
Quisquis amas igitur [quamquam fortuna secundet,
  Et facilem puppi det levis aura viam]
Sis memor eventus, versaque relabere cymba,
  Pervia tranquillo dum finit unda freto.
Et cave; ne subita maris involvare procella,
  Dum tonat ardenti fulminis ira polo.
Hæc habui ad præsens, tibi quæ memoranda putavi;
  Dum cupio ad summum ut promoveare decus.

PUBLII SPINULÆ GENUENSIS.

Ad Deliam.

SInt aliis comites fuſci, mea Delia, Solis,
  Quos nigra admotis India torret equis:
Sint & opes magnæ, cunctarum & copia rerum,
  Et quidquid Latio dat Tyros, Afer, Arabs.
Sint veſtes illis tenues, ſit gemmea gaza;
  Quidquid & extremis fertur ab Armeniis:
His etiam curæ miſeris cumulentur edaces;
  Abrumpant ſomnos; triſtia corda coquant.
Quorum tu laudes ſortem; infelicius illis
  Prorſum, crede mihi, non genus eſt hominum.
Quid cupis hæc igitur (felix, tua ſi bona noris!)
  Commoda quæ tantis ſunt comitata malis?
Quæ tractare manu ſerpentes femina diras
  Auſa eſt, te multo ditior illa fuit.
Ditior illa, novus cui miſcuit ipſe maritus
  Flens flenti propria tetra venena manu.
Ditior infelix Monima, & Mileſia, quæ ſe
  Suſpendit laqueo mœſta, jubente viro.
Auri ſacra fames en quo perducit, amorque
  Æris, divitiæ, gloria, forma, decor.
Virgo tuæ gentis flos, Delia, ut iſtius, omnes
  Quam Veneres unam ſurripuiſſe ferunt;
Quid Rheginorum capiens diadema, veneno
  Mutaſti ambroſiam, ſtulta puella, tibi?

Mu-

Mutasti exsilio patriamque, virumque Tyranno,
Et vitæ horribili gaudia cuncta nece?
Fata bonis inimica, monilia & aurea demis;
Stupea & immitis vincula nectis ei.
I nunc, & credas mortali insana superbo,
Huic Grajæ invideas & diadema. vale.

De Puella sua.

Purpurea est facies, facies est candida nostræ,
Lilia non membris sunt magis alba suis.
Ut si nix minio certet, vel cana pruina;
Et folia ut puro lacte notata rosæ.
Mirus in incessu, lusu, risuque Puellæ
Ac vultu est, nulla factus ab arte, decor.
Quid? quocumque pedes, quocumque & lumina movit,
Quanta hanc subsequitur gratia, quanta venus?
Sive sibi compsit flavos de more capillos,
Sive autem effusis maluit esse comis;
Qualis in orbe suo graditur formosa Dione,
Mille habet ornatus integra Virgo sibi.
Cum sedet æquales inter; seu veste recincta,
Cum movet ad certos candida membra modos;
Palla urit Tyria, nivea urit veste, Minerva
Procedens, urit vocibus ore loquens.

Ad Deliam.

Eheu! Delia, quid me miserum dura sinis mori?
Quid non exanimis te miseret, Delia, Publii?
En flentem feriunt in tenebris me pluviæ nigris;
En perterrefacit mortis imago (aspice) plurima.
Promissa hæccine sunt, atque mihi pacta, rogo, fides?
Tu flenti quoties; ne lacrimis ora riges tua,
Dixti: nam faciam (crede mihi) quæ cupis omnia.
Ventos ferre sinis (perfida) sed dicta tua omnia.

De

De Porciâ.

Illius ut fixi vultus in imagine, forma
 Quæ visa est superas æquiparare Deas;
Oravi ut facerent oculos me Numina totum.
 Serva erat & pueris hæc comitata tribus.
Quæsivi a puero; quæ porticus integit istam?
 Et campo celeres quo movet oro pedes?
Nobiscum venias, inquit: sequor officiosus.
 Extemplo & campos indicat atque domum.
Tum tria complebam, atque decē annua tempora; lustris
 Ipsa erat æqualis pæne Puella mihi.
Hic tibi quid referam divinæ frontis honorem,
 Candida membra ejus, purpureasque genas?
Non cedit Divis Phrygius quas ponere vidit
 Idæis pexas verticibus tunicas
Præstabant cunctis illæ tum: sæcula nostra
 At mage formosas nunc peperere Deas.
Pulchrior est oculis hæc nostra puellula Phœbi,
 Ipsa est, quàm Charites gratior una tribus.
Non alia in terris facies humana moratur,
 Divos quæ possit urere, ut ista Jovem.
Ischomache sicut, Centauris grata rapina,
 Componit, sicut casta Minerva, latus.
Et, Jovis ut conjux, incedit maxima toto
 Corpore longa manus, totaque fulva coma est.
Ejus jucnndis mira haud deest gratia verbis;
 Omnia quæ Pallas, quæ Cytheræa probat.
Atque illi donat sua carmina Phœbus Apollo,
 Et docta Aonias Calliopea fides.
Sirenum voces superat, quæ cantibus olim
 Sisyphidæ illectas detinuere rates.
Personat & cithara, & genialia nablia vertit;
 Cum voce & digiti sæpe loquuntur ei.
In choreis omnem Cypriam mea Porcia sola
 Saltando vincit mobilitate pedes;

Et

Et manuum vincit geſtu, ſe ipſam quoque vincit,
Vertendo vincit ſaltibus organicis.
Lesbium & illa pedem ſervando, & pollicis ictum:
Urit, dum ſaltat, dum canit atque ſedet.
Urit, ut incendunt rapidæ ipſa altaria flammæ,
Cum cadit æternis hoſtia cæſa Deis
Scribere ſcit recte; longis rationibus aſſem
Aſſolet in partes ducere mille quater.
Sit quibus illa meæ ſemper gratiſſima vitæ,
Ampla comes ſi ſit forma pudicitiæ,
Oravi: Votis atque annuit ipſe Cupido:
Mutua nempe Puer vincla paravit ei:
Namque meis votis reſpondet; digna marito
Cum digno, ut licuit, tanta Puella fuit.
Magni contulerunt tanta illi munera Divi:
Poſt Venerem hæc nobis forma ſecunda redit.
Gloria tu noſtris tu ſola es nata Puellis;
Solo es cum ſummo digna cubare Jove.
Non dabit humanos ſempet tibi viſere lectos
Hic tua qui nobis invidet ora, Pater.
Iſta ſalutanti arridens mihi, ſenſit Amorem:
Scripſi illi ſubito, ſcripſit & illa mihi.
Protinus incendit flammis utrumque Cupido.
Atque Venus meſſes urit acerba ſuas.
Arma Dei feriunt animos facientia amorem,
Aurea tela ſuos, aurea tela meos.
Plurima donavit nobiſque: monilia contra
Nos duo, odorantes miſimus & manicas.
Ac, ne deprendi poſſint mea ſcripta parenti,
Mox telam capſæ deſuit illa ſuæ,
Impoſuitque notas tabulam duram inter, & ipſam
Telam, dehinc prudens oſtia facta fuit.
Qualis flamma furit, ſi dulce infundat olivum
Servus, ut extemplo cœna coquatur hero.
Crevit amor noſter, ſimul eſt data copia fandi:
Unum animum ex binis mox Erycina facit.
Datque fidem mihi, doque fidem illi mutui amoris,
Perpetuo nobis fœdera ſancta fore:

Per

Per Venerem jurat, natique Cupidinis arcus
  Quam mihi, nec magno nubere malle Jovi.
Per Venerem juro, natique Cupidinis arcus,
  Quam se, nec Cypriam ducere malle Deam.
Ambos una fides, ajo, Lux, auferet una:
  Cunctæ aliæ valeant: tu mihi sola places.

TITI STROZÆ

FERRARIENSIS.

Quando Anthiam amare cœperit.

CAndida lux aderat Maiis vicina Calendis,
  Quam festam veteres instituistis Avi:
Quam pia solenni celebrat Ferraria cultu,
  Aurea cum admissis præmia ponit equis;
Cumque frequens tardos populus spectator Asellos
  Increpat, & plausum turba jocosa ciet:
Cum rapido certat juvenum manus æmula cursu,
  Vitta retroflexam cui premat alba comam.
Tempore quo Zephyrus viridantes evocat herbas,
  Et vario pictam flore colorat humum.
Purpureo cum vere novus redit annus, & ales
  Plurima frondosis garrit in arboribus.
Hic dum sollicito spectarem lumine cursus;
  Ante mea arcitenens constitit ora Puer:
Aurea cui læva pendebat parte pharetra;
  Nudus, & adspectu blandus & acer erat.
Isque ubi collegit celeres, quibus utitur, alas,
  Deprompsit nivea splendida tela manu;
Atque ait: o juvenis volucrum mirator equorum;
  Quod mirere magis nunc mea dextra dabit.

Dixerat; & pariter ſonuit cum voce ſagitta;
  Inque meo ſubitum pectore vulnus erat.
Tum calor inſuetus venas penetravit ad imas;
  Et magni patuit vis manifeſta Dei.
Dum ſtupeo, conorque novas extinguere flammas,
  Subridens pennis evolat ille ſuis.
Acer ut inſolitæ Calabri domitoris habenæ
  Pugnat equus campis, qui modo liber erat;
Poſt tamen audacem diſcit tolerare magiſtrum,
  Et fractus docta concidit arte furor:
Haud aliter mentis conſtantia victa ſeveræ;
  Et mea corripuit plurimus oſſa Deus;
Collaque ſubmiſit domito luctantia faſtu,
  Et Dominam victor ſervitiumque dedit.
Tum monuit, teneræ valeat quid gloria formæ,
  Quid faciles oculi, virgineuſque pudor.
Nec mihi conſilio, nec prodeſt viribus uti;
  Et bene libertas ante retenta, perit.
Felix qui ſacros tutus contempſit amores,
  Nec dominæ inſanum pertulit imperium.
Sed felix nimium rurſus, nimiumque beatus,
  Si cui ſe facilem præbuit ipſa Venus.
At mihi ſi legem Parcæ impoſuiſtis amandi.
  Si noſtris hæc eſt meta petenda rotis;
Lætor ſiderei vultus quod imagine carpar,
  Qualem non ætas viderit ulla prius.
Hoc vires Natura ſuas effudit in uno,
  Et mirata, ſuum vix opus eſſe putat.
Si Paris hanc faciem Phrygia vidiſſet in Ida,
  Illo non iſſet judice prima Venus.
Huic merito potuit Juno invidiſſe figuræ,
  Sub Jove ſi primis nata fuiſſet avis.
Hanc tu, ſi ſapias, potius pro Gnoſide velles
  In cœlum curru Bacche, tuliſſe tuo.
Cetera cum dederint Superi tibi, deerat amator,
  Qui caneret dotes cara puella tuas.
Ipſe ego tale aliquid modo ſi promittere poſſum,
  Caſtalioque bibit ſi mea fonte ſitis;

In-

Ingenium, mentemque tibi formosa dicabo,
Et nostris fies nobilis ipsa sonis.
Vos quibus adspirat flatu fortuna secundo,
Nec resides virtus alta jacere sinit:
Vos decet æternæ præconia quærere laudis,
Sublimi eloquio belligerave manu.
At mihi formosam satis est cecinisse puellam:
Hæc studia, has artes, hæc ego bella sequar.
Cærula prostratæ proscindunt æquora classes;
Proxima sed radit littora, parva ratis.
Sic ego, cui tenue ingenium, nimis ardua linquam;
Et satis est, si me culta Puella probet.
Tu modo Nympha velis paribus contendere flammis;
Quæ facie præstat, convenit esse piam.
Odimus Jasiden, quoniam crudelis amanti,
Asperiorque suis rupibus illa fuit.
Tyndaris Iliaco si dura fuisset amanti;
Non ita Mæonio carmine nota foret.
Cynthia clara minus, Nemesisque obscurior esset;
Sed facilis Nemesis, Cynthia mitis erat.
Tu quoque dulcis Anus, tali dignissima prole,
Incipe nos inter connumerare tuos.
Me tibi vel generum, vel natæ suscipe fratrem;
Quidquid in hac fiam, juverit esse domo.
Non vigil ærato dubitem me adfigere posti,
Et fessa in gelido ponere membra solo.
Nec minus est rerum mihi, quam tibi cura tuarum:
Haud natæ custos aptior ullus erit.
Este procul juvenes; non hic corrumpitur auro
Janitor: officio fungitur ipse suo.
Vos quoque nocturni procul hinc discedite fures;
Insomnis custos excubat in foribus.
Ah quoties, cum me patientem cuncta videbis,
Ipsa etiam dices; non amat iste, perit.
Nec poteris nostro non ingemuisse labori,
Dignaque pro meritis præmia ferre meis.
Non ego Sidonias vestes, non aurea tecta,
Fertilis aut agri jugera mille petam.

Una satis fuerit, regno mihi carior omni
  Anthia, qua felix conjuge semper ero.

Qualis visa Anthia in Coppari agris.

Qualis erat roseis in odoræ vallibus Ætnæ
  Virgineo lusu languida Persephone:
Qualis apud Xanthum nemorosa sedit in Ida
  Oënone socias inter Hamadryadas:
Qualis pinifero, confecta cæde ferarum,
  Procubuit Cynthi fessa Diana jugo,
Talis Coppari peragratis Anthia campis
  Lassa sub umbrosis concidit arboribus.
Tum mihi visa decens; tam se formosior ipsa,
  Ignea quam cedunt sidera, Phœbe, tibi.
Vidi ego flaventes auro certare capillos,
  Oraque purpureas exsuperare rosas.
Vidi ego sideribus nitidos contendere ocellos,
  Candida Sithonias vincere colla nives.
Ipsa suo varios disponens ordine flores,
  Texebat facili mollia serta manu.
Quam circumfusæ dictabant carmina Nymphæ;
  Et querulæ foliis obstrepuistis aves.
At vos felices, fortunatæque puellæ,
  Virginei comites consiliumque chori;
Dicite si qua dedit mutato signa colore,
  Dicite qui vultus me veniente fuit;
Num discedentem argutis spectarit ocellis,
  Illius an fuerit nomen in ore meum?
Ah, quam ne fieret Zephyri nova præda verebar,
  Flamine cum molli blandior ille foret!
Quid sit amor, venti Borea didicere magistro;
  Quamque petunt omnes, non bene tuta manet.
Ah, quam purpureis invidi floribus amens,
  Sedula quos nivea legerat ipsa manu!
Pertimuique Jovem ne se mutasset in illos,
  Fallere qui variis novit imaginibus.

Euro-

Europen tauro; Danaën deceperat auro,
 Atque Deum nivea dissimularat ave.
His mea Vita, dolis ne tu caperere timebam;
 Sollicitumque tuus me facit esse decor.
Nam tibi vix similem veteres cecinere poëtæ,
 Nec videt immenso Phœbus in orbe parem.
Qui vult humano cœlestem in corpore formam
 Cernere; de facie cogitet ille tua.
Nec minus ingenio, & morum candore probaris,
 Atque sibi talem quisque venire cupit.
Ergo prius tellus alimenta negaverit orbi,
 Et novus Hesperio surget ab axe dies:
Ante Pado Tagus, atque Athesi miscebitur Ister,
 Pectore quam vultus defluat iste meo.
Felices, quibus & caram retinere puellam
 Semper, & in tuto vivere amore licet!
Quos neque turbarit vigilans in limine custos,
 Dulcia nec tristis gaudia norit anus:
Nec quibus insidias obscura nocte pararit
 Exsiliens tacitis aspera turba locis.
Hæc mihi sæpe nocent, hæc sunt mihi sæpe timenda:
 Me tamen inprimis callida torquet Anus.
Illa meos aditus servat, timidamque puellam
 Territat, horrendis imperiosa minis.
Hanc tibi cum dabitur ludendi copia, falle,
 Anthia, nec placidum tempus abire sine.
Nam non semper eris, qua nunc formosa juventa;
 Jam veniet celeri curva senecta gradu.
Ut violas, roseumque vides cessare decorem.
 Squalet ut amissis horrida silva comis;
Candida sic etiam facies abeuntibus annis
 Deficit; & nil tunc pœnituisse juvat.

Laus Anthiæ, a forma, & moribus.

O bene conveniens capiti velamen honesto;
 Sidereos oculos, aurea fila, comas!

O teneram, levemque manum, cui Juno, Venusque
  Invidisse queant, & tua, Phœbe, soror:
O niveas artus pulla sub veste latentes.
  Et non humanis edita verba sonis!
O dulces risus, habitum, moresque venustos.
  O nulla læsam labe pudicitiam!
Vos in me insolitum, vos in me accenditis ignem;
  Imaque furtivus corripit ossa vapor.
Vos mihi sollicito rapitis de pectore sensus,
  Et votis alitur spes animosa suis.
Adspicite, ut vero pro corpore restet imago;
  Et nisi fertis opem, mox ego nullus ero.
At tu Naturæ decus, exemplumque potentis,
  Qua non est Latio pulchrior ulla solo,
Tu nitidos in me converte parumper ocellos,
  Queis potes obscura reddere nocte diem.
Tu precibus non dura meis, præsensque faveto;
  Et mihi (si fas est) dicito, noster eris.
Mortales æquat superis clementia Divis;
  Et miseris rebus consuluisse pium est.
Si dedit egregiam faciem Natura puellis,
  Non adamanteum pectus habere jubet:
Nec jubet exitio tristi lætentur amantum.
  Fallitur, id suadet si qua puella sibi.
Sed placidi mores, & rusticitate carentes
  Cum tibi sint, nimium mens mihi casta nocet.
Mens mihi casta nocet, qua tu formosa triumphas,
  Et qua summa tuum sidera nomen adit.
Non tamen invenies in nostro crimen amore;
  Non animum turpis, sed pia cura movet.
Nosque precor societ placidos Hymenæus in annos,
  Atque maritales præferat ipse faces.
Hoc si contigerit, nec dedignata recuses;
  Despiciam magni ditia regna Midæ.
Nec magis Assyrii quæcumque est gaza sepulchri,
  Aut opus optarim nobile pyramidum.
Nudus amor non curat opes: discedat ab illo
  Sollicitæ quisquis servit avaritiæ.

Quem

Quem potius pretium, quam culta puella movebit;
  Dignus cum cenſu eſt ille perire ſuo.
Non animum nobis adeo tribuere tenacem
  Fata, nec ingenium ſordida cura premit.
Cui tantum ſupereſt, ut vivere poſſit honeſte,
  Gaudeat: hos fines præteriiſſe nefas.

De diſceſſu Anthiæ ex Ferraria.

Poſtquam Ferrariæ diſcedens mœnia liquit
  Anthia; Ferrariam liquit & ipſa Venus.
Mollis Amor ſimul Etruſcas migravit ad urbes;
  Secum blanditias, deliciaſque tulit,
Sed licet ad Tanaim, rapidumque feratur Hydaſpen;
  Herculeas quamvis tranſeat illa vias:
Quaque rotant fluctus alterno vortice Syrtes;
  Per mare, per terras ſubſequar ipſe tamen.
Nunc utinam ſumptis imitarer Perſea pennis.
  Nunc vellem ingenium Dædale docte tuum.
Nunc ego Medeæ quo fugit Jaſona, currum
  Optarim, volucres Triptolemique rotas.
Scilicet ut Dominæ ſubito improviſus adeſſem;
  Duceret ingratas neu via longa moras.
Quo propero infelix? pergamne per aſpera ſaxa?
  Per gelidas Alpes, perpetuaſque nives?
Quid ſi latronum occurrat manus impia, raptis
  Veſtibus immiti quæ petat enſe caput?
Aut nemorum latebris, aut alto monte ruentes,
  Dilacerent rabidæ membra cruenta feræ?
Novimus infauſtos caſus, diſcrimina amantum:
  Fata obſtant lætis invida principiis.
Pyramus exemplum præbet, miſerandaque Thisbe,
  Quos rapuit ſimili mors violenta modo.
Teſtis adeſt, animos cui conſcia virgo natanti,
  Sæpe in arenoſo littore viſa, dedit.
Ille per inſanas mediis Aquilonibus undas
  Ibat, ut optata poſſet amante frui.

Nec revocare minis genitor, nec flectere mater
  Blanda potest; ultro sed periturus abit.
Jamque procelloso positurus in æquore vitam,
  Hei mihi, congeminat, Sesta puella vale.
Sesta puella vale, clamabat; & ecce loquentem
  Præruptus vastæ supprimit agger aquæ.
Præterea jam forte novum suspirat amorem
  Anthia, nec fidei, nec memor ipsa mei.
Rara quidem fida est, oculus nisi nutriat ignem,
  Femina: juratos vix timet ulla Deos.
Perfida securum sic te Menelaë fefellit
  Externa ad Trojam vecta puella rate.
Arsit in Ægistho furiosi mater Orestis,
  Dum gerit Atrides vindice bella manu.
Multæ etiam, quarum veteres meminere poëtæ,
  Deseruere viros, legitimamque fidem.
His fortasse meam poterunt numerare puellam;
  Atque ideo doleam cur ego, semper erit.
Me miserum! quonam Dominæ fiducia cessit?
  Quid queror? & vano terreor ipse metu?
Parce precor, mea Lux, si quid male lingua locuta est:
  Omnia magnus amor tuta timere jubet.
Sic Deus ille mihi stimulum sub pectore fixit;
  Raraque cum casto forma pudore venit.
Sed tua Penelopen superat constantia, quamvis
  Illa sit Argolicæ fama pudicitiæ.
Ibo igitur; nec me certum tardabit eundi
  Tristis hiems: segnes impiger odit Amor.
Illius aëreas pennis tranabimus Alpes;
  Atque aderit nostræ dux Cytherea viæ.
Thuscus at incolumem postquam me acceperit Arnus,
  Et dominam dabitur posse videre meam;
Tunc ego velatus myrto viridante capillos,
  Persolvam magnis debita vota Deis.

Amica potitus, gloriatur.

Dî Superi, Venus alma, puer venerande Cupido,
  Nox hesterna mihi gaudia quanta dedit?
Clara sub obscuris latitabant nubibus astra,
  Condiderat vultus candida Luna suos:
Ad Dominam furtim, superato culmine tecti,
  Conscia me, jusso tempore, duxit anus.
Mollia quis variis amplexibus oscula mista
  Narret? & in teneris dulcia verba jocis?
Ah quoties esset cum jam lassata voluptas,
  Mutua blanditiis est revocata Venus!
Quam me præteritos casus meminisse juvabat?
  Et fusum in niveo multa referre sinu!
Ite procul segnes; atræ quos tempora noctis
  Terrent, & multa nubilus Auster aqua.
Præcipiti quibus ad Dominam timor ire fenestra
  Obstitit: ite procul, linquite signa ducis.
Fortibus intrepidi sunt castra Cupidinis apta,
  Et juvenum audaces adjuvat ille manus.
Sive novos aliquis furtim tentabit amores,
  Seu fallet segnem cauta puella virum,
Ipsa Cytheriaco despectans vertice terras
  Annuit, ac ridet dulcia furta Venus;
At mihi si tecum tales perducere noctes.
  Teque meo liceat, Vita, tenere sinu;
Congerat o quantum cupiat sibi quilibet auri:
  Me satis est duram pellere posse famem.
Æstivamque sitim sedare fluentibus undis,
  Et satis est humiles incoluisse casas;
O quam me in viridi tecum recubare juvaret
  Gramine, fagus ubi funderet alta comam.
Mille rigans flores nitidis ubi rivulus undis,
  Per vicina levi serperet arva sono.
Illic & volucrum sub opacis abdita ramis
  Continuas querulos garrula turba modos.

Silvarumque comas tenui movet aura ſuſurro,
  Gratior & mulcet languida membra quies.
Crimen apri formoſus Adonis, & ipſa Dione
  Sæpius in ſolis delituere locis.
Sic Paridi Oenone, ſic cœli ſede relicta
  Dignata eſt tenero Luna coire proco.
Montibus, ante Jovem, juvenes pariterque puellæ
  Errabant; viguit tunc ſine labe pudor.
Pace tua gens priſca loquar; ſi credere oportet;
  Durus in hoc ego ſum, ſubdubitoque tamen.
Atque utinam nobis iterum mos ille rediret:
  Nunc melius ſcirent commoditate frui.
Non ego ſæpe graves perferrem mente dolores,
  Humida nec lacrimis lumina noſtra forent.
At tibi, qui facilem cuſtodis dure puellam,
  Janitor, exitium Numina triſte ferant.
Sit domino ſuſpecta fides tua, teque peroſus,
  Inſidias vitæ præparet ille tuæ.
Ut vigiles ſemper, numquam tamen omnia cernes:
  Decipit aſtutos ingenioſa Venus.
Jo non Argus, Danaën non ferrea clauſam
  Oſtia ſervarunt, Acriſiuſque pater.
Tu cui pro meritis oculum deſpecta juventus
  Evulſit, demens cuncta videre putas?
Si mihi credideris; aditum dabis uſque petenti;
  Adventu nec erit janua clauſa meo.
Tunc ego te propter vitæ diſcrimen adire
  Non dubitem, & patriis me ſpoliare bonis.
Ferre nec iſta tua pro libertate recuſem
  In me translato vincula ſervitio.
Eheu quid precibus fluctus placare tumentes
  Conor, & iratis perdere verba Notis?
Illum monſtrifera genuit Polyphemus in Ætna,
  Inque truci durum pectore marmor habet.
Fraude mea capiendus erit: mihi namque futuri
  Compoſuit magicum præſcia carmen anus.
Illa ſoporiferum liquido cum melle papaver
  Miſcuit, & variis gramina ſecta locis.

Hæc

Hæc docuit Baccho diffundere; dicere verba
Queis sopor invitis eliciendus erit.
Multaque de cœlo quibus ignea sidera ducit,
Et rapidi ad fontem fluminis unda redit.
Illa annos adimit senibus, labefactaque mira
Arte Cupidineas mittit in ossa faces.
Cum libet, insolito juvenes inflammat amore,
Cum libet, extincto deficit igne calor.
Illa jubet fractis manes prodire sepulchris,
Nigraque terrifica Tartara voce movet.
Carmine longinquos messem traducit in agros;
Et cantata suum deserit herba solum.
At vos Cœlicolæ nostris ignoscite cœptis:
Non mea contemnit Numina vestra fides.
Nec soror hos Phœbi metuant, nec sidera cantus:
Hac Domina tantum quærimus arte frui.

Ad Annulum ab amica datum.

Annule dulce mihi dilectæ munus amicæ,
Annule delicias inter habende meas;
Tu licet excellas auro pretiosus, & apte
Gemma sit artifici clausa magisterio;
Est aliquid, mihi quo meruisti gratior esse:
Scilicet in nivea te tulit illa manu.
Illa etiam dono cum te mihi tradere vellet,
In primis monuit, quam sibi carus eras.
Mecum igitur semper noctesque diesque manebis;
Mille tibi amplexus, oscula mille feram.
Inque sinu ponêre, manus dum nostra lavatur;
Invida ne nitidum te mihi lædat aqua.
Tu modo, læva, cave commissum perdere pignus,
Si qua hoc mandantis gratia tangit heri.

Ad Janum Pannonium, ut sinat se placito indulgere amori.

Quis novus ille sacri vates Heliconis in antro,
Cujus Apollineum carmen ab ore sonat?

Dicite, Pierides, ubi primos egerit annos;
  Quæ tener insueto presserit arva pede:
Quo duce lauriferæ peragraverit avia silvæ;
  Sub quibus ille vagans luserit arboribus.
At nisi mens fallit, videor cognoscere vatem;
  Hunc Heliconiades vel aluisse ferunt:
Vos canere arcano puerum docuistis in antro,
  Pulsaque fila levi sollicitare manu.
Ipse sacris adhibere choris dignatus Apollo,
  Jussit honorata cingere fronde caput.
Perque pias duxit sedes, & amœna vireta,
  Plurima Pegaseos qua tegit umbra lacus.
O nimium felix, o fortunate poëta,
  Ingenio priscis æquiparande viris.
Ecce tibi faciles donant sua carmina Musæ,
  Nec negat Aoniam pulcher Apollo lyram.
Jam tibi pallentes hederas, thyrsosque merenti
  Præbuit, & currus Euhius ipse suos.
Nec tibi deficiunt, ubi vis intendere vires,
  Ardua sive libet, seu leviora sequi.
Quid formæ decus, & mores sanctumque pudorem,
  Quid referam vitæ candida facta tuæ?
Omnia præsentes, Superi tibi, Jane, dedissent:
  Ni vacuum dulci pectus amore foret.
Immeritas nec jam satis est odisse puellas,
  Tristia sed tetrico carmine bella paras.
Ac mihi servitium capto, Dominamque ferenti
  Obiicis, extremæ crimina desidiæ.
Quodque diu fuerim mordaci fabula vulgo.
  Nec patriis humilis tollar imaginibus:
Nec quod amans rectum videam; cum plurima cernas
  Subjectus nullis ipse Cupidinibus.
Incautumque vocas, & sanæ mentis egentem,
  Cujus sit dubio credita cymba mari.
Munera quin etiam caræ pretiosa puellæ
  Ut suspecta, mihi despicienda putas.
Sæpe refers, dulci sub melle venena latere.
  Et placitis hamum sæpe subesse cibis.

Quam-

Quanta puellari levitas in pectore regnet,
Quam cito consuerint credere falsa, mones.
Quid valeant herbæ, quid noxia gramina narras,
Et quodcumque Venus monstret iniqua nefas.
Multaque feminei memoras exempla furoris,
Transversas olim quas malus egit Amor.
Acrior his ut me redimam rationibus urges,
Utque velim ex humili tollere valle caput.
Tum positis levibus curis, & amore relicto,
Regia sublimi condere bella pede.
Non equidem adversor tibi me nunc, Jane, monenti:
Atque meæ fateor crimina nequitiæ.
Nec te Thersiten potius, sed Nestora dicam,
Tam bene qui noris, tam graviterque loqui.
Sed tamen, aut fatis, aut longo impellor ab usu,
Optima cum videam, deteriora sequor.
Non secus adsiduis confectus febribus æger,
Invisam medicæ despicit usus opem.
Tum succos omnes, medicamina cuncta perosus,
Negligit infirmi corporis auxilia.
Forsitan huic poteras olim succurrere morbo,
Cum primo illatum, nec grave vulnus erat.
Nunc sero medicina datur, nec inania posthac
Proderit amisso claudere septa bove.
Non ita præcipites agitantur in æquore cymbæ,
Cum Notus Joniis fluctibus insonuit,
Ut me versat Amor pectus populatus & omne
Jus animi, atque suo me regit arbitrio.
Talis permultos tulit exitus: hic quoque Titum
Auferat; hoc noster limite currat equus.
Mortales omnes, neque enim trahit una voluptas:
Ingenio sequitur proxima quisque suo.
Hunc rapit armorum sublimem gloria cœlo,
Proferat ut domitis gentibus imperium.
Lucra petens mercem fuscis vehit alter ab Indis;
Alter ab Oceano, flave Britanne, tuo.
Ille sacris cœlebs Superum se dedicat aris;
Hic notat astriferi lucida signa poli.

Hunc

Hunc juvat occultas Naturæ discere vires,
Et procul a vulgo condita mente sequi:
Ille Machaonias animum convertit ad artes;
Versat hic antiquum sedulus Hippocratem.
Hunc juris lassant numerosa volumina, at illum
Nobilibus studiis docta Minerva tenet
Me mea sors tenero voluit succurrere Amori;
Et mihi pars hujus credita militiæ est.
Non ut rere tamen (liceat mihi vera tueri)
Desidiam castris dux habet ille suis.
An tibi cùm vigilet totas ad limina noctes,
Anxius in dominam, segnis amator erit?
Quem labor haud ullus, quem non via longa fatiget,
Ignavi turpem sustinet ille notam?
Strenuus oppositos audet transcendere montes,
Horrida nec Boreæ frigora curat amans.
Nec rapidi tardant undis spumantibus amnes,
Cum fluit ex altis nix resoluta jugis.
Lentus erat juvenis, cum sæva per æquora nabat,
Quem tepido fovit Sesta puella sinu?
An Turni solitas vires, animosque Cupido
Fregit? an ignavum reddidit Æaciden?
Ferre famem, tolerare sitim, contemnere somnos,
Dura pati didicit plurima, quisquis amat.
Sed non. quæ deceant, positi sub nubibus atris
Cernimus, & vobis purius ista patent.
Semivirum didicit monstrante Cupidine Theseus,
Qua voti compos perderet arte bovem.
Incolumis numquam patriæ tetigisset Jason
Littora, Phryxeæ vellere clarus ovis;
Ni benesuadus Amor vitare pericula tanta,
Poscere virgineam ni monuisset opem.
Ille dat ingeniis vires, animique vigorem
Excitat, ille rudes perficit arte viros.
Ast incerta sequor, te judice: nec mihi fas est
Noscere. quem mea sint vota habitura modum.
Hæc quodcumque hominum fruitur vitalibus auris
Sors habet; & fati nescia jura latent.

Tene putas noſtris exceptum legibus eſſe?
  An tua ſors melior ſorte putanda mea eſt?
Si mihi difficiles caſus memorabis amantum;
  Sunt quibus indulſit non inimica Venus.
Haud ſemper vultu perſtat Fortuna minaci:
  Non omnis rabido eſt agna dicata lupo.
Cæde Neoptolemus patria ſi territus eſſet,
  Liquiſſet turpi Dorica caſtra fuga.
Cum toties fuerint infidæ puppibus undæ,
  Creber in æquoreas navita fertur aquas.
An quia Cadmeum juvenem laceraverat olim
  Montibus Aoniis effera turba canum;
Segnior Hippolytus ſilvis canibuſque vacavit?
  Venandi Cephalo cura minorve fuit?
Nec tu Palladias ideo nunc deſpicis artes,
  Hæ licet intulerint plurima ſæpe mala.
Docta licet quondam magni Demoſthenis ora
  In dominum fuerint pernicioſa ſuum:
Exitium ingenio quamvis ſibi triſte pararit
  Gloria Romani Tullius eloquii.
Cauſſaque Naſonem ſimilis procul Urbe fugatum,
  Impulerit Getici littus adire maris.
Munera cur ſpernam gratæ mihi pignora mentis?
  Quæ ſummo quæri digna labore forent.
Gemma erit in pretio, quam ſe mercatur avarus
  Finxerit a rubri littore ferre maris?
Annulus artis opus miræ, mihi vilis habendus,
  Quem tulit in digito dia Puella ſuo?
Cui neque noſtra parem, neque priſci temporis ætas
  Vidit; nec ſimilem ſæcla futura ferent.
Quam ſuavis placido comitatur gratia vultu;
  Triſtis ubi nullum vendicat ira locum:
Quæ me non dubitat nitidis proponere ocellis,
  Quæ mihi vel proprio corpore cara magis.
Hæc in nos igitur magicas meditabitur artes?
  Miſcebit timida toxica dira manu?
Theſſalicos eſto ritus, herbaſque nocentes
  Noverit, atque auſit quæque nefanda ſequi;

Quo

Quo reus admiſſo merui ſperare venenum?
  Immeritò miſeram cur paret illa necem?
Quid metuam, invitus ne carmine cogar amare,
  Cum noſtræ cedant carmina cuncta Deæ?
Hac Laërtiaden facie Phœbeja Circe,
  Phaſias hac potuit detinuiſſe virum.
Hac mea difficili vinxit præcordia nodo,
  Illius ut nullo ſolvar amore die.
Quod ſi credentem nimium mutare puellam
  Criminibus fictis improba lingua valet:
Imminet hoc aliis etiam commune periclum
  In fera quos eadem prœlia lingua ciet.
Illa propinquorum communia jura reſolvit;
  Fœderaque antique rumpit amicitiæ.
Conditio hæc multos, non ſolos tangit amantes.
  Hæc te ſollicitum reddere cura poteſt.
Non ſævi, ut ſcribis, Catilinæ femina mentem
  Compulit in facinus: dux fuit ipſe ſibi.
Nam furor immitis, quo perdere cuncta parabat,
  Egit ut in prolem verteret arma ſuam.
Tarquinium rapuit dominandi cæca libido,
  Materiam ſceleri quæ dare ſæpe ſolet.
Si Danai proles cognato ſanguine ferrum
  Tinxit, ſecuris inſidiata viris:
Cauſſa fuit genitor juſſis metuendus acerbis,
  Ut formidatas tolleret ipſe manus.
Lemniadum mentes agitavit Numinis ira;
  Nec ſontes reliquas impia Scylla facit.
Theſiden contempta Venus, non Creſſa peremit:
  Ulciſci offenſas ſic ſolet illa ſuas.
Amphitryoniades non crimine Dejaniræ,
  Fraude ſed occubuit, perfide Neſſe, tua.
Molle dedit teneris pectus Natura puellis;
  Quas tamen impellit juſtus in arma dolor.
Audierat partim, partim delicta mariti
  Viderat, Ægiſthi Graja ſecuta fidem.
Læſaque natorum maculata eſt ſanguine Colchis,
  Et Progne infidi conjugis ulta nefas.

Cur

Cur omnes igitur ſceleris tua carmina damnant,
  De tot, paucarum crimina ſi qua vides?
Extulit hunc etiam celeberrima gloria ſexum,
  Et monumenta ſuæ plurima laudis habet.
Virginitas ultro ſervata, & bellica virtus;
  Magnum Orithyiæ contribuere decus.
Lampedo Hippolyten, Menalippen, Jane, videmus
  Illuſtres inter nomen habere viros,
His quoque ſe comitem merito Marcheſia jungit:
  Nec caret Antiope laude, nec Harpalice.
Magnanimam Tomyrin, fortem propone Camillam,
  Et ſubeat menti Pentheſilea tuæ,
Adde & Amazonia reliquas de ſtirpe ſorores,
  Reſpice Carmentam, reſpice Penelopen.
Ulta nefas animo, propria Lucretia dextra.
  Invicto, occurret clara pudore tibi.
At rapidum nando tranſmittere Clœlia Tibrin
  Auſa, ſuis animis præmia digna tulit.
Quid te commemorem Veſtalis Claudia virgo?
  Qua ſtetit attoniti vindice fratris honos.
Quiſve tuum dignis nomen Cornelia tollat
  Laudibus? aut animum, Porcia caſta, tuum?
Quis te prætereat generoſi pectoris Eſther.
  Non bene damnatos protinus ulta Syros?
Quisve Palæſtina genitam te ſtirpe virago,
  Spem taceat patriæ, ſubſidiumque tuæ?
Te duce libertas Moſeæ reddita genti,
  Aſſyriuſque tua concidit arte furor.
Si fortaſſe petes exempla recentia; nonne
  Cognita perpetua laude Mathildis erit?
Sponte opibus ſpretis regnum Violanta reliquit;
  Seque ſacri ſociam maluit eſſe chori.
Nec tamen hanc illi vel inanis gloria mentem,
  Vel præceps ſtudium ſimplicitaſve dedit:
Sed ratio conſtans, haud turpi obnoxia voto,
  Ac vitæ tendens ad melioris iter
Harum ingens numerus terras florere per omnes
  Cernitur, hac cœlo queis datur ire via.

Legibus his etiam multas numerare solutas
  Possumus insignes moribus, atque fide.
Sed procul a cœpto videar discedere, si tot
  Insistam exemplis, quæ bene nota tibi.
Denique seu belli, seu pacis munera quæris;
  Seu nova, seu prisci temporis acta leges;
Plurima quæ laudes, muliebria facta videbis;
  Vix plures titulos fama virilis habet.
Turpiter his, hostem cum te fatearis, amice,
  Ac fugias, vitæ quæ tibi nota comes:
Ede quid esse velis, quem te mihi dicere fas sit;
  Aptane quærendis laudibus ista via est?
Obscænum læso vitæ candore relinquis
  Judicium, verbis proditus ipse tuis.
Atque aliquid licuit mihi credere, ni bene nossem
  Ingenuos mores; Socraticamque domum.
Ipse ego naturæ ducentis jura secutus,
  Pergam, quo cœpi tramite, ferre pedem.
Nec tamen immerito: quid enim præstantius unquam
  Pacifico Genius mitis Amore tulit?
Ille decus cœli, & Superum jucunda voluptas:
  Hoc absente Jovis regia tristis erit.
Illius adventu gaudent volucresque, feræque,
  Quicquid alit tellus, æquora quidquid alunt.
Hic pacis Deus est; & amabilis, optat amari:
  Spernit opes; odit turpia; pulchra cupit.
At quæ bellipotens exercet vitricus arma,
  Non probat. & nulla est cæde cruenta manus.
Si quis amans aliquid sine lege, immane, nefandum
  Molitur, nullum hic crimen amoris erit.
Nam male compositæ præceps insania vitæ
  Mortales animos in scelus omne trahit.
Implacidas hominum docuit mansuescere mentes,
  Dulciaque objecit pabula mollis Amor.
Ille truces fastus, violentaque pectora lenit,
  Nec regum claris cedit imaginibus.
Æneamque suum, ne non foret omnibus idem,
  Accendit vultu candida Elisa tuo.

Nil

Nil ſua facundum ſolertia juvit Ulyſſem,
Nec magno virtus profuit Æacidæ.
Pauper adhuc luxu penitus dum Roma carebat,
Sceptrifer Ægeriam fertur amaſſe Numa.
Aurea progenitum divino ſanguine, Cæſar,
Spicula cognati te petiere Dei,
Ille ferum Annibalem domuit, regemque ſuperbum,
Area cui totus parvula mundus erat.
Senſit & Atrides vim Numinis hujus & arma,
Concidit Argolica quo duce Troja manu.
Pectora quinetiam magni incaluere Platonis,
Cujus tam celebri carmine notus amor.
His comes accedit Calvus, molliſque Catullus,
Atque Anſer, flammas qui cecinere ſuas.
Abſtulit ardentem Gallum formoſa Lycoris,
Carmine amatoris Cynthia clara ſui eſt.
Vivit ab inſigni Nemeſis celebrata Tibullo,
Vivit Pelignis nota Corinna ſonis.
Ille ſacri vates operis Jeſſeja proles,
Præfecit populo quem Deus ipſe ſuo,
Berſabeæ captus forma, tibi magne Cupido
Ceſſit; nec Salomon tutior ipſe fuit.
Quique Philiſtæos ſubita oppreſſiſſe ruina
Dicitur, & certam non timuiſſe necem;
Succubuit victus, teneroque vacavit amori;
Nec puduit domina multa jubente pati.
Nil magis horrendum Polyphemo ſenſerat Ætna,
Sævior indomitis fratribus ille fuit.
Dum tamen æquorea ſiccas in rupe capillos,
Exarſit viſâ te, Galatea, Cyclops.
Admovitque preces blandus, ſtudioque placendi,
Inſolita rigidam pexuit arte comam.
Jam tibi poma legit; tibi paſtoralia cantat
Carmina; lanigeras jam tibi ſervat oves.
Quem neque propoſito pietas humana nefando
Arcebat, magni cura nec ulla Jovis;
Leniit hunc blandæ Veneris placidiſſima proles,
Quæ valet æternos ſollicitare Deos.

Suſpice quam nitido mutata effulgeat aſtro
  Frigida veliferas quæ regit Urſa rates.
Suſpice Sidonii radiantia cornua Tauri,
  Florida cui ſimplex ſerta puella dabat.
Suſpice Atlanteam Majam, geminaſque ſorores,
  Ab Jove quæ cœlum pignus amoris habent.
Quis vero innumeros Alcidæ neſciat ignes?
  Et quot ſæva manu monſtra ſubegit amas?
Tu quoque amator eras, cum Theſſala rura tenenti
  Præſtabat citharæ fiſtula, Phœbe, vicem.
Quid Steropen, Veneremq; ſequar? quid Pallada? quidve
  Ilian hic referam Mars placuiſſe tibi?
Perſea quid memorem dubiæ qui præmia pugnæ
  Andromeden ſubito ſaucius igne tulit?
Quidve triumphato dum victor ab orbe redires,
  Lyncibus avectam Gnoſida, Bacche, tuis?
Arſit in Halcyone gelidarum rector aquarum,
  Cœpit Amymone, Laodiceque Deum.
Illi cura fuit Tiro, & formoſa Celæno:
  Anguibus & nondum cincta Meduſa caput.
Sit licet Oceanus ſpatioſis obſitus annis,
  Flagrat inextincto Tethyos igne ſuæ.
Tithonuſque pater cano venerabilis ævo,
  Te Dea, venturæ nuncia lucis, amat.
Hippotaden rapido ventorum turbine laſſum,
  Pulchra fovet niveo Dejopea ſinu:
At Zephyrum Chloris, quæ floribus arva coronans,
  Efflat odoratis lilia miſta roſis.
Quo me ſæve feres Aquilo? num te quoque victum
  Credibile eſt ullas ſuſtinuiſſe faces?
Horridus ille licet Superis, terriſque minetur;
  Æquora terribili concitet alta ſono:
Littore ab Actæo placitam rapuiſſe puellam
  Dicitur, & votis conſuluiſſe ſuis.
Nec tamen a Latio, gelidæ ſed rupibus Arcti,
  Et patriæ rigido venit ab axe tuæ.
Arſit & implacidus Stygii dominator Averni,
  Duraque permulſit pectora blanda Venus.

Vir-

Virgineamque ferens ſub regna latentia prædam
  Noctifero pavidam terruit axe diem.
Denique cuncta videt ſubjecta Cupidinis armis
  Æthere proſpiciens Phœbus utrumque polum.
Nec mare, nec terras, nec ſidera ſumma moveret:
  Ni quiddam egregium, ni Deus eſſet Amor,
Omnia cum nullo ſuperet diſcrimine, quidnam
  Mirum eſt, in tanto ſi grege Titus amat?
Nam mea Neſtoreos ætas nondum attigit annos,
  Nec me Tithoni longa Senecta premit.
Nunc Venerem tractare decet, nunc dicere cantus,
  Nunc dare flaventi mollia ſerta comæ.
Tu quoque quid faceres tales ſortitus ocellos,
  Quales non Jo, non tulit Antiope?
Nempe tibi caderent tam fortia verba, nec ullam
  Scævola, vel Cicero tradere poſſet opem:
Ille licet juris fuerit legumque peritus;
  Alter Palladio noverit ore loqui.
Deſine velle meos abrumpere durus amores,
  Et ſine me placito vivere ſervitio.
Quiſquis ab hoc vitæ poterit me avertere curſu,
  Ille avidam Tityi pectore pellet avem.
Tantaleamque ſitim fugitivis leniet undis;
  Atque tuum infelix, Siſyphe, ſiſtet onus,
Clarus erat bello, bello quoque concidit Hector;
  Et periit notis Tiphys in æquoribus,
Aſt ego, quem certo jampridem perculit arcu,
  Aligeri ſemper miles Amoris ero.
Et tibi quem curis vacuum reſpexit Apollo,
  Grandiſona linquam bella canenda tubâ.

Deſpice, parve liber, morſus livoris edaces.
  Jam tibi Cæſareo contigit ore legi.
Maxima perpetuæ referes præconia laudis,
  Carmina judicio ſi probat ille ſuo.

De lepore Dominæ fugitivo.

Dicite, io, Nymphæ nemorum secreta colentes,
  Candidus effugiens qua lepus egit iter.
Perfidus auratæ subduxit colla catenæ;
  Ipsaque cum sancta vincula rupta fide.
Dicite; sic vestro faveat Dictynna labori,
  Præbeat innumeras sic locus iste feras.
Florida semper humus Zephyro silvæque virescant,
  Nec liquidam turbet cum grege pastor aquam.
Cynthia sic penitus vestros ignoret amores,
  Nec placidum furtis antra cubile negent.
Quid tacitæ spectatis? & ingens pectora vobis
  Occupat opposita risus ad ora manu?
Ne lacrimas, gemitusque meos, ne verba Puellæ
  Temnite: consilium ferte, & opem misero.
Illum equidem reor hos saltus, hæc lustra petisse;
  Signa canum latè turba secuta dedit.
Ullane de comitum numero, quæ retia tendunt,
  Fallaces timidum compulit in laqueos?
Reddite, Hamadryades, nostrumque levate dolorem,
  Nec miserum tristi sollicitare morâ.
Reddite vosque mihi me restituisse, putabo.
  Lusus erat Dominæ deliciæque meæ.
Hunc ego per virides umbras cum matre vagantem,
  Ad ripam excepi, Sandale amœne, tuam.
Parvuus erat, totoque nitens in corpore candor,
  Mæandri niveas exsuperabat aves.
Hic ego, quamprimum, dixi mittatur amicæ:
  Nulla quidem tali munere digna magis.
Paulatimque metu posito mitescere cœpit,
  Et dominæ teneros accubat ante pedes.
Et modo protenta virides cervice corollas
  Accipit, ac tergum molliter aure premit:
Et modo formosæ lambens fert oscula dextræ:
  Porrectas avido nunc capit ore dapes.

Illa, puellari ſtudio depectere ſueta,
  Securum nitidis ſæpe lavabat aquis.
Gratus erat nimium Dominæ: nunc luget ademptum:
  Et cupit inſano victa dolore mori.
Per ſuperos oro Nymphæ, caſtamque Dianam,
  Reddite, ſi veſtros incidit in laqueos.
Aut nobis, ſaltu ſi ſe tulit obvius iſto,
  Dicite quo celerem corripit ille fugam.
Ah, quam ne trucibus timeo ſit præda moloſſis,
  Et viridem lacero corpore tingat humum.
Ah demens, in aperta ruis diſcrimina vitæ;
  Improbe, quid dominam notaque tecta fugis?
Humano cultu adſuetus, paſcêris amaro
  Gramine nec ſemper copia fontis erit.
Sed qua tarda graves agitabunt plauſtra juvenci,
  Sordida vix avidam leniet unda ſitim.
Sæpe levi ſtrepitu folii labentis ab ulmo
  Anxius in duro ceſpite ſomnus erit.
Huc ades, & veniam ſupplex pete: pone timorem;
  Si redeas, parcet protinus illa tibi.
Novi animum, novi ingenium, quod molle, piumque,
  Neſciat iraſci, neſciat eſſe ferum.
Sed quid verba juvat, queſtuſque effundere inanes?
  Nec prece, nec lacrimis perfidus ille redit.
Forſitan, aut viridi ludit laſcivus in herbâ,
  Aut novus inventa conjuge gaudet amans.
O nimium felix, generoſo pectore digna
  Libertas, cunctis anteferenda bonis!
Non te ſolliciti congeſtum divitis aurum
  Torquet, & immenſas candida temnis opes.
Te propter ferus, hic illectus, ſprevit heriles
  Blanditias, gratum quidquid & ante fuit.
Non tamen uſque adeo nobis optanda videris,
  Quin malim Dominam ſervitiumque pati.

Ad Jovem, ut avertat insomnia.

Quid votis adversa meis fortuna minatur?
  Quid Superûm tristis deferet ira novi?
Parce Deûm rector: non me duce dura juventus
  Titanum regnis intulit arma tuis.
Non ego Solis equos mutato limite duxi,
  Cum timuit rapidas regia vestra faces.
Non ego mactato crudeliter hospite dicar
  Humanos artus adposuisse tibi.
Auratas vestes, Siculi non more tyranni
  Dextera de sanctis traxit imaginibus.
Haud ulli per me contempto numine Divûm,
  Sacrilega ablata est aurea barba manu.
Nec veluti Xerxes Neptuno vincla minamur,
  Classibus insolitum cum patefecit iter.
Non per me Elysio rapta est Proserpina regi;
  Nec triplici latrans impius ore canis.
Ergo quid insontem crudelia somnia terrent?
  Et duræ volucres, terribilesque feræ?
Nonne satis fuerat, carâ quod pulsus ab urbe,
  Sollicita vigilans tot mala mente feram?
Nocturnam turbent nisi tristia visa quietem,
  Quæ vel rara solet, vel brevis esse mihi.
Dii, cohibere iras, miserisque ignoscere vestrum est:
  In celeres abeant somnia dira Notos.
Tu quoque, sancte puer generosi rector amoris,
  Sævitiæ finem constituisse velis.
Nam tua non umquam contempsi tela Cupido,
  Nec doleo imperii crescere jura tui.
Nec Veneris, nostri indicio, cognovit amores
  Deprensæ mirâ callidus arte faber.
Nempe ego te quondam felix Duce miles habebar:
  Invidit nostris sors inimica bonis
Omnia nunc contra conjurant: nulla facultas
  Jam mihi vitandi tot fera tela datur.

Quod

Quod si supplicium superest, si pœna perennis;
Hæc precor ut vitæ sit mihi summa dies.
Protinus expediet tristes compescere luctus.
Nam satius miseris est periisse semel.

Ad Amorem.

Ah demens, quisquis silvas, latebrosaque rura
Credit, Amor, telis non adeunda tuis.
Tu nemus umbrosum, tu ripas fluminis alti,
Et liquidos fontes, & juga montis adis.
Quæ nitidi primum radiantia lumina Solis,
Quæ videt occasum, subjacet ora tibi.
Quasque tenet sedes Boreas, & nubilus Auster,
Indevitatas sustinuere faces.
Ah quoties gravibus cupiens me solvere curis,
Desertos saltus, & loca sola peto!
Sive urbes adeam, nemorum seu devia lustrem,
Sive ego cæruleum per mare puppe vehar:
Tu mea furtivo sequeris vestigia passu,
Et jacis immiti spicula certa manu.
Parce puer, sævas in me torquere sagittas:
Ardenti infixum pectore vulnus alo.
Parce puer: quid me extremum sentire furorem
Cogis? an hæc ullum vindicat ira nefas?
O quam te decuit potius domuisse Puellam,
Quæ me, quæque tuum despicit imperium.
Ni frustra ex humero sonat, auree Dive, pharetra,
Ni micat ex oculis irrita flamma tuis;
Huc ades, & facibus celeres, Amor, adde sagittas,
Noxiaque ultrici pectora fige manu.
Fac tamen insignis pereat ne gratia formæ,
Nec ducat roseo pallor in ore notam.
Hoc ego non cuperem; nec sum me Judice tanti:
Signa mihi satis est si qua caloris erunt.

Somnium.

Nox erat, & varias agitabam pectore curas,
  Cum tandem oppressit lumina sera quies.
Hic mihi per somnum mista formidine certam
  Spem dedit, atque animos sumere jussit Amor.
Namque mare ingressus portu prodire videbar,
  Quique ratem regeret navita nullus erat.
Littore constiterat jaculis armatus, & arcu,
  Et pharetra accinctus versicolore puer.
Hujus erat facies, qualis cum luteus ora
  Exerit Eoo Delius Oceano.
Myrtea cingebant auratos serta capillos,
  Nullaque in aligero corpore vestis erat.
Ille ducem mihi se, moderatoremque carinæ
  Obtulit, & cœptum tendere jussit iter.
Tum levis insilit puppim, clavumque magistri
  Arte regens, Zephyris vela ferenda dedit.
Provehitur pelago cita crebrescentibus auris
  Pinus, & immensum protinus æquor arat.
Ipsa videbantur vario discurrere lusu
  Agmina Nereidum, quæ freta salsa colunt.
Hic Ephyre, Drymo, Cydippe, Arethusa, Gryopis,
  Xanthia, Cymodoce, Lysis, & Opis erant.
Pone sequabantur Cyrene, Glaucia, Doris,
  Liriope, Cloto, Psychia, Lemothoë.
Quas inter vixdum posito Galatea timore,
  Narrabat flammas, trux Polypheme, tuas.
Nomina sed longum est tot commemorare Dearum,
  Totque simul nandi connumerare modos.
Pars, alterna jacit pulsato brachia ponto,
  Et vix parte movet posteriore salum.
Pars, maris ima subit piscantibus æmula mergis;
  Pars, nisi quod superest vertice tota latet.
Hæc, velut in nodum duplicato poplite fertur,
  Remigat hæc pedibus, dum resupina jacet:
At male dissimulans ardorem his mista Deorum
  Spumiferas ingens turba secabat aquas.

Hic

Hic ego Arionium Delphinem ludere vidi,
  Tempora cui pietas vivere longa dedit.
Et varii tremulo nabant in marmore piſces,
  Ægæum quales, Joniumque ferunt.
Hic mihi, quam tutum fragili confidere ligno,
  Oſtendere brevi ventus & unda mora.
Namque ea dum miror pelago provectus aperto,
  Decreſcunt montes, littora diffugiunt.
Poſt ubi conſpectu tellus ſubmota receſſit;
  Hinc Notus, hinc Boreas, Africus inde ruunt.
Undique convulſum feriunt mare; dumque tuetur
  Quiſque ſuas partes, diripuere ſalum.
Involvere diem nubes, cæcæque tenebræ
  Inſurgunt, & nox ingruit atra mari.
Intonat horriſono cœlum ſe murmure miſcens,
  Et ſua terribilis Juppiter arma ciet.
Ignea diſcuſſis erumpit nubibus æthra;
  Deucalioneæ præcipitantur aquæ.
Nunc ferit immenſo Neptunus ſidera fluctu,
  Et nunc diductis terra aperitur aquis.
Tollitur in cœlum, ſummoque in gurgite pendet:
  Tartara mox præceps fertur ad ima ratis:
At puer inſanis agitari ut fluctibus æquor,
  Terribileſque poli ſenſit adeſſe minas;
Evolat, & celſæ reſidens in vertice rupis,
  Eventum ſævi proſpicit inde mali.
Deficit auxilio ſpoliata carina magiſtri,
  Atque procelloſis ingemit icta Notis.
Dilacerata furens Aquilo fert vela per auras,
  Et celer Eoos concitat Eurus equos.
Correptamque ratem ſcopulis illidit acutis,
  Lataque per rimas eſt via facta ſalo.
Talia cernenti gelidus tremor oſſa pererrat;
  Sollicitant noſtræ Numina ſancta preces.
Ipſum quin etiam, mea qui modo vela regebat,
  Naufragus imploro, cæruleoſque Deos.
Nec jam reſtabat miſero ſpes ulla ſalutis:
  Ante oculos ſpecies plurima mortis erat.

Cum subito tristes compescuit Æolus iras,
  Atque reluctantes traxit in antra Notos.
Tum rabidos fratres latebroso carcere clausit;
  Et rediit pulsa nocte serena dies.
Ipse tridente suo pelagi rex temperat undas,
  Lapsus cæruleis per maria alta rotis.
Quem medium vasti còmitantur Numina ponti:
  Humida rotantes implicat alga comas.
Hic puer ad navem levibus redit impiger alis,
  Sollicitosque jubet ponere corde metus.
Exoptata procul monstrat mihi littora dextra,
  Atque, inquit, ridens, hæc tua Tite fides?
Exiguamne adeo spem nostro in numine ponis?
  Quid dubitas? quid nunc vult timor iste sibi?
An paterer, si me fueras duce creditus undis,
  Dicerer ut mortis caussa fuisse tuæ?
Ille ego sum, quem tu nosti, Deus auctor amoris,
  Quin tibi nunc Dominam conciliare paro.
Quæ nunc difficilem quamvis se præstet amanti;
  Perfer; erit mitis protinus illa tibi.
Nec te formosæ pigeat servire puellæ.
  Quid non Alcides ipse in amore tulit?
Prætereo mortale genus, Divosque minores,
  Perdomui Phœbum, magnanimumque Jovem.
Ista tuos volui prædicere somnia casus,
  Ne curæ credas te minus esse mihi.
At tu marmoreis referas pia munera templis;
  Quæ cum siderea matre Cupido tenet.
Hæc ait: interea navis petit anxia portum,
  Somniaque excussit nuntia lucis avis.

Querela uxoris, occiso Principe.

Heu nimium viridi conjux erepte juventa,
  Heu vitæ quondam ipsesque, salusque meæ.
Hancne tuam faciem video? pectusque decorum?
  Hæc tua, quæ geminum lumina sidus erant?

Vix

Vix laceros vultus, & ſparſos ſanguine crines
  Agnoſco, & diris membra cruenta modis.
Occidis, heu, manibus conjux miſerande tuorum.
  Vulneraque in tenero corpore ſæva patent.
Unde mihi ſperanda ſalus, regnique fidele
  Præſidium fuerat, prodiit inde nefas.
Deneget iratus populo ſua lumina Titan,
  Impiaque averſis mœnia damnet equis.
Cur me fata ſinunt tanto ſupereſſe dolori?
  Cur tua ſumme Deûm dextera ceſſat iners?
Nec Ducis immerito maculatos ſanguine cives
  Horrida Phlegræi fulminis ira petit?
Non genitor, non forma tibi, non profuit ætas,
  Junctaque cum multa brachia ferre prece.
Nil hominum juvat atque fidem imploraſſe Deorum;
  Impia ſed cæco eſt acta furore manus.
Meme utinam letho comitem tibi dextra dediſſet,
  Quæ pectus duro perculit enſe tuum.
Ne quam junxit Hymen, divelleret Atropos a te;
  Sed conjuncta forent funera noſtra tuis.
Nunc ſævos inter gemitus, lacrimaſque relinquor;
  Nec ſine te grata eſt vita futura mihi.
Nunc mea ferali mutantur ſerta cupreſſo,
  Adſpicioque tuos vix bene nupta rogos.
Quam modo feſtus Hymen tædam geſtavit ad aras,
  Illa ſepulchrales ponitur ante focos.
Felix natorum Niobe poſt fata fuiſti:
  Eripuit ſenſum ſaxea forma malis.
Felix quæ dominam Cyane dum luget ademptam,
  Sicelidem ſubito fonte rigavit humum.
Felices etiam viridi quæ cortice clauſæ,
  Fletibus Heliades impoſuere modum.
Ipſa dolore gravi nimium confixa reſervor,
  Fortunâmque timent iſta ſubire meam.
Et mihi, vir, tecum moriendi jura negantur,
  Parcaque non gratam prorogat uſque diem.
Vos precor, o Superi, ſi quid pietatis & æqui eſt;
  Si flectunt ullæ Numina veſtra preces,

Ante

Ante oculos veſtros inter penetralia cæli
  Principis injuſta fraude, piate necem.
Et ſcelerum ultores merito punite nocentes
  Supplicio, & factis præmia digna date
At tibi per facinus vitam cui funere acerbo
  Abſtulit ante annos impia dextra tuos;
Elyſii placidas liceat cognoſcere ſedes;
  Et memor Elyſiæ care marite, vale.

Ad Piſanum pictorem, ſtatuariumque ſummum.

Quis Piſane tuum merito celebrabit honore
  Ingenium præſtans, artificeſque manus?
Nam neque par Zeuxis, nec par tibi magnus Apelles,
  Sive velis hominem fingere, ſive feram.
Quid volucres vivas, aut quid labentia narrem
  Flumina, cumque ſuis æquora littoribus:
Illic & videor fluctus audire ſonantes;
  Turbaque cæruleam ſquammea findit aquam.
Perſpicuos molli circumdas margine fontes,
  Miſtaque odoratis floribus herba viret.
Per nemora, & ſaltus Nymphæ venantur apertos,
  Retiaque, & pharetras, & ſua tela gerunt.
Parte alia capreas luſtris excire videntur,
  Et fera latrantes roſtra movere canes.
Illic exitio leporis celer imminet Umber:
  Hic fremit inſultans, frenaque mandit equus.
Nare lacu ranas, ſilvis errare leones:
  Ima valle truces ire videmus apros.
Se profert antro catulis comitantibus urſa:
  Martius ad plenum tendit ovile lupus.
Quis non miretur geſtus & ſancta virorum
  Corpora? quæ penitus vivere nemo neget?
Quiſve Jovis faciem pictam non pronus adoret,
  Effigiem veri Numinis eſſe ratus?
Denique quidquid agis, Naturæ jura potentis
  Æquas divini viribus ingenii.

Nec

Nec ſolum miro pingendi excellis honore,
  Nec titulos virtus hæc dedit una tibi;
Sed Polycleteas artes, ac Mentora vincis;
  Cedit Lyſippus, Phidiacuſque labor,
Hæc propter toto partum tibi nomen in orbe;
  Te præſens ætas poſteritaſque canet.
Aſt opere inſigni noſtros effingere vultus
  Quod cupis; haud parva eſt gratia habenda tibi.
Si longos aliter mea non exibit in annos,
  At ſaltem vivet munere fama tuo.

Ad Ariadnam, puellam formoſiſſimam.

Ut prior eſt ætas faciem mirata Lacænæ,
  Sic formam laudant nunc, Ariadna, tuam.
Tyndaris hoc uno fertur ſuperaſſe, quod illa
  Difficilis blandis neſciit eſſe procis.
Tu pietate carens, & faſtus plena ſuperbi
  Formæ corrumpis maxima dona tuæ.
Nec magis Euryali gemitu, lacrimiſque moveris,
  Quam prece turbati flectitur ira ſali.
Quid faceres ſi Neſtoreos hic vinceret annos?
  Et tegeret criſpas horrida barba genas?
Exemplo tibi ſit pharetrati mater Amoris;
  Dignata eſt puero jungere Diva latus.
Illo etiam fertur lacrimas fudiſſe perempto;
  Et ſolito roſeus fugit ab ore decor
Abſtulit Endymion tenera Latoida formâ,
  Dum patrio niveas monte reducit oves.
Ipſa licet Dea ſit, noctiſque Aurora tenebras
  Pellat. in amplexum non pudet ire ſenis.
Invidiſſe Deos perhibent, cum mollia cano
  Oſcula Tithono culta puella daret.
Tu juvenem, quo non formoſior alter in urbe,
  Spernis, & inſano cogis amore mori.
Si ſapis, ipſa tuæ fructum decerpe juventæ:
  Reſpice; jam properans terga ſenecta premit,

Quod

Quod ſi nec facies qualem Narciſſus habebat,
  Nec movet antiquo ſanguine clara domus,
Te ſaltem moveant generoſæ Palladis artes;
  Queis inter priſcos hic numerandus erit.
Huic tu ſi faveas, hunc ſi digneris amare,
  Cantabit laudes, dia puella, tuas:
Atque immortalis famæ tibi quæret honorem;
  Et tua poſt obitum forma perennis erit.

Laudat Ferrariam.

Tandem Flaminiæ nemoroſa reliquimus arva:
  Jam datur optatam cernere Ferrariam.
Hic mihi blanda Venus primum inſpiravit amorem;
  Raptaque libertas, ſervitiumque datum.
Hinc ego in exilium dominâ damnante profectus,
  Quas peperit pœnas impia lingua, lui.
Omnia nunc tandem in melius præſentia Divûm
  Rettulit, & facta prœlia pace fugat:
Spargite odoratos inſtructa per atria flores,
  Debitaque antiquo ſacra parate Lari.
Quiſquis adeſt, votis faveat: vicinia rixas
  Ponat, & exultent compita lætitiâ.
Ipſe Dionea redimitus tempora myrto
  Imponam tepidis grana Sabæa focis.
Ferte pedem placata Venus, mitiſque Cupido;
  Nec vos fortunæ ſpernite dona meæ.
Vobis magna ſatis, Superi, ſunt munera parva,
  Si modo mens nigrâ candida labe caret.
Vos patriæ turres, patrii ſalvete Penates:
  Urbs fauſtis ſalve condita ſideribus.
Tu Superum templis, domibuſque ornata ſuperbis
  Finitimis effers invidioſa caput.
Dives agri, atque auri Leonello principe flores;
  Et populi turbam vix capis ipſa tui.
Jam tibi Pierios Phœbus largitur honores,
  Vivida nec deſunt artibus ingenia.

Te fecunda Ceres immensis frugibus implet;
Nec tibi Lenæus dulcia musta negat.
Læta saginati depascuut prata juvenci;
Lanigeræ carpunt fertile gramen oves.
Te Pater Eridanus sinuoso flumine cingit,
Et vetat hostiles pertimuisse minas.
Martia securi contemnunt classica cives;
Nullaque sunt, nisi quæ prœlia fecit Amor.
O felix nimium tellus, nimiumque beata!
Tu modo Cœlicolas relligiosa cole.
Hic tibi perpetuum ver floreat, ipsaque nullo
Exercente sinum Gargara vincat humus.
Non lupus insidias stabulis meditetur apertis:
Et cum rore cadat nectar, & ambrosia.
Tum gens secura exactis feliciter annis,
Elysias sedes, & loca sancta petat.

Ad Isottam.

Hanc Sigismundi tibi fert, Isotta, salutem
Nomine, sollicita litera facta manu.
Scribere difficile est, quam me nova cura fatiget;
Quam mihi mors fuerit Patris acerba tui.
Ejus enim nobis nimium jactura dolenda est,
Qui præstans factis, ingenioque fuit.
Et quamcumque illi patriam fortuna dedisset;
Illam ortu potuit nobilitare suo.
Sed quamvis nostræ summum decus adderet urbi,
Clarus & innumeris esset imaginibus;
Virtutesque viri quamvis ego semper amarim;
Te propter nobis carior ille fuit.
Nec minus hunc colui quam dux Trojanus Achatem,
Quam rector Grajæ Nestora militiæ.
Sed fortuna diu gressu non pergit eodem;
Spesque hominum vanas insidiosa facit.
Invidisse mihi crudelia fata videntur,
Injecitque feras impia Parca manus.

Ille jacet, cujus dulci ſermone fruebar:
  Quo potuit curas ſæpe levare meas.
Cujus recta fides, ingens prudentia, fidum
  Conſilium, gravitas digna Catone fuit.
Aſt ego dilecti caſu cùm vexer amici;
  Me cruciat luctus, cara puella tuus.
Et triſtes lacrimæ, & ſævi ſine fine dolores
  Dilacerant miſeris pectora noſtra modis.
At mihi ſive libet caſtris educere turmas:
  Signaque in adverſos Martia ferre duces;
Sive per hoſtiles latum diffundere campos
  Agmen, & in victo caſtra locare ſolo;
Seu placet obſeſſis invadere mœnibus urbes,
  Oppida ſeu victor capta ſubire parem;
Protinus ante oculos tua ſeſe oſtendit imago
  Flebilis, & curas excitat illa meas.
Nec ſic ereptâ Æacides Briſeide, nec ſic
  Orpheus amiſsâ conjuge mœſtus erat.
Quod ſi noſtra tibi virtus, & gloria cordi eſt;
  Deſine nos fletu ſollicitare tuo.
Ecce meo adficitur mœrore exercitus omnis;
  Proque ſuo nimis eſt anxia turba duce;
Et pariter fremit, atque aliquid putat eſſe ſiniſtri;
  Quid tamen, ignorat veraque cauſſa latet.
Sæpe mihi comites; quid Dux fortiſſime, dicunt
  Triſtis es? ac vultus quid petit iſte ſibi?
Si bene fortunamque tuam, præclaraque facta
  Novimus, & laudis tot monumenta tuæ,
Te potius gaudere decet, quem magna tuentur
  Numina, cui Mavors, Juno, Minerva, favent.
Talibus atque aliis conantur demere curas,
  Conveniens morbo nec medicina meo eſt.
Protinus una potes tantum lenire dolorem,
  Spes mea, ſi gemitus comprimis ipſa tuos.
Manibus officium pietas immenſa paternis
  Præſtitit: iſte modum debet habere dolor.
Adſpice poſt nimbos nitidum quam ſæpe reducat
  Vectus lucifero Cynthius axe diem:

Æquo-

Æquora placantur, quæ nunc Aquilone tumebant,
  Et cedit fratri roſcida Luna ſuo.
At pluvialis hiems Zephyro ſpirante recedit,
  Omniaque alternas conſtat habere vices.
Hanc Natura potens ſtabili tulit ordine legem,
  Deſinat ut, quicquid cœperit eſſe ſemel.
Metas cuique ſuas dat inexorabile fatum:
  Et nil morte homini certius eſſe poteſt.
Illa malis requiem, finemque laboribus adſert;
  Quorum ſi ſpectes agmina longa, ruunt
Viderat hoc celeber Samiæ telluris alumnus;
  Hoc & magnanimus ſenſit Anaxagoras.
Hoc Xenophon ſenſit, quem non revocavit ab aris
  Filius exſtinctus; nec doluiſſe ferunt.
Ergo quid incaſſum prodeſt tot fundere queſtus?
  Nil caſus nobis attulit iſte novi.
Natus enim mortalis erat, cui tempore parvo
  Etſi nunc maneat, mors obeunda fuit,
Defuit haud quidquam dum vivere fata dederunt.
  Quo felix dici debeat ipſe minus.
Cetera ſi deſint, fortunatiſſimus eſſet,
  Cum tu illi talis filia contigeris.
Adde, quod ad Superos aditum mens æqua, fideſque,
  Et virtus præſtans, relligioque dedit.
Non igitur grati, nec amantis ſigna videntur,
  Illius tantis ingemuiſſe bonis.
Et ſi quis remanet poſt fata noviſſima ſenſus,
  Ægre fert lacrimas umbra paterna tuas.
Quod te, per cineres, animamque parentis, & illum
  Qui nos junxit Amor, per Veneremque rogo;
Per quæcumque tibi parvæ tulit oſcula mater,
  Per ſpem fraternam, per faciemque tuam:
Per Sigiſmundi [ſi qua eſt tibi gratia] nomen.
  Te præter cui non ulla placere poteſt;
Nil profecturas oro compeſce querelas,
  Queis tua concutitur flore juventa ſuo:
Deſine ſidereos lacrimis corrumpere ocellos,
  Et rigido roſeas ungue notare genas.

Parce precor formæ, qualem prælata duabus
  Valle ſub Idæa mater Amoris habet.
Si tua cara minus; noſtræ ſuccurre ſaluti;
  Quæ niſi deſieris, nulla futura brevi eſt.
Si pater occubuit letho, mœſtamque reliquit;
  Adfines adſunt, frater, opeſque tibi.
His quoque me, cui non obſcurum nomen in orbe
  Clara dedit virtus, connumerare velis:
Quem crines flavi rapiunt, oculique loquaces,
  Quique caret dura ruſticitate pudor;
Qui tibi frater ero, genitorque, & fidus amator,
  Dum mea torquebit fila ſecunda ſoror.
Ipſe loqui coram potius, quam ſcribere vellem.
  Otia ſi qua mihi Martia bella darent.
Eſt aliquid veras voces audire precantis:
  Exorant lacrimæ quod fera corda negent.
Auxilium tulit Æſonidæ Medea roganti;
  Ante aras flentem viderat illa virum.
Supplicibus præſens Theſeus Minoïda verbis
  Flexit, ut implicitam ſolveret arte viam.
Spem tamen hanc, & amor tuus in me Iſotta, fideſque
  Dant, ut adeſſe putes, cum mea verba legis.
Et ſimul ac nimio pectus mœrore levaris,
  Augebit vires firmior illa ſuas.
Quod ſi vera monent; nec amantem inſomnia fallunt
  Quæ ſopor obſcura candida nocte tulit;
Te fore quamprimum lætam, facieque ſerenâ,
  Fatidico cecidit Delphicus ore Deus.
Phœbe fave, & votis bonus annue; nuntia lucis
  Ante tuos currus ſic Dea ſemper eat.
Æthereumque tibi ſternens iter, increpet atræ
  Humentes umbras noctis, & aſtra fuget;
Sic formoſa tibi Eunomie, cœtuſque ſororum
  Pareat, & vigili ſerviat officio.
Sic cum permenſo labêris ab æthere curſu,
  Doris Atlanteis læta recepter aquis.
Sic leviter Phaëronta tegat lapis, & tua Delos
  Perpetuo maneat non agitata Notis.

Sem-

Semper & intonſos cingat tibi laurea crines.
Et ſemper tibi ſint carmina, ſintque, lyræ.
Longa ſed adflictam ne laſſet epiſtola mentem,
Cogimus invitam ſiſtere, Diva, manum.
Illa quidem nollet, mihique adverſata repugnat,
Sponte operam tribuens officioſa ſuam.
Et veluti præſens tecum nunc ipſa loquatur.
Gaudet; & hæc ſcriptis addere pauca monet.
Ut memor uſque mei nullis exercita curis
Vivas, hoc poterit gratius eſſe nihil.
Sic ego ſecurus vivam, ſic me tibi cuſtos
Inſignem multâ laude remittet, Amor.

Ad Luciam Barziam.

Immortale decus Peruſinæ, Barzia, gentis,
Quam bene conveniens Lucia nomen habes!
Lucet enim latè morum nitor ille tuorum;
Rara nec ingenuo forma pudore caret.
Inque oculis Charites habitant, & grata Venuſtas,
Quos ſuper, & circum blandus oberrat Amor.
Inde faces, ac tela jacit, furtimque latentes
Tendit ibi laqueos, multipliceſque plagas.
Cernere nec cuiquam fas eſt ardentia tuto
Lumina: tantum illic Ars, Geniuſque valent.
At tu, cujus abit numquam de fronte Cupido,
Nulla cupidinei ſigna caloris habes.
Nec facit hoc (neque enim rudis, & tam neſcia rerum es)
Mentis inurbanæ ruſtica ſimplicitas;
Verum innata tibi conſtantia, qua nihil optas
Aut humile, aut quod te dedecuiſſe putes.
Da veniam, tibi ſi nimium temerarius eſſe,
Audacterque alquid dicere viſus ero.
Me niſi certus amor, formoſæ ferre puellæ
Vincula juſſiſſet, quæ mihi culta diu eſt,
Nil non tentarem, ſtudioque anniterer omni,
Ne noſtram abnueres noſcere velle fidem.
Forſan & adſequerer: ne ſaltem hoc dicere nolles;
Hic amat, & certe eſt dignus amore meo.

Ad Ludovicum Carrum.

Sæpe aditum dedit ad Dominam mihi adultera clavis,
  Adventum expectat dum, Lodovice, meum.
Me conata femel fimulato ludere fomno eft:
  Nec bene fucceffit, lufa fed arte pari eft.
Vix lectum attigeram, detracto nudor amictu,
  Et quod Amor fuadet munus obire paro.
Ofcula do fruftra, fruftra illam amplector, & ad rem
  Spectante haud uti fedulitate juvat.
Perftat enim cœpto veluti devicta fopore
  Atque filet, quamquam mille petita modis.
At me non latuit dolus, & ceu rumpere fomnum
  Non aufim, jacui mutus, inerfque thoro,
Subrifit tandem, & niveis mea colla lacertis
  Implicuit: lectus cetera, noxque fciunt.

In Invidum.

Nil ego te metuo, quamvis mihi multa mineris,
  Invide. quid fruftra fortia verba jacis?
Hæc ubi nota minus tua fit focordia perfer.
  Nos fine concordes, quâ fumus, ire viâ
Tune illam demens levibus corrumpere donis,
  Deque meo fperas eripuiffe finu?
Jam tibi nunc faciam rumpantur ut ilia trifti
  Invidiâ, fi me provehet ira magis,
Et faciam, mea cum fpectaris gaudia, dicas:
  Tirefiæ gravior quam mea pœna malis.

Ad Cambium Philofophum,

Define me gravibus toties obtundere dictis,
  Et vitæ, Cambi, facta notare meæ.
Nil agis, ac certum fruftra mutare laboras:
  Nec potes a cœpto me revocare meo.
Linter tota dedit rapidis ubi lintea ventis,
  Et cita jam medio gurgite cymba volat;

Non

Non facile ad portus retro convertere curſum
  Quos modo diſcedens liquerit, ipſe valet.
Sic ego, qui cupidi pelago maleſanus Amoris
  Jactor, ab hac nequeo vela referre viâ.
Et mihi jam dulce eſt in amaro vivere luctu:
  Tantum mens cæcæ perdita noctis habet.
Hæc qui mira putat; vitas ignorat amantum,
  Neſcit & ut cupiant ſæpe in amore mori.
Stabat in abruptis vates miſerabilis antris
  Eurydicen lugens, nocte dieque ſuam,
Iſmarus, & Rhodope nequidquam, & Thracius Hebrus
  Quærebant ſolitæ carmina blanda lyræ
Sæpe etiam Nymphas duri ad ſolatia caſus,
  Hæc illi ſolitas dicere verba ferunt.
Pone graves, Orpheu, curas, neu crede gemendo
  Tartareos iterum poſſe movere Deos,
Quod ſemel amiſſum, nullo reparabile pacto,
  Hoc ipſum levius, ſi patiaris. erit.
Invenies alios, quos admireris amores,
  Eurydicenque novam Theſſala terra dabit.
Talibus, atque aliis fruſtra lenire dolentem
  Tentabant, monitis nec locus ullus erat.
Carminaque & Nymphas, lucemque peroſus, in ipſos
  Amens jactabat non bona verba Deos.
Ergo ego quid faciam? ſi natus Apolline vates
  Atque Dea, curam vincere non potuit?
Aut lapis, aut ferrum eſt, quē numquam gaudia tangunt,
  Nec dolor, aſperitas nec movet ulla mali.
Quem blando numquam vultu ſpes allicit, & qui
  Nil timet, in quo non gratia, non odium eſt
Adſpice, læſa ſuos ut ſæpe animalia prodant
  Adfectus, noſtræ quæ rationis egent.
Triſte gemit duris inciſa ſecuribus arbor,
  Et queritur viridem ponere mœſta comam.
Saxorum oppoſitis frenati molibus amnes
  Indignantur aquas lentius ire ſuas.
Gurgitibuſque fragor ſpumantibus indicat iram;
  Senſibus ut propriis illa carere neges.

Gaudet ut accensis ramorum fascibus ignis,
  Sic super injecta flere videtur aqua.
Terra quoque, & cœlum modo rident, & modo lugent;
  Forma nec in rebus permanet una diu.
Si varios igitur nequeo componere motus
  Pectoris, haud facti caussa pudenda mei est.
Me Natura hominem voluit mitissima nasci,
  Non in Caucaseis rupibus esse feram.
Hinc sequor humanis quæ convenientia duco
  Moribus, ætati non aliena meæ.
At tu quem studiis sublimibus evehit ardens
  Ingenium, ad vitæ liberioris iter,
Quæ mihi proponis clarorum exempla virorum,
  Tu sequere, & sine me fata subire mea.

Ad Anthiam.

Incipe læta dies roseo procedere ab ortu,
  Igneaque extremus Lucifer astra fuget.
Jam matutinis Auroram cantibus ales
  Garrula cæruleo suscitat e gremio.
At tu quæ tantum nimis importuna moraris,
  Umbra soporiferæ languida noctis abi.
Deseret huc rediens peregrinas Anthia terras,
  Atque Antenoreâ mœnia facta manu.
Ipse focis pia thura dabo, myrtoque virenti,
  Purpureisque tegam limina sancta rosis.
Hinc sacris operatus (amat Venus omnia læta)
  Incipiam verno cingere flore caput.
Perfususque comas nardi felicis odore,
  Dicam ego percussa carmina læta lyrâ:
Nec trahere in seram pudeat convivia noctem,
  Liberaque epoto fundere verba mero.
Sit procul hinc tristis rugæ censura severæ,
  Canaque cum duro barba supercilio
Vos procul este, quibus fulvi sitis imperat auri:
  Oderunt curas Liber, & alma Venus.

Nec

Nec vobis culpanda tamen laſcivia noſtra:
Cernite, quo Superos impulit acer Amor.
Ille Deum rector, qui fulmine territat orbem,
Sumpſit Agenoreis cornua littoribus.
Virgineamque tulit fraterna per æquora prædam.
Sollicita repetens Gnoſia rura fugâ.
Quin etiam falſus niveas Olor induit alas,
Et teneros fulvo preſſit in imbre ſinus
Non mare, non tellus, non ſævi regia Ditis,
Non ipſa Herculea ſidera laude carent.
Fronte dolens lacera liquidis, Acheloë, ſub undis
Non levis Herculei teſtis amoris ades.
Illi etiam victrix ſpoliato fortibus armis
Tradidit ornatus Lyda puella ſuos.
Quique tulit cœlum, Dominæ mandata tuliſſe
Creditur, & plenas attenuaſſe colos.
Materna quoties Delo, Delphiſque relictis
Saucius Hæmonias pavit Apollo boves?
Æger, & artis inops, nullis adjutus ab herbis,
Cum toties aliis ipſe tuliſſet opem.
Populeis ramis, pro lauri fronde, corona
Cinxerat impexam nexa ſine arte comam.
Pauperis indutus rigido paſtoris amictu,
Sedit in umbroſis vallibus Æmathiæ.
Perditus ipſe ſuos illic cantabat amores,
Carmine Phœbeis conveniente modis,
Aoniæque vicem citharæ ſuppleрat amanti
Stridula ſeptenis canna foraminibus.
Ecce leves Satyri coëunt, facileſque Napææ
Conveniunt, udo Naiadeſque pede.
Mirantur vocem inſolitam, mirantur & artem,
Laudat & ignotum pendula turba Deum.
Forſan & hic aliquis, me judice vincitur, inquit
Pan Deus & præfert te quoque, Phœbe, tibi.
Ad vaga mox idem deſertis flumina campis
Paſtor agis paſtas Sole cadente boves.
Nec ſubiiſſe caſam puduit, fœnoque rigenti
Inter cornigerum procubuiſſe pecus.

Ergo

Ergo quidquid Amor suasit decuisse putemus,
  Cum possit magnos sollicitare Deos:
Nec quisquam insanis contemnere vocibus ausit.
  Asper erit, læsi Numinis ultor erit.
Sed tibi dum veteris spectantur vela theatri,
  Ternaque fluminibus mœnia cincta suis:
Vel dum te Livi retinet, veneranda, sepulchro,
  Nunc sacræ sedes curia Justitiæ:
At dum visendi cupidam te fana morantur,
  Proximaque antiquo Regia tecta foro;
Aut dum cæruleum cymba juvat ire per amnem,
  Ortaque vicino balnea fonte petis;
Ullane cura mei tepido suspiria movit
  Pectore, securam quæ minus esse sinat?
An magis erepto ne tristis amore vacares,
  Rivalem nobis urbs Patavina dedit?
Vobis formosæ nam cuncta licere putatis;
  Crimina vestra tamen fama sinistra notat.
De te nec possum mordaci credere vulgo,
  Nec te perfidiæ suspicor esse ream.
Judicio sed casta meo, peccare caveto:
  Intentos oculos Juppiter altus habet.
Si petis, interea quid agam, dum lenta moraris,
  Mecum bella gerunt Spes, Timor, atque Venus.
Nam modo te votis fingebam, Vita, peractis,
  Ferrariam celerem velle referre gradum.
Ah quoties falsus de te mihi sæpius augur,
  Nec dubium novi præpetis omen avis!
Et modo te rebar violentis febribus ægram
  Torqueri, infectos pertimuique locos!
Nunc pater invitæ ne quem tibi jungere vellet;
  Qui creber totâ rumor in urbe fuit.
Occurrit quoties aliquis mihi lætus amator;
  Hujus agunt dixi vela secunda ratem.
Sed mea nec remis agitur, nec fertur ab auris:
  Unca procelloso est anchora jacta salo.
Et cibus, & somni ingrati te absente, fuerunt;
  Nullaque nox misero non vigilata mihi.

At

At ſopor invitus ſi quando irrepit ocellis;
  Non ideo vacua mente manere licet.
Nam tua quamprimum in ſomnis occurrit imago,
  Et renovat curas inſidioſa meas,
Te quia non poteram, viſebam ſæpe feneſtras,
  Queis mihi ſævus Amor vulnera mille dedit.
Attonitâ quoties perlegi mente tabellas,
  Quæ me diſceſſus præmonuere tui!
Mecum ſemper erant; illas quoque forte legebam,
  Cum mihi in Angelica Lauſa reperta viâ eſt.
Rettulit illa brevi redituram tempore alumnam,
  Quartus ubi niveos Sol agitaſſet equos.
Hac, prius exanimis, tum demum voce revixi,
  Et rediit toto perditus ore color.
Vellere Phryxeo nec ſic lætatus Jaſon,
  Nec Paris advectâ Pergama Tyndaride.
At tu ne fuerint mea gaudia vana, redito;
  Hancque diem verax vaticinetur Amor.
Adſpice quam liquido tibi rident Numina cœlo,
  Et placidæ volucres carmina blanda canunt.
Certat odoratos tibi fundere terra colores;
  Ne deſint nitidæ florida ſerta comæ.
Jam pater Eridanus tumidam compeſcuit alvum;
  Jamque vocat pandos aura ſecunda ſinus.
Populus ex ripis tibi plurima porrigit umbram:
  Candida ne fervens Sirius ora notet.
Jam virides fuſæ per cærula colla capillos
  Nabunt, & ludent Naides ante ratem.
Inque tuum Dryades, Satyrique, & Panes honorem,
  Præcincti variâ tempora fronde, canent.

Ad Amicam.

Si levior foliis, auraque incertior eſſem.
  Et flueret modico tempore noſtra fides;
Non ego tam longo conſtans in amore fuiſſem,
  Ire nec adſiduas cogerer in lacrimas.

Nec

Nec graciles adeo macies consumeret artus,
  Nec mea mutaret pallidus ora color.
Sed vos decipere incautos didicistis amantes;
  Et queritur lædi, fallere si qua parat.
Tu, me infelicem, formosam Lotida narras,
  Et Marcotinidem præposuisse tibi.
Has ego dispeream, si præter nomina novi;
  Tardaque & infido sit mihi dura Venus.
Tene ego deserta potuissem ducere vitam?
  Hæc Jope quamvis, Inachis illa foret?
Non sum, quem valeant aliæ mutare puellæ,
  Nec meus incertis passibus errat Amor.
Huc cursum tenui: tu portus es: anchora nostra hic
  Hæreat, hinc nullis fluctibus eiiciar.

De Natali Anthia.

Natalem Dominæ mecum celebrate, coloni,
  Et positis curis, undique cesset opus.
Hunc nitidi servate diem; vinclisque solutis,
  Demant servitio libera colla boves.
Nunc agitate choros, & carmina dicite læti;
  Nec madidum verno stet sine flore caput.
Cernite, qua roseus processit ab æquore Titan,
  Utque tegant clarum vellera nulla diem.
Garrula vicinis carmen Philomela sub umbris
  Integrat, & solito dulcius orsa queri.
Hac fœcunda die pubescunt gramina campis:
  Floriferos aperit terra benigna sinus.
Hac quoque luce Venus mediis in fluctibus orta est;
  Dixit & Aprilem nomine Diva suo.
Omnia lætantur: pariter lætemur & ipsi;
  Candida nos positis mensa vocat dapibus.
Ocyus annosum, pueri, proferte Lyæum;
  Porgite sollicitâ pocula plena manu.
Tibia nunc hilaret bifori convivia cantu,
  Atque habeant nullum verba jocosa modum.

At

At tu, quæ magnam ſine me nunc incolis urbem
  Anthia, Natali munera ſolve tuo.
En agedum lymphis nitidi rorentur ocelli,
  Atque ſuo tenues ordine pone comas.
Hinc roſeis digitis habilem tibi finge coronam,
  Membraque ſepoſitâ candida veſte tege.
Sic demum Genio meriti referentur honores:
  Ille novum mirâ condidit arte decus
Ille tibi inſignem, cui cedunt omnia, formam;
  Ille etiam eximium præbuit ingenium.
Sed tibi nec libeat Paulli procedere ad aras,
  Nec pete clamoſa proxima templa foro:
Nec minus Angelicæ fanum memorabile Matris
  Effuge: rivales hæc loca ſemper habent,
Ipſa Dei ſatis eſt volucres qui ponderat Umbras,
  Si vetus oblato munere limen adis.
Hic nullæ impedient juvenum tua vota catervæ
  Anthia; rarus in hac æde vagatur amans.
Tunc ſecurus ero, tunc me tibi pectore fixum
  Crediderim longâ poſſe manere die.

Ad Borſium.

Dux, genus a magnâ qui ducis origine Regum,
  Imperioque refers aurea ſæcla tuo:
Qui propria gaudes virtute excellere, cujus
  Gloria nullius creſcere laude poteſt.
Quo nihil a Superis optet Ferraria majus;
  Tradere quo melius nil potuere Dei:
Si qua tibi tot res ingentes otia linquunt,
  Hæc facilis placido lumine pauca lege.
Corporis egregias non hic perſcribere laudes
  Conor, nec regni jura referre tui.
Nec loquor hic a te purgata paludibus arva,
  Meſſibus ut largis cultus abundet ager:
Non ſacras ædes, non clara palatia, per te
  Sumptibus innumeris ædificata canam:

Quâ

Quâ tua se mole attollat Carthusia linquo;
 Et Schivinojeæ gratia quanta domus:
Nec mihi cura, novis quas muris cinxerit arces
 Dicere, nec pulchræ mœnia Ferrariæ.
Rem quoque non parvam sileo; quod tollis in imâ
 Planicie excelsi nobile montis opus.
Magna quidem sunt hæc; hominum sed facta labore,
 Nec decus ad proprium tu tibi solus habes.
At punire malos; æqua dare præmia lance;
 Ponere non sanis frena cupidinibus;
Invictumque malis animum præstare, Deosque,
 Ut facis, ante oculos semper habere tuum est.
Hæc ego mira puto, quibus hic tibi vera paratur
 Gloria, quæ rectâ ducit in astra viâ.

Mustelæ Epicedion.

Tene igitur nobis eliso gutture talem
 Mustela infelix, & miseranda refers?
Sic laqueo pendes alto delapsa cubili?
 Suspensæ auxilium sic tibi nemo tulit?
Sic oculos, linguamque geris, sic frigida tortis
 Pallent ora labris? sicque relinquis herum?
Quis referat gemitus, ubi perculit Herculis aures,
 Non expectati fama sinistra mali?
Nil potuit puero te gratius esse, nec illi
 Morte tuâ quidquam tristius esse potest.
Tu digitos blando tentabas improba morsu,
 Porrecto ludens semisupina pede;
Et mollem e labiis noras sorbere salivam,
 Et quiddam exiguo murmure dulce queri.
Tu fera passeribus pestis, sturnisque fuisti,
 Quos trahere e nidis ars tibi summa fuit.
Teque suis visâ pullis timuere columbæ,
 Et magnis avibus parvula terror eras.
Eheu, quam variis sors casibus omnia mutat,
 Quam felix aliquid non sinit esse diu!

Quo

Quo vigor ille animi? quo ſtrenua corporis illa
  Dexteritas abiit? quo nitor ille tuus?
Hæc ſimul involvit crudelibus Atropos umbris,
  Nullaque ſunt de tot ſigna futura bonis.
At mea ſi quidquam promittere carmina poſſunt;
  Gloria [crede mihi] non moritura tua eſt.
Jam te nec præſens nec poſtera neſciet ætas,
  Æternumque tuus nomen habebit honos.
Ne tamen alitibus ſis præda, aut eſca per undas
  Piſcibus hinc illinc diripienda nates,
Callirhoë lugens, pueri commota dolore,
  Membra ſepulchrali ponit humanda thoro.
Aurea quem multo ridentem flore corona
  Circuit, & triſtes itur ad exſequias.
Turbaque Nympharum, puerorum flente coronâ,
  Muneribus variis officioſa vacat.
Jam viridi in luco Galatea, & Lyſis, & Ægle,
  Struxerunt niveâ ſaxea buſta manu.
Glaucia fert violas, amarantum Ceiris, & Hero
  Juniperi baccas, Dejopeja crocum.
Aſt Ephyre lauros, ſerpylla Citheris, Adonin
  Cypria, narciſſum Chloris, Idyia roſas.
Hypſipylea gerit caſiam, Cardelia myrtum;
  Abrotanum Pſyche, lilia Phyllis habet.
His ſimul, atque aliis tumulum beneolentibus herbis
  Implent, & ſaxo corpus inane tegunt.
Tum ſuper iniiciunt quot gignit terra colores;
  Omnis & Aſſyrio fragrat odore locus.
Jamque omnes dixere vale, vale optima quondam
  Bellatrix, domino cara miniſtra tuo.
De te ſi quid adhuc exſtincto corpore teſtat;
  Semper ſis felix, Elyſiumque colas.
Proxima quin etiam tales in cortice verſus
  Populus indicium funeris hujus habet:
Hic Muſtela jacet, pueri dolor Herculis ingens:
  Pro meritis Dryades hunc tibi dant tumulum.

Ad

Ad Philomelam.

Æmula divini ſuavaſſima carminis ales,
  Quæ virides umbras, & loca ſacra tenes;
Mollibus & variis quæ tot diſcrimina vocum
  Flexibus, humanâ dulcius arte, refers;
Munere pro tali tibi quid, Philomela, rependam?
  Præmia quæ tanto digna labore putem?
Dum vagus huc illuc hortis genialibus erro.
  Miror & artifici culta vireta manu,
Hoſpitis officio tu protinus uſa benigni,
  Fingis in adventu carmina mille meo.
Nec procul hinc denſis canis abdita frondibus, altæ
  Ilicis in ramo, populeiſve comis.
Verum hic juniperi inſidiis mihi proxima trunco,
  Non imitabilibus me venerata modis.
Et licet hac perſtem tibi tam vicinus in umbrâ,
  Deque tuâ ſuavi garrulitate loquar;
Nil tamen ipſa times nec gutturis iſta canori
  Sedulitas ideo dulce remittit opus.
Grata ſed, in longum luco reſonante, querela
  Ducitur, argutis continuata modis.
Nos vero tali quoniam dignaris honore,
  Dicimus in laudes hæc tibi pauca tuas:
Humanas avium quæ mulcent cantibus aures,
  Cedere carminibus carmina cuncta tuis.
Vive diu, ſimiliſque tui generata propago
  Finiat extremum non niſi ſera diem.

Properat ad Amicam.

Ite citi, volucreſque pedes prævertite ventos,
  Et loca deliciis quærite nota meis.
Nota meis loca deliciis, ubi candida ſæpe
  Mecum dignata eſt ludere Phyllorhoë:
Phyllorhoë, nullis faciem perfuſa venenis;
  Cui proprius roſeo fulget ab ore color.

Cu-

Cujus inauratos cupiat ſibi Cynthia crines,
  Cui faciles oculos invideant Charites:
Formoſaſque manus, doctiſque laboribus aptas
  Juret perſimiles ipſa Minerva ſuis.
Tum reliquis agiles reſpondent partibus artus;
  Nec tu in eâ ut quidquam carpere, Mome, queas.
Talis erat virgo Cæneia; talis & altum
  Per mare Dictæo vecta puella bove.
Talis erat fulvi decepta cupidine nimbi,
  Et quam ſub falſo luſit Olore Deus.
Omphale erat vatum talis celeberrima cantu:
  Talis & Idæo rapta Lacæna proco.
Talis & illa fuit, quæ me ſibi junxerat olim;
  Nondum juratam fallere docta fidem:
Cujus ego immite imperium tot perditus annos,
  Multaque non ſano pectore digna tuli.
Sed tua Phyllorhoë, quamvis collata deabus
  Ambiguum valeat reddere forma Parin;
Candida ſimplicitas, tumidoque carentia faſtu
  Pectora, ſunt ipſo grata decore magis.
Adde fidem quam nec conjux Ithaceſia vincat,
  Nec Mithridateas quæ comitata vias:
Nec quæ tartaream properavit adire paludem,
  Defunctum Evadne ſponte ſecuta virum.
Te licet inprimis cupiam formoſa videre,
  Vixque brevi patiar tempus inane moræ;
Triptolemi tamen haud optem conſcendere currus,
  Ire nec in celeri Bellerophontis equo:
Aut levibus Perſei volitare per aëra pennis,
  Aut, furibunda, tuâ currere, Cholchi, rotâ:
Nec Zoroaſtreas artes magicive requiram
  Carminis auxilium, Dædaleamve fugam.
Nec mihi ſi liceat, pedibus talaria curem
  Picta galeriti nectere Mercurii.
Unus enim nobis poterit ſatis eſſe Cupido,
  Quo duce ſuſceptum perficiamus iter;
Qui mihi ſemper adeſt, levibuſque quod excitat alis.
  Noſtrum furtivo flamine corpus agit.

Vix mihi jam videor pedibus contingere terram;
  Vincit & humanos ſtrenua planta gradus.
Sublimiſque pari quamvis diſcrimine Phœbus
  Diſtet ab Eois, occiduiſque locis;
Et canis exurat ſitientes fervidus agros,
  Mutaque ſub densâ fronde quieſcat avis;
Non tamen accelerans immenſo lædor ab æſtu,
  Nec mea longinquum membra fatigat iter.
Quoque magis propero, tanto magis ipſe labori
  Sufficio, & vires impiger urget amor.
Heu, quanto adficeret me Sors inimica dolore,
  Si qua meum ſubito cauſſa teneret iter.
Et mihi jam ſenior properanti occurrat amicus,
  Quem fugere oblatum me pudor ipſe vetet;
Singula qui vario cupidus ſermone requirat,
  Sciteturque viam, propoſitumque meum:
Multaque contexens longis ambagibus erret;
  Atque importunus multa referre velit:
Ut Ferdinandus magni poſt fata parentis
  Auſonias terras Parthenopenque regat:
Nuper ut urbano Florentia concita motu,
  Triſtia det miſeris civibus exilia.
Ut trepidus Borges Romanam liquerit urbem,
  Mæſtaque Pontificis funere turba ſui.
Ut Pius inſignis magnâ virtute fideque
  Æterni in terris jura parentis agat:
Sforciadem, Venetumque probet, quod fœdera pacis
  Securus ſtudio ſervet uterque pari.
Hinc Malateſtigenæ miretur principis artes
  Bellorum egregias, eximiumque decus.
Illinc innumeris Federicum laudibus ornet,
  Præſtantemque manu, conſilioque ducem.
Nec minus Eſtenſes heroas, & inclita facta
  A primis orſus dicat originibus:
Ingreſſuſque tui titulos genitoris, & acta
  Conferat ad laudes ſe Leonelle tuas.
Unicus hinc Phœnix Latio Dux Borſius illi
  Argumenta novæ præbeat hiſtoriæ:

Et

Et referat quantum noſtro ſit in Hercule laudis,
  Et Siſmundeo qualis in ore decor.
Tum patris, & patrui veſtigia clara ſequentem
  Eſtenſem his cupiat jungere Nicoleon.
Addat & immitem Turcam, noſtraque ferocem
  Segnitie; & captis urbibus excidia:
Jam Pelopea Getas regnare per oppida, jamque
  Hadriaci in populos arma parare maris.
Quod ſuadente Pio Federicus Cæſar in hoſtem
  Ardeat & vires concitet ipſe ſuas.
Quod paret ingentem commota Britannia claſſem,
  Et repetat forti Sequana regna manu.
Parte aliâ veteres hoſtes inſurgere Gallos,
  Tutantes magnis viribus imperium.
Nec regem oblitum Italiæ, carive nepotis,
  Maximaque ad Ligures mittere ſubſidia.
Ergo, ne ſimilis turbet nova gaudia caſus,
  Neu videar dominæ lentus, inerſque meæ,
Nunc precor aërio nebulæ circumder amictu,
  Quâ Venus Ænean induit alma ſuum.
Sic demum juſſas potero contingere ſedes
  Tutus, & optatam cernere Phyllorhoën.
Dum loquor, & celeri moveo veſtigia paſſu,
  Extremæ apparet meta propinqua viæ.
Jam procul adſpicio ſervantem compita quercum,
  Et veteres fagos, populeumque nemus.
Ecce levi flatu teneris de frondibus exit,
  Et cadit in faciem lenior aura meam.
Huc ego crediderim Zephyrum migraſſe tepentem,
  Captum ſideribus, cara puella, tuis.
Qui mihi non ſtultè ſibi conſuluiſſe videtur,
  Chlorida ſi pro te deſerit ille ſuam.
Nam quid in extremis vidit pretioſius oris?
  Quid nunc in noſtro pulchrius orbe videt?
Læva Padi ripas, vetus at mihi dextra ſacellum
  Monſtrat, & annoſæ culmina parva caſæ,
Quam lentis hederæ complexibus undique cingunt,
  Delet ubi raros alta ſenecta Deos.

Nil ibi vel Zeuxis, vel magnus pinxit Apelles,
  Nil ibi Phidiacæ composuere manus.
Lignea crux vero mediâ quæ pendet in æde,
  Egregiâ clari Mentoris arte caret.
Pæne suis convulsa trahens de sedibus olim
  Fundamenta rapax sustulit Eridanus.
Proximaque, aggeribus ruptis, per culta vagatus,
  Mucida sacrilegis tecta replevit aquis.
Muscosus templi paries; humorque, situsque
  Præteriti reddunt tristia signa mali.
Nec procul hinc sterilis campi septena Sacerdos
  Conductis pauper jugera bobus arat.
Huc mea simplicibus Nymphis comitata Dione,
  Cincta caput vario flore venire solet.
Cujus in adventu templis augustior ædes
  Omnibus; hæc cunctas unica vincit opes.
Ecce diu latitans aperitur villa remotis
  Arboribus, caræ villa beata Deæ.
Protinus hac visa celeri præcordia motu
  Venturæ exultant præscia lætitiæ.
Quid mihi fiet, Amor, blandos cum cernere vultus
  Fas erit? & niveam cum dabit illa manum?
Tunc ego non dubitem Crœsi contemnere gazas,
  Et tot Pellææ clara trophæa domus.
Si quis enim crispos ad frontem ludere crines
  Viderit, & quali se ferat alta gradu.
Noverit argutis eadem quid possit ocellis;
  Ut mortale nihil dulcia verba sonent:
Sentiet Ætnæis certantes ignibus ignes,
  Et poterit constans æqua, & iniqua pati.
Quod si forte alicui dignabitur oscula ferre,
  Altera vel proprio sanguine lætus emet.
Vulnus, & auxilium quod Pelias hasta tulisset,
  Mirabar, fati nescius ipse mei.
Desino nunc, facileque inducor ut omnia credam,
  Si necis & vitæ jus habet omne meæ.
Illa quidem media Phalarin placaret in irâ,
  Tardaretque tuas, sæve Perille, manus.

Ter-

Terribilemque ſuis oculis miteſcere Martem
  Cogat, & iratum ponere tela Jovem.
Felices agri, fortunatique coloni,
  Quæque ſimul colitis rura benigna Deæ!
Namque ubi vere novo genialia tendit in arva,
  Vobiſcum dulces protrahit illa moras
Vobiſcum loquitur, vobiſcum carmina cantat,
  Vobiſcum faciles, exhilaratque choros.
Et modo vobiſcum cultis ſpatiatur in hortis,
  Et modo plena vago retia piſce trahit.
Nunc manibus doctis imitatur Palladis artes,
  Nunc molles elegos, & mea verba legit.
Fallor, an hæc Ceiris Dominæ cariſſima nutrix
  Subſtitit? ac verſo reſpicit uſque gradu?
En rapidis iterum fertur cita paſſibus: ipſa eſt;
  Notaque ut accedam dat mihi ſigna manu.
Progrediar, quæramque meis fiducia votis
  Quæ ſit; quidve novi ſedula portet anus.
Quod tua ſi præſens aderit ſolertia amanti,
  Talibus officiis aurea Ceiris eris.

Phyllorhoës Epicedium.

Quo miſer uſque tuos celabis, Tite, dolores?
  Ægraque mens tacitum quo premet uſque malum?
Diſſimulare prius licuit, dum Sol tibi fulſit
  Candidus, & placidæ ſpes bona ſortis erat.
Nunc fera conſilium ſuperat violentia fati,
  Nunc ars indomito victa dolore perit.
Maxima ſæpe latent ſub triſti gaudia vultu;
  At ſua cor læſum non bene damna tegit.
Infandos luctus, & vulnera pectoris ede,
  Atque ea quæ nulli nota fuere prius.
Quæ ſi forte times hominum vulgare per ora;
  Silva locum lacrimis præbet opaca tuis:
Silva locum præbet lacrimis, ubi ſemita nulla
  Cernitur, humani ſigna nec ulla pedis.

Hic querulas tantum volucres habitare, ferasque
 Credibile est: procul hinc arbiter omnis abest,
Sol, cujus radios umbrosa cacumina silvæ,
 Huc vix oppositis frondibus ire sinunt;
Qui nunc Hæmonii non immemor ignis, & undæ,
 Forsitan hic mecum condoliturus ades.
Testis eris nihil esse mihi, cur vivere curem,
 Ætherea postquam lux mea luce caret.
Nam quid ego hic aliud, nisi durum, ac flebile semper,
 Sublatâ sperem te mihi Phyllorhoë?
Tu meus ardor eras; in te mea maxima cura
 Hæserat, & voti summa, caputque mei.
At nunc a patriâ sævi contagia morbi
 Dum fugis indigno funere rapta jaces.
Et mihi jacturæ tantum, tantumque doloris,
 Conditio diræ mortis acerba tulit:
Ut semper misero justissima caussa querelæ
 Crescat, & æternis immorer in lacrimis.
Heu sævæ leges, & dura potentia fati,
 Humani finitis quæ nihil esse diu.
An fuit omnino vestras infringere vires.
 Si paucos etiam viveret illa dies?
Nunc primum viridis campos ingressa juventæ.
 Non extremus honor temporis hujus erat.
Dedecet immites, & acerbos carpere fructus,
 Illum, quem culti spes tenet ulla soli.
Vos quoque tam subito decus hoc, talemque puellam
 Nondum matura morte tulisse nefas.
Serius, aut citius vestri mortalia fiunt
 Juris, & hæc illi sors adeunda fuit.
Heu funesta dies, nigro damnanda lapillo;
 Tristibus infaustum nomen adepta malis;
Qua puri quondam radios imitantia Phœbi
 Deseruit solitus lumina mœsta nitor:
Quâ bene compositos artus, faciemque serenam,
 Flaventesque comas invida texit humus;
Quà vigor ingenui defecit corporis, & qua
 Tabuit egregiis artibus apta manus:

Quâ vox illa prius morientibus æmula cycnis,
  Cœpit in æternam muta silere diem;
Quaque pios actus mors interrupit, & altæ
  Infregit mentis nobile propositum!
Heu nimium miseri, infortunatique parentes,
  Conficiet verus quos sine fine dolor!
Vos luctu assiduo sensum amisisse malorum
  Crediderim, in vitâ quos mora longa tenet.
An potuit vestros Niobe superare dolores?
  Cognitaque adversis casibus Antiope?
Plurima namque licet utræque tristia passæ,
  Haud minor hæc illâ clade ruina fuit.
Seu mores, sive ingenium, seu gratia formæ
  Quæritur, aut priscæ nobilitatis honos:
Hæsit in hac unâ simul harum gloria rerum;
  Hujus in occasu tot periere bona.
Sic vestra imprimis ægre jactura ferenda est;
  Nec dabit his ætas fletibus ulla modum.
At sacer ex illo tunc cum discederet ore
  Spiritus, & vestras quæreret illa manus,
Inque oculis vestris cum lumina fixa teneret,
  Quid vobis animi consiliique fuit?
Si quemquam potuit præsens extinguere mœror.
  Perdere vos etiam debuit illa dies.
Non habitura parem terquinque peregerat annos
  Phyllorhoë vestros inter adulta sinus.
Phyllorhoën vobis tantum ostendisse videntur,
  Et subito vobis eripuisse Dei.
Non generum vobis, non caros illa nepotes
  Præbuit, aut dotis dona parata tulit.
Divitiisque brevi gavisa, & honore parentum,
  Mox erit exiguus filia vestra cinis.
Sed quid ego infelix vestra infortunia tantum,
  Ipse velut patiar vulnera nulla, queror?
Igne Cupidineo quicumque fideliter arsit,
  Unica cui præstans cura puella fuit,
Cui placitum subitis fortuna abrupit amorem
  Casibus; ærumnas cogitet ille meas:

Ille ſuo exemplo poterit mea triſtia fata
Diſcere, & arcani pectoris acre malum.
Si poſſent aliquâ cœleſtia Numina flecti,
Nec vetitum certis legibus eſſet iter,
Quod prius obtinuit Stygiis a Manibu Orpheus,
Sollicito Superi nunc mihi ſorte darent
Si proprios iterum levis umbra rediret in artus.
Carpere conceſſas me duce juſſa vias,
Forſitan admonitus, quo rurſum perdita pacto
Flentem mœſta virum liquerit Eurydice,
Cautius ingrederer nocitura pericula vitans,
Et quæcumque ſolent gaudia magna ſequi.
Ah miſer, ah iterum miſer, ah ſine pectore, Tite,
Quo dolor impellit? quæ tibi verba cadunt?
Tunc Deûm ſtabili firmatas ordine leges,
Credideris certam deficere ante diem?
Cum ſemel hinc alium raptæ mittuntur in orbem.
Terrenaſque animæ deſeruere domos,
Præmia pro meritis referunt, ſedeſque paratas
[Sic ſtatuit Superûm provida cura] tenent.
Corpora nec ſurgunt letho defuncta, priuſquam
Ultima judicii venerit hora ſui.
Si tamen æterni veneranda potentia regis,
Qui cœlo, & terris imperat, atque mari,
Omnipotens qui ſolus agit mirabile quidquid
Cernimus, & quidquid lumina noſtra latet;
Si tibi Phyllorhoën nunc illa potentia reddat,
Ne noceas huic, quam diligis ipſe, cave.
Nam niſi vera loqui piget, his egreſſa tenebris,
Ætheriis gaudet ſedibus illa frui.
Et pudor, & nulli pia mens obnoxia culpæ,
Rectum iter ad Superos unde receſſit, habet.
Phyllorhoë felix terris colit aſtra relictis.
Magnorum in numero jam nova Diva Deûm.
Pro quibus inducor, ne non ego gratuler illi;
Ne videar tantis invidus eſſe bonis.
At quoniam ſolitos miſero mihi cernere vultus
Non datur, & placidæ gratia frontis abeſt;

Dum

Dum moror in terris, dum tu colis æthera virgo,
Accipiet lacrimas dulcis imago meas.
Hæc tibi, Phyllorhoë, ſimilis vera omnia de te,
Si modo non deſit ſpiritus, ecce refert.
Hæc mihi grata comes, ſeu tendere Solis ad ortum,
Seu juvat Heſperium viſere littus, erit.
Hæc mihi ſi Geticas rupes, calidamve Syenem
Transferar, in caro ſemper habenda ſinu.
Huic ego curarum ſeriem narrabo mearum,
Et quoties cupiam te, mea vita, ſequi.
Namque ubi in humanis nulla eſt conſtantia rebus,
Quid ſpe fallaci paſcere vota juvat?
Illi vita fuit longiſſima, quiſquis honeſte
Occidit; & ſpretis quæ videt, alta petit.
Interea dum fila ſinunt mea currere Parcæ.
Nec ſummi injuſſu Regis abire licet,
Candida quod relevent adflictum inſomnia lætos
Effigiem referunt quæ mihi ſæpe tuam.
Nam quoties nitidi capitis pulcherrimus ordo,
P r ſomnos oculis viſus adeſſe meis?
Attonito quoties gemini ſe luminis ardor
Obtulit? & miro nota decore manus?
Mutua quid referam, quæ tu mihi ſæpe videris
Accipere, & ſolitis reddere verba ſonis.
O ego quam tali deceptus imagine felix!
O placidæ noctes! o mihi grate ſopor!
Atque utinam non tam ſubito me ſomnus, & error
Linqueret, ac mecum ſtaret uterque diu!
Scilicet ut tecum maneam pulcherrima, donec
Longa meæ veniant tædia lætitiæ.
Dum mortalis eras, nec adhuc te in parte Deorum
Regia ſiderei viderat alta poli;
Sola tamen mihi Numen eras, & criminis expers:
Candidus impura labe carebat amor.
Te ſupplex igitur meritis pro talibus oro;
Per fratrem, per te qui genuere, precor;
Ut tua præſentes Superos mihi gratia reddat.
Utque mei numquam non memor eſſe velis.

At me nulla tui capient oblivia, ſeu me
  Lux alit, æternâ ſive ego nocte premar.
Et quæ præceſſit Majas octava Kalendas,
  Poſtquam non ultra es tu mihi viſa, dies;
Illa mihi ſolemnis erit, lacrimoſaque ſemper,
  Indicium tanti, principiumque mali.
Hic tibi dum licuit nobiſcum ducere vitam,
  Me tenuit laudis maxima cura tuæ.
Nunc quoque, neu præſens, neu poſtera neſciat ætas,
  Qualis ſub gelido marmore Nympha cubet.
Ipſe tuum noſtro ſignavi carmine buſtum,
  Qua Padus illabens rura paterna videt.
At quicumque leget miſeri monumenta doloris,
  Verba Sibyllino tradita ab ore putet:
Qua nihil in terris tulit hæc pretioſius ætas,
  Quæ potuit credi, dum fuit, eſſe Dea,
Phyllorhoë jacet hic teneris extincta ſub annis,
  Proxima Ferrariæ dum tenet arva ſuæ:
Tempore quo miſera peſtis baccatur in urbe,
  Nec ſors vicinis parcit iniqua locis.
Crudeles nimium Divi, crudelia fata,
  Perdere quæ tantum ſuſtinuere decus.

Ad Pſittacum.

Pſittace, quid fruſtra miſero mihi nuper ademptam
  Phyllorhoën tanta ſedulitate vocas?
Parce precor, parce inſanos augere dolores,
  Heu periit, quam tu vivere forte putas.
Parce: meo toties animam de pectore vellis,
  Phyllorhoën quoties blandula lingua refert.
Heu, periit, neque eam ſpes amplius ulla videndi,
  Quam propter nobis vivere dulce fuit.
Si ſenſus tibi, ſi ratio eſt, ut habere videris,
  Communi triſtem te decet eſſe malo,
Non ſum equidem oblitus, tibi quæ reſponſa vocanti,
  Poſcentique dapes ſæpius illa daret.

Et

Et memini, aurato cum te prodire juberet
  Carcere, porrectam te insiluisse manum;
Atque illinc dulcem, rostro parcente, salivam
  Suxisse illæsis molliter e labiis.
Post, ubi divinæ laudaras sidera frontis,
  Non homo, dicebas, sed Dea Phyllorhoë est.
Prisca salutato si paucis Cæsare verbis,
  Nigrantes ætas nobilitavit aves.
Quid tibi facundâ fingenti plurima voce
  Tam bene, tam docte, Psittace, laudis erit?
Laudo equidem, ingenium miror, debere fatemur
  Nos tibi: nulla tuis gloria par meritis.
Sed ratio, & tempus, fortunaque lubrica, certam
  Dant nostris legem rebus, & eripiunt.
Hæc igitur nos caussa movet desistere cœpto
  Nonnunquam, & placitum flectere propositum.
Quid loquor? unde meæ tanta incostantia mentis?
  Quod modo damnaram, Psittace, nunc cupio.
Forte meis aliqua ratus es te posse mederi
  Luctibus, hos ubi sum dictus adisse lares.
Quodque ita sit, cum me tristi mœrore silentem
  Vidisti, & multo rore madere genas;
Tu quoque commotus graviter, sociusque doloris,
  Ecce piis lacrimis lumina mœsta rigas.
Functus es officio veri, & prudentis amici,
  Nilque reliquisti quo mala nostra leves.
Perge precor, Dominæque tuo communis utrique
  Semper adorandum nomen ab ore sonet.
Atque utinam in sævo pietas tua vulnere fiat,
  Tam dulci eloquio Pelias hasta mihi.

Pro D. Isabella Sponsa ad Mantuæ Principem.

Non ita servato gaudebat Jasone Colchis,
  Cum tulit auratæ nobile vellus ovis;
Nec sic Dædaleas cæso Minoia monstro.
  Vidit ubi Ægiden exsuperasse vias;

Nec

Nec ſic depoſita duræ formidine ſortis
  Læta erat oblitis luctibus Andromede;
Tot maris ac terræ poſt ſæva pericula; nec ſic
  Conſpecto incolumi Penelopea viro.
Ut Franciſce tuas lætor, ceu ſcribis, ad urbem
  Tandem expectatas hanc dare vela rates,
Quæ tibi concedant felices dextera curſus
  Numina, ſunt precibus ſollicitata meis.
Cum ſocero fratres, caraſque valere ſorores,
  Et ſalvos omnes gratulor eſſe tuos.
Sed tamen inprimis cupio te cernere, ſi me
  Virgineus patitur dicere verba pudor.
Serpit enim inſolitus, qualem nec dicere norim,
  Nec meditari animo, noſtra per oſſa calor.
Ille novis furtim curis invadere pectus
  Nititur, immemorem nec ſinit eſſe tui.
Et quamvis, juvenum pulcherrime, longius abſis.
  Noſtra tamen vultus mens videt uſque tuos.
Haud debere parum Superis Franciſce videbar,
  Quod non in Geticis rupibus orta forem:
Quod mihi ſit genitrix Leonora, quod Herculе dicar
  Nata duce, & proavos jactet uterque ſuos:
Hic Gallos, aſt Hiſpanos ex ordine Reges
  Sanguinis auctores adſerat illa ſui.
Ulla ſed optandæ ne pars mihi ſortis abeſſet,
  Maxima tu noſtris gloria rebus ades,
Qui patris egregias laudes imitaris, & alta
  Fulges Gonzagæ nobilitate domus.
Nec ſecura ſui, tua dum præclara teneret
  Te procul a noſtrâ Mantua Ferrariâ.
Et ſeu dictus eras forti certare palæſtrâ,
  Seu celeri curſu ludere, ſive pila:
Flectere ſeu validis ſinuoſos viribus arcus,
  Seu jacere abducta ſpicula lenta manu:
Seu pedes interdum magnam graderere per urbem,
  Sulcaret patrios ſeu tua cymba lacus;
Sive ferebaris campo exercere ferocem,
  Qualis in Oëbalio pulvere Caſtor, equum:

Seu

Seu rapidis canibus lepores, capreasque fugares,
  Sive truces audax insequereris apros;
Pertimui subito, ne quod discrimen adires,
  Nec mihi parva tuæ cura salutis erat.
Fama puellarum te visere sæpe choreas
  Rettulit: hoc utinam nil mihi triste ferat.
Altera nec nostro se misceat improba amori.
  Neu quærat pactam sollicitare fidem.
Difficile est aliquid de te mihi credere: verum
  Nescio quid cogor subdubitare tamen.
Hoc tua persuadet facies insignis, & ille
  Securam qui me non sinit esse, Deus.
At mihi si nemo te præter amatur, & uni
  Sum tibi legitimâ consociata fide;
Si non indignæ sumus ut mereamur amari;
  Mutua fac teneat te quoque cura mei.
Atque ita qui teneris in te bene cœpit ab annis,
  Me crescente meus crescere perget amor.

Ad D. Alfonsum puerum genethliacon.

Salve magne puer, stellis felicibus orte,
  Diva meo peperit quem Lionora Duci,
Cujus ut optatos mundo Sol cerneret ortus,
  Serus anhelantes æquore mersit equos.
Lucida nascenti cupiens occurrere Phœbe,
  Conquesta est longum segnius ire diem:
Exaudita Deis populorum vota, precesque;
  Tandem te nobis hac tribuere die:
Qua rerum ingenti perfecta mole quievit;
  Quam festam jussit maximus esse Deus.
Hæc Domini lux est. Dominoque dicata, tibique
  Conveniens, Regni qui caput hujus eris.
At te prima suis manibus Lucina creatum
  Sustulit, & Charites huc coïere Deæ;
Et tibi gratantes simul arrisere, Venusque
  Candida Acidaliis membra rigavit aquis.

Oscu-

Oſcula prima dedit, primos involvit amictus,
  Oraque purpureis tinxit eburna roſis.
Sed te non alio decuiſſet tempore naſci,
  Auſoniis quam quo Pax viget in populis,
Hoc fuit indicium nullos te principe motus
  Armorum, ac belli per tua regna fore.
Menſis & hic magno de nomine dictus Juli,
  Spondet opes certas, imperiumque tibi.
Ipſa quoque auſpiciis adſunt felicibus aſtra,
  Atque parant faciles fata benigna vias.
Te naſcente gravis Saturni ſtella maligni
  Occidit, adſuetam deſeruitque domum.
Libera ſervitio Domini lætiſſima cœlum
  Poſſidet, & fauſtos nunciat urna dies.
Juppiter at Piſces præſenti intermicat aſtro,
  Et ſedet in gremio Virginis alma Venus.
Martem libra tenet, Solem, Soliſque ſororem
  Suſtinet Herculeus, Mercuriumque Leo.
Atque ita diſpoſito coëuntia ſidera curſu
  Promittunt ſceptris omnia læta tuis.
Salve magne puer, Ducis Herculis inclita proles,
  Eſtenſis jam nunc ſpeſque, decuſque domus.
Care nepos Regum, toto quos orbe potentes
  Ac meritis claros cernimus eſſe ſuis:
Nulla tibi potuit generis contingere major
  Gloria, vi cœli miſſus ab arce fores.
Utque reor, laudi deſit pars nequa futuræ,
  Nomen ab Alfonſo grande tenebis avo.
Iſta quidem facies animoſi plena vigoris,
  Et jam nunc tanti corporis effigies,
Nil penitus mortale tenent, manifeſtaque nobis
  Herculei reddunt ſeminis indicia.
Hinc comitata ſuis Aſtræa ſororibus, illinc
  Obſervat cunas Attica Diva tuas.
Hoc minus: ad caput adſiſtit tibi regia Juno,
  Et Fortuna tuos excubat ante pedes.
Eja age, creſce puer, certiſſima cura Deorum;
  Blanditiæ magni, delitiæque patris.

Tu

Tu quoque uti posses nobis pulcherrime nasci,
  Erepta est sævis naufraga mater aquis.
Hadriaci, dominam maris, ipsa reliquerat urbem,
  Ad patriæ portus vela datura suæ:
Protinus obscura tegitur caligine cœlum;
  Consurgit medio nox tenebrosa die.
Cærula terribiles permiscent æquora venti,
  Littoraque insanis fluctibus icta sonant.
Deucalioneos demittit Juppiter imbres;
  Nubibus abruptis fulgura crebra micant.
Hinc Notus, inde ruit Boreas; hinc Eurus, & inde
  Africus horrisono turbine bella gerunt.
Corripiuntque rates, & sævis flatibus instant;
  Hic dextrum, at lævum mox ferit ille latus.
Hic furit in proram, puppim contrarius alter
  Verberat, & vasto cuncta fragore fremunt.
Flamina flaminibus, fluctus dum fluctibus obstant:
  Non vento ventus, non aqua cedit aquæ:
Annixuque pari contenditur, iraque discors
  Servat deprensas inter utrosque rates.
Nec sinit omnino tumidis mergantur ab undis:
  Quæque nocent, prosunt, auxiliumque ferunt.
Et nunc aggeribus vastis tolluntur aquarum,
  Et nunc subductis fluctibus ima petunt.
Non aamen aut retro ad littus convertere cursum,
  Aut iter inceptum continuare licet.
Quassatæ implentur cœlique marisque carinæ
  Imbribus; & duplicis vis premit atra mali.
Sævit hiems, venti ingeminant, striduntque rudentes,
  Et laterum graviter robora pulsa gemunt.
Interea vero comitum, Lionora, tuarum
  Tristia sollicito corda pavore tremunt.
Dant mœstæ lacrimas, desperataque salute
  Questu cuncta replent, & sua fata dolent.
Altera in alterius gremio jacet, atraque diræ
  Omnibus ante oculos, mortis imago sedet.
Huic pater, huic genitrix, huic filia parva dolorem
  Suscitat: & natos hæc vocat, illa virum.

Tum

Tum precibus, votiſque Deos ſine fine fatigant;
Detur ut ad patrios poſſe redire lares.
Nec ſpes ulla viris melior: quin deficit omnis
Nautarum poſito turba magiſterio.
Et ſe poſſe negans tumidis obſtare procellis,
Fortunæ mandat Cælitibuſque rates.
Nec quidquam niſi vota facit: Divoſque Deaſque
Orat, ut adflictis rebus adeſſe velint.
Tu licet immenſus dolor urgeat, omnia forti
Elatoque animo fers, Lionora, tamen.
Hortariſque tuos, vires cum mente reſumant,
Et vivis aliquam ſpem ſupereſſe mones;
Et quicumque animo præſtat, nec ſe ipſe relinquit,
Hunc tu præſentes dicis habere Deos
Talibus admonitos, ingens ſimul excitat ardor,
Ad ſua dehinc ſubito munera quiſque redit:
Et celeri ſtudio nunc huc nunc curritur illuc,
Duraque contendunt vincere cuncta viri,
In tantis lux illa malis tranſacta, dieque
Nox illa haud melior diſſimiliſve fuit.
Reddita pax cœlo tandem, pelagoque, minæque
Tot, nil excepto triſte tulere metu
Atque ita Ferrariam, puero cariſſime Divis,
Incolumis genitrix te paritura redit,
Tertius in lucem matris labor, omine fauſto
Veniſti; gaudet quæ peperiſſe marem.
Namque Iſabella ſoror (qua nil formoſius, & nil
Te tamen excepto, gratius eſſe poteſt,
Cujus in egregiâ mirabilis indole ſenſus
Cernitur) in veſtro ſanguine prima fuit.
Alter amor populi jam nunc veneranda Beatrix,
Hanc ſequitur, quibus es additus alme puer:
Cujus honoratum pueri matreſque virique
Natalem celebrant, & ſine fine canunt.
Nec tantum Delos gaudebat Apollinis ortu,
Nec tantum nato Gnoſia terra Jove:
Quantum læta novo exultat Ferraria partu,
Nec tegit adfectus officioſa pios.

Non

Non tuba, non cithare, non tibia, non cava cessant
Tympana, non agili cymbala pulsa manu:
Tecta, viæque procul resonant, delubraque passim
Festivis augent gaudia tanta sonis.
Eruit e latebris squalentes carcere fracto
Captivos, juvenum conglomerata manus,
Undique collucent ignes, totamque per urbem
Currit, & accensas fert vaga turba faces.
Et rea votorum grates persolvere ad aras
Certat, & emeritis reddere sacra Deis,
Herculeos hic adire lares festinat, & hujus
Lætitiæ primus nuntius esse cupit;
Ille salutata genetrice dat oscula cunis,
Hic supplex orat cuncta secunda tibi.
Hos inter, caris ad te cum fratribus ipse
Protinus accedens hæc tibi dona fero.
Hæc & purpureos superant, viridesque lapillos,
Quidquid & aurifero gignit in amne Tagus.
Nam tibi longa precor felicis tempora vitæ,
Sanaque mens adsit, justitiamque colas.
Et memor Herculeæ stirpis, vestigia numquam
In lævam flectas a meliore viâ.
Multa incredibili genitor virtute peregit;
Auspiciis domuit tristia monstra suis.
Si quid atrox, si quid dirum, atque immane relinquet,
Delebis forti victor id ipse manu.
Quæ vero tibi digna satis Ferraria reddet
Præmia pro partu nunc, Lionora, tuo?
Quid populi, gentesque dabunt, quas mite benigni
Reddit felices Herculis imperium?
Nil proprium conferre valent: nam spiritus, & res,
Et quidquid possunt, juris id omne tui est.
Restat adorato Jove, Numina cuncta precari.
Ut vivas conjux Herculis ipsa diu:
Ut bene concordes felix tecum exigat annos,
Sitque diu patriæ duxque, paterque suæ.
Sanguinis ut vestri crescat numerosa propago,
Inclytaque illustres turba sequatur avos.

Atque ut pro miſeris natum mortalibus orat,
  Quæ ſacra virgineo pondera ventre tulit:
Sic præſens populis, Regina, fidelibus adſis,
  Ante virum, & noſtro hæc nomine verba refer.
Non ſatis eſſe bonis ſine crimine ducere vitam,
  Ni tuti fuerint vindice juſtitia
Hoc præſtare poteſt princeps, qui nomine dignus
  Herculis, Herculeâ nititur ire via.

Jeſu Chriſti Dei opt. max. genethliacon.

O nimium felix, vereque beata, nec ulli
  Pro meritis digno Nox celebranda ſono!
Venturæ quæ mox Auroræ præſcia, quod fas
  Credere, tentaſti lucis habere vicem.
Ne tantam audires, coram ſed ut ipſa videres
  Virgineos partus, angelicoſque choros.
Sed licet abfueris, inter præſepia naſci
  Cum magnus voluit Rex veniente die;
Admiranda tamen cœli myſteria, torque
  Gaudia credibile eſt nota fuiſſe tibi.
Lucifer, aſtrorum fortunatiſſime, qui dum
  Cætera jam pulla ſidera nocte fugas,
In ſtatione manens quicquid gereretur Olympo,
  Noviſti, & terræ gloria quanta foret.
Teſtis es, humanos Deus ut ſibi ſumſerit artus,
  Sed non mortali ſemine factus homo
Et genibus poſitis aſinumque, bovemque repente
  Ante ſacros Domini procubuiſſe pedes.
Tu quoque Paſtorum felix manus, æthere ab alto
  Quærere juſſa humilis culmina parva caſæ.
Matribus o genitrix multum prælata beatis,
  Atque parem nullâ parte habitura tibi:
Quis tibi digna dabit pro tali munera partu?
  Quis referat mentis gaudia magna tuæ?
Vix ſacer in lucem completis venerat infans
  Menſibus; arriſit virgo beata tibi.

At tu labe carens, ſupplex, experſque doloris,
  Continuo partus es venerata tuos
Et tibi, quo fatis præſentibus orta volente es;
  Lactandum omnipotens ſe dedit alma, Puer,
Tum veneranda gerens canentem ad pectora barbam
  Secum animo voluit quæ videt acta ſenex,
Divinique memor monitûs te lætus adorat,
  Poplitibus flexis, progeniemque tuam;
Et parcente manu teneros avidiſſimus artus
  Tangit, neve aliqua poſſit obeſſe cavet
Quis dubitet libaſſe illi mille oſcula? nec ſe
  Dulcibus a lacrimis abſtinuiſſe ſenem?
Non hîc Attalicis opibus fulgebat, & oſtro,
  Sublimis Pario marmore niſa domus:
Non auro paries gemmiſque nitebat Eois;
  Non Arabi thalamus plenus odoris erat:
Non ullum menſæ argentum, non ſtragula mollem
  Velabant Phrygio picta labore thorum.
Juncus, & adgeſtæ filices, & canna paluſtris,
  Felicis tugurî nobile tegmen erant.
Rara ſed & vento textura patebat, & imbri;
  Claudebat totum flexile vimen opus:
At putris limi tunicâ circumdata ſepes,
  Ponere jam veteres cœperat exuvias.
Et crebras, oculis ſpectantum pervia, rimas
  Fecerat, hirſuto non ſatis apta gregi.
Omnis inhærebat paucis, rudibuſque columnis,
  Quas faber haud multa finxerat arte, caſa.
Angulus haud ingens, rigidi quo ſtraminis hoſpes
  Faſciculos paucos accumularat, erat.
Hoc cibus, & lectus pecori fuit: hoc tibi virgo,
  Subſtravit ſenior, compoſuitque thorum.
Talibus in plumis cœli regina quievit;
  Nec tamen inde procul bos, & aſellus erant.
Hunc ſibi naſcenti rerumque, hominumque creator
  Contemtis opibus legerat ipſe locum;
Ut ſacram expleret regio Bethlemica ſortem,
  Fatidicis vatum nobilitata modis.

Dumque ſimul ſtudiis ingentibus ordine certo;
  Factori adſiſtunt cuncta elementa ſuo;
Purpurei veris tepidos æquaſſe calores,
  Hibernum Solem; credere velle, pium eſt.
Scilicet immiti ne frigore (namque ibi nullus
  Ignis erat) puero ſæva noceret hiems.
Quem Dea dum pannis involveret, omnibus illa
  Facta eſt apricis gratior ora locis.
Credibile eſt volucres, ea dum mirantur ab alto,
  Alarum celerem ſuſtinuiſſe fugam:
Vicinaſque, truci ſedata protinus irâ,
  Spectaſſe attonitas tot pia facta feras.
Parva quidem, Stellâ præeunte, mapalia Reges
  Æterni juſſu tunc adiere patris.
Atque ſacrum oblato venerati munere Numen,
  Mutati facies obſtupuere ſuas.
Quos vitare mali ſedes Herodis iniquas,
  Juſſere ex alto ſomnia miſſa polo.
In patriam lætos eadem quos Stella reduxit;
  Atque alia tellus Inda petita via eſt.
Barbare, quid nunc tot puerorum millia ferro
  Occidi, hunc unum dum petis ipſe, jubes?
An quia pro noſtro mortalia crimine membra
  Induit, & cœli venit ab arce ſui,
Creditur eſſe Deo minor, & violabilis ulli,
  Sponte ſuâ terris donec abire velit?
Hic aliquid majus, quam quod mortalibus ullis
  Contigit, adſumtum jam ſemel, intus habet.
Intus habet, quod non ſit dimiſſurus; & idem
  Spiritus in nato permanet, atque patre.
Non puer hic gaziſque tuis, regnoque potiri
  Vi cupit, inque tuum non parat arma caput.
Hunc majora manent: ubi fundamenta ſalutis
  Jecerit humanæ, crimina noſtra luet:
Atque docebit, uti purgata labe renaſci
  Poſſit homo, & ſancta fœda lavabit aquâ,
Inde novæ gentes alios condiſcere mores
  Admonitæ incipient, & meliora ſequi.

Pri-

Prifca fuperftitio, fimulacraque vana Deorum,
Hoc duce, firmata relligione cadent,
Sponte fua poft hæc fe triftibus offeret aris
Victima facrilega percutienda manu.
Tum Stygias lethi defcendet victor ad undas,
Terribilique geret figna tremenda manu.
Fulgida fidereis ardebunt lumina flammis;
Adfpectum nec qui perferat hujus, erit.
Excuffo manibus remo, cymbaque relicta,
Diffugiet pavidus per vada nigra Charon.
Pandentur foribus pallentia regna revulfis;
Præcipitem rapient agmina dira fugam.
Tartareis trepidans immania guttura cuftos
Claudet, & extendet grandia membra folo.
Herculeæque aliquid pejus quam verbera clavæ
Formidabit: atrox concidet ille furor.
Nec minus extremo comitata fororibus antro
Occulet anguigerum torva Megæra caput.
At fontes pœnis laceratæ immitibus umbræ,
Quas dirum exagitat mente tremente nefas,
Ut procul adfpicient venientem in luce corufca,
Pulfabit juftus noxia corda pavor.
Et tenebris abdi cupient: fed abire vetabunt
Dura catenarum vincla jubente Deo.
Præcipitis nec non ima de fede barathri
Horrendum Pluto proferet ipfe caput.
Et procul infolitæ miratus lumina lucis,
Agnofcet Domini territus ora fui;
Quem non ignorans, Erebi de carcere tetro,
Ducturum fanctos ad pia regna patres,
Saucius attonitam fremet acri vulnere mentem;
Obvius audebit nec tamen ire Duci.
Expectata piis igitur cum venerit hora,
Secum Rex hilares ire jubebit avos:
Et citius dicto, comitum ftipante fuorum
Agmine, fe recta tollet ad aftra via.
Quod fi non magnis componere maxima rebus,
Atque humana facris æquiparare licet;

Lætitiam cœli talem fore credere fas eſt,
  Cum ſteterit magnum filius ante Patrem:
Qualem, cum domito referebat ab orbe triumphos,
  Urbem, Roma, tuam concelebraſſe ferunt:
Auſus es huic igitur puero, crudelis Apella,
  Non una indignam fraude parare necem?
Tune redemptorem (niſi malles perfidus eſſe)
  Tentaſti infanda tollere morte tuum?
Qui vitæ quæſitor erit, pœnaque nocentes
  Adficiet, juſtis præmia digna dabit?
Talia moliri ſed quis mirabitur auſum,
  Qui fuerit nati peſtis acerba ſui;
At tu ſancta dies, cœlo quæ mitteris alto,
  Adventuque refers annua feſta tuo;
Herculeˀ cum natis, & fratre, & conjuge cara
  Soſpitibus, nobis candida ſæpe redi.

Ad Silviam.

Silvia cara vale, valeat fidiſſima Dirce;
  Rura meis valeant conſcia deliciis.
Corpore diſcedens, animum, mentemque relinquo.
  Debilis incertos vix movet umbra pedes.

In columna, viventi Borſio inciſum.

Hanc tibi viventi Ferraria grata columnam
Ob merita in patriam, Princeps juſtiſſime Borſi,
Dedicat, Eſtenſi qui Dux a ſanguine primus
Excipis imperium, & placida regis omnia pace.
Verum ingens quando ſibi vendicat omnia Virtus,
Et longe humanam ſuperat tua plurima ſortem
Gloria: Divinos, ſi tu patiaris, honores
Ultro ipſi dabimus; meritaſque ſacrabimus aras.

In eumdem Borſium.

Aurea fulſerunt te principe ſæcula, Borſi;
  Teſtantur patriæ te tua facta patrem.

Ful-

Virtuti imperium si par tibi fata dedissent;
  Tot meritis unus vix satis orbis erat.

In laudem riparum Benaci.

Cedriferi colles, & amœni collibus horti,
  Lucida Benaci qua fluit unda lacus:
Unde ortum accipiens placido felicia cursu
  Meoniæ gentis Mincius arva secat.
Vos salvete simul Nymphæ, salvete Deique,
  Si quos aut nemus hoc, aut sacra lympha tenet.
Quam juvat has ripas spectare, habitumque locorum!
  Lenis ubi tenui sibilat aura sono:
Tanta ubi vis avium, cantu quæ mulceat aures;
  Et quæ sit lautas inter habenda dapes.
Quis non aurifero depastos gurgite pisces
  Laudarit, quos hic unicus amnis alit?
Deliciæ quæ non capiant cœlique, solique?
  Quis putet his quidquam gratius esse locis?
Contendisse hominum labor, & Natura videtur,
  Plus uter hunc ditet nobilitetve situm.
Non animos tantum regio, non lumina pascit
  Ægra, sed ut medica corpora sanat ope.
Hoc simul indigenæ experti, externique fatentur.
  Hoc refero certa testis & ipse fide.
Neve sit ignotum, qui tot pulcherrima laudet,
  Si per eum tribui laus tamen ulla potest:
Post decimum Titus rediens huc Strozius annum,
  Hæc vobis grata carmina mente dicat.

Pro Tobia Veronensi.

Dum canit horrendi Martis fera bella Tobias.
  Persephone præstans invida rupit opus.
Et præco insignis rerum, Sismunde, tuarum
  Occidit ante diem, mors ea facta tua est:
Vos decuit, Musæ, sacro succurrere vati:
  Ille ope, Phœbe, tua vivere dignus erat.

Sed tamen & luctu vestro, lacrimisque Minervæ,
Pegaseas undes intumuisse ferunt.

Pro Joanne, proxeneta egregio.

Hic, Pelicane jaces, quem febris acerba peremit,
Nobilis ingenii dexteritate tui.
Vendenti nemo melius componere ementem
Norat, nec lingua promptior ullus erat.
Profuit, & nocuit tua quondam industria multis,
Parque in te probitas, improbitasque fuit.

Pro Guarino Veronensi.

Hic veneranda tegit magni lapis ossa Guarini:
Utraque lingua suo mœreat orba patre.
Hoc Verona decus terris dedit; abstulit ætas
Longior: ad Superos mens pia fecit iter.

Pro Margarita Peregrinia.

Quæ fuit exemplum cœlestis nobile formæ,
In qua tot laudes, tot coïere bona;
Margarita sub hoc tegitur Peregrinia saxo.
I nunc atque mori Numina posse nega.

Pro Matthia, Ungariæ Rege.

Quas tua non adiit, Rex invictissime, gentes
Gloria? Matthiam quæ tacitura dies?
Læta novum mundo Natura faventibus astris
Addidit, in lucem te veniente, decus.
Nec fors, nec ratio, nec mentis vividus ardor,
Nec pars virtutis defuit ulla tibi.
Protulit antiquos regni te Principe fines
Pannonis, Arctois gens dominata plagis.
Te Geta, te Dacus fremuere, acerque Boëmus,
Horruit & vires ora Liburna tuas.

Effe-

Effera quid bello posses Germania sensit;
  Nec vis conatus ulla morata tuos.
Ut cœlum ornarent animo majora parantem,
  Fatales terris te rapuere Deæ.

Pro Lianora Duce Ferr.

Ergo quis eripiet mortalia corpora letho,
  Jus habet in magnas si fera Parca Deas?
Tristibus haud potuit Lianora resistere fatis,
  Et sibi mirantur Dî cecidisse parem.
Rege satam, Divique thoro vixisse dicatam
  Herculis; haud illi gloria parva fuit.
Sed meliora petens, studuit bene ducere vitam;
  Ut bene supremum posset obire diem.

Ad Lucretiam Borgiam.

Vivere certus eram sine amore; Lucretia captum
  Me tenet haud: mirum est; imperat illa Deis.

In eamdem.

Ibat Amor facibus: pharetraque superbus, & arcu:
  Erranti huc illuc Borgia visa Dea est.
Hic novus inquit, erit nobis labor: aurea prendit
  Spicula: queis magnum fixerat ante Jovem.
Tela sed adducto properantem emittere nervo,
  Illius ex oculis lux ferit orta Deum.
Obstupuit; cecidere manus; delapsa sagitta est.
  Risit, & hic nostro sævior ignis, ait.

De Pado concreto frigore.

Qui Phaëtonteos extinxit plurimus ignes,
  Pænè gelu absumptis nunc Padus aret aquis.
Atque repentinos Borealia frigora pontes
  Struxere, & sicco pervia lympha pedi est.

Qua-

Quaque rates variis oneratæ mercibus ibant,
Nunc plaustris junctos cernimus ire boves.
Ad nova concurrit spectacula vulgus, & audax
Turba per insuetum fluminis errat iter.
Mira quidem sunt hæc; sed te mirabile princeps
Optime, nil ætas protulit ulla magis.

Imago Lucretiæ.

Quæ Venerem facie, quæ Pallada moribus æquat,
Conata est dominam pingere docta manus.
Artificis laudatur opus: divina sed omne
Mortale exuperat forma magisterium.

De Adventu Borsii.

Quæritis, unde novo diffusum lumine cœlum
Rideat, invisas quidve fugarit aquas?
Cur liquidus nullis agitetur flatibus aër;
Cur placidum tacitis stet mare littoribus?
Almave cur posito tellus squalore virescat,
Et se purpureis floribus induerit?
Quid quæque exultet ramis frondentibus arbos?
Cur solitum repetat garrula carmen avis?
Non hic caussa fuit murato sidere Phœbus,
Nec vaga roriferis Cynthia luminibus.
Sed modo cum peteret geniales Borsius agros:
Reddidit aspectu cuncta serena suo:
Borsius humanos meritis superavit honores:
Miranturque novum sæcula nostra Deum.

De Lyside a filio occisa.

Vulnere de nati moriens, non Lysida posthac,
Sed me turdellam dicite Lysis ait.
Egesto laqueum, mortemque miserrima visco
Arboris in ramis præparat illa sibi,

Sic

Sic ipſa exitium peperi mihi: Numina pœnas
Infandi partus me volvere pati.

De Vacca Myronis.

Naturam, atque Artem in vacca petiiſſe Myronis
Partem ajunt: morem geſſit utrique Myro.
Qui vaccam ſpectet; Natura hanc protulit inquit;
At ſi contigerit, dixerit Artis opus.

De Roſa Lucretiæ.

Unde tibi nulla color hic imitabilis arte?
Unde odor? unde tibi gratia tanta, roſa eſt?
Tene Dicarcheis genitrix tua nutriit oris?
Num Pæſtanus ager miſit, an Hybla tulit?
Num tu floriferis in odoræ vallibus Ennæ
Orta, vel Oebalii germine nata ſoli?
Num te aluit Cypros, num Gnoſia terra, Cilixve
Tmolus? an innumeri dives odoris Arabs?
Num te Nauſicaë patriis collegit in hortis?
Sanguine num tinxit te Cytherea ſuo?
Nil horum: tibi ſors felicior obtigit, o quam
Excellis Dominæ pollice carpta meæ.
Illa tibi libans flagrantibus oſcula labris:
Egregium a nobis hoc decus, inquit, habe.

De Muſis a Leonello Princ. acceptis Ferrariæ,

Armorum ſtrepitu Latiis fugiebat ab oris
Territa cum ſacro Calliopea choro.
Excipit hanc Divus placida Leonellus in urbe;
Officiis homines hic ligat, atque Deos.

In Scaurum Avarum.

Scaurus habet villas, urbana palatia, nummos;
Pinguiaque innumeris prædia bobus arat.
Huic

Huic tamen adſidue major ſuccreſcit habendi
  Numquam divitiis exſatiata fames.
Ditior eſt igitur patrio contentus agello,
  Qui vivit nullo fœnore Fabricius.

De Dipſade Borgiæ.

Tortile quòd lævæ Lucretia nexuit aurum,
  Dira venenoſæ eſt dipſados effigies.
Hinc docet Invidiæ morſus, & iniqua malorum
  Cedere divinis moribus ingenia.

In Dipſilum.

Fingis? an ex animo adfirmas? vix credere poſſum
  Te toties vanum, Dypſile, vera loqui.

Ad Lucretiam.

Cur oriebatur qui te non noverit? aut ſi
  Viderit, in vita hunc quid tenet ulterius?
An facie quidquam Lucretia pulchrius iſta,
  Cultius ingenium cernere poſſe putat?
Fallitur; in te omnis terræ, cœlique repoſta eſt
  Gloria; nec tibi quid conferat inveniet.

Ad Carolum.

Si vigiles curæ, ſubitus ſi pallor in ore;
  Si crebros gemitus edere, pauca loqui:
Si nunc jucundo, nunc triſti incedere vultu;
  Si ſperare aliquid, plura timere ſimul:
Si properare modo, modo lento incedere paſſu,
  Si vario mentem flectere propoſito:
Si fora, ſi cœtus hominum vitare frequentes,
  Indicium præbent, Carole, amoris amo.
Si quid amem quæris; ubi nos malefida reliquit
  Anthia, ſucceſſit candida Phyllorhoë:

Phyl-

Phyllorhoë nullis facies perfusa venenis,
  Cui proprius roseo fulget in ore color.
Illa mihi furtim me surripit: hanc sequor unam:
  Hac sine, non videor vivere posse diem.
Hujus ego insignem non tantum, Carole, formam;
  Verum etiam mores, ingeniumque probo.
Illa meis leges oculis imponere digna est:
  Illa meos sensus abstulit, illa tenet.
Illa tenebit, erunt donec vaga sidera cœlo,
  Donec erit tellus, æquora donec erunt.

Ad Antonium.

Accipe inauditi formam maris, & mea quali
  Cymba sit, Antoni, structa magisterio.
Unda hic sunt lacrimæ, venti suspiria, remi
  Vota error velum, mens malesana ratis.
Spes temo, curæ comites, constantia amoris
  Est malus, dolor est anchora, navita Amor.
Adde, quod est portus reliquis maribus: mare nostrum
  Non tantum portu, sed statione caret.

Tumulus Ginevræ Castellæ.

Clara bonis animi, naturæ prædita cunctis
  Dotibus, hic letho rapta Ginevra jaces.
Vir tibi Castellus, pleno simul omnia quo tu
  Optima successu consequerere, fuit.
Egistis dulces animis concordibus annos,
  Et vos unus amor junxit, & una fides.
Hoc sine (quis credat?) tu cœlum invita petisti:
  Hic sine te infelix vivere posse negat.

De quadam, quæ per errorem nupsit filio.

Vir, conjux, genitrix, natus, fraterque, sororque
  Hic duo, sint quamvis nomina plura, jacent.
Error enim sceleri caussam dedit: inscia nupsit
  Illi, quem peperit filia mista patri.

De

De Mathillo.

Ridicula ex omni ſe parte effuderat in te
  Simplicitas, domino grata, Mathille, tuo.
Nil bene, nil per te geſtum male, nil tibi laudis,
  Nil ignominiæ vitave morſve tulit.
Si tua nec cœlo clementia digna, nec umbras
  Accipit inſontes regia Ditis, ubi es?

De Hermione.

Formoſam Hermionen ſenior Lucilius ardet,
  Hunc veluti ſanctum diligit illa patrem.
Poſcenti, quod amans juvenis cupit, eja age mecum
  Blande, inquit, volo te vivere, nolo mori.

Ad Bembum, de Lucretia.

Si mutatur in X. C. tertia nominis hujus
  Littera *lux*, fiet, quod modo *luc* fuerat.
Retia ſubſequitur, cui tu *hæc* ſubjunge *paratque*.
  Subſcribens: lux hæc retia, Bembe, parat.

Ad Lucretiam.

Cui non conſpecta es, miſer eſt: qui te aſpicit, hic ſe
  Addictum innumeris mortibus eſſe ſciat.
O rem incredibilem, quam perditus ipſe tot annos
  Experior, ſortem hanc nec tolerare piget.
Et vivo, & morior: nec mortes ipſe recuſem
  Mille pati, ut poſſim te ſemel aſpicere.

Pro Phyllorhoë.

Qui legis hæc, legito ſubmiſſius; & cave quæſo,
  Nympham ullo turbes qui cubat hic ſtrepitu.
Vivere credibile eſt, placidoque quieſcere ſomno
  Phyllorhoën, quæ non digna mori fuerat.

H E R-

HERCULIS STROZÆ
FERRARIENSIS.

Ad Lucretiam Borgiam, Genethliacon.

AUdit, io, tandem populos Lucina precantes;
  Audit, io summus publica vota pater.
En optata diu cœlo digniſſima proles,
  Ecce decem menſes quæ peperere bona.
Rideat omnis ager tibi; rideat omnis Olympus,
  Et patris, & matris gaudia magna puer.
Cuncta ſecunda tuo nobis ſpondemus ab ortu;
  Nec bene mens voti, lætitiæque capax.
Gaudia tanta modum ſuperant, ſuperantque receſſus
  Pectoris, & nimia mole minora putes.
Non aliter patulas nimius ſonus impedit aures,
  Non aliter nimium lumina noſtra jubar.
Pars quotacumque tamen populos tibi monſtret ovantes:
  Omnis odoriferis ignibus ara calet.
Sunt ſua Junoni, ſunt & ſua dona Tonanti,
  Et ſua munera habet cetera turba Deûm.
Jam fora, jam vici, jam fervent compita flammis;
  Jam novus in tota promicat urbe nitor.
Aëriiſque ſonum dant tinnula turribus æra,
  Et bombis tellus grandibus icta tremit,
Dumque tot exaudit ſimulata tonitrua cœlum,
  Et ſtupet, hicque alium credit adeſſe Jovem;
Et nos forte polis inhiare nitentibus horret,
  Ceu tua non cœlo terra beata magis:

Ne timeat, ſuperos optemus ut ire penates;
Sed ne ad nos potius turba ſuperba ruat.
Jam colit has ſedes Superis Aſtræa relictis,
Et pia cum ſacra Relligione Fides.
Hic Venus, hic Charites, hic eſt moderata Voluptas;
Hic Amor arcitenens, arcitenenſque Dea.
Hic caſtæ Aonides & cum Tritonide Phœbus,
Sceptriferaque habitat Juno verenda manu.
Hoc quodcumque boni tibi nos debere fatemur
Borgia, ſola hominum nata beare genus.
Accedas Libyen; quicquid tenet illa veneni,
Perdet; & a vultu fiet amœna tuo.
Accedas Nilum, ſævis cadet ira colubris:
Tam bona forma trucem molliat Antiphaten.
Non opus eſt armes, veluti Thetis altera, natum;
Sat valet ille, tui quod decus oris habet.
Hoſtiles ultro venient ſub jura cohortes;
Subjectiſque labor parcere major erit.
Fortunate puer, quantum tibi fata dederunt!
Fulſit in exortus ſtella benigna tuos.
Multa quidem Superis debes; plus hoc tamen unum,
Quod tam rara tibi contigit eſſe parens.
Altera non potuit te ferre beatior alvus,
Non tibi ſi mater, mater Amoris erat.
Solis ab occaſu, Solis ſpectamus ad ortum,
Nec tamen huic toto cernimus orbe parem.
Plus Libyes ſpoliis, ſpoliis Orientis & Arcti,
Borgia natali Roma ſuperba tuo eſt.
Nec ſinit hoc tumidos ſibi quærere nomen Iberos,
Setabis ut veſtris alta ſuperbit avis.
Romule, cui tantam ſepteno in vertice molem
Condere felici fata dedere manu;
Nunc operi gratare tuo: nunc Silvia ſeſe
Jactet, & altori gaudeat Acca ſinu.
Quale decus veſtra, quantum jubar exit ab urbe!
Non mage nutrito Creta colenda Jove eſt.
Hinc reor Arcadibus memorabile Pallanteum
Theſpiadon, magni voce aperiſſe Dei.

Fati-

Fatidicæ magis emicuit Lucretia Vati.
  Quam tot Juleæ clara trophæa domus.
Non potuit tantus ſeros oriturus in annos,
  Præſcia venturi corda latere nitor.
Ut licet extremo maneat Sol abditus orbe,
  Aſtra tamen radii ſigna latentis habent.
Hoc deerat tantum decori, famæque futuræ,
  Ut pareres noſtros, Borgia diva, Deos.
Quod fuit in votis, numeris ingentibus imples:
  Munera ſunt uteri ſera, ſed ampla tui.
Creſce Deûm ſoboles, & avi benefacta paterni
  Herculis, ut ſacro nomen ab amne, refer.
Excitet Alphonſuſque atavus, proavuſque Ferandus,
  Summus Aragoniæ ſplendor uterque domus.
Et magnis ſtimulet te Cæſar avunculus actis,
  Grandeque Alexander ſit tibi calcar avus.
Hi tibi Scipiadas referunt, referuntque Camillos,
  Quoſque tulit claros terra Pelaſga duces.
Gloria perpetuos horum victura per annos,
  Cærula qua totum circuit unda ſolum.
Quæque imiteris aget juvenis pater. ora priuſquam
  Incipias rudibus ſolvere blæſa ſonis.
Plurima vis illi membris, & plurima menti,
  Promittitque novum culta juventa decus.
Faſque, piumque colit, juſtæque ad pondera lancis
  Dat populo facilis candida jura ſuo.
Qua caput opponis Soli, Appenine, cadenti,
  Quaque calent medio cærula Tuſca die,
Quaque reſurgentem ponto videt Hadria Phœbum,
  Quaque Atheſis gelidum terminat unda latus,
Antiquas lites, antiquaque bella diremit,
  Sumpta licet tenera ſint modo ſceptra manu.
Quicquid & in toto bellorum turbine, ducit
  Intrepidus tutam per freta vaſta ratem.
Quas tibi ſervat opes, uni tibi quanta tuetur
  Regna? parat ſoli jam tibi quidquid agit.
Carpſit iter longum, permutatiſque ſubinde
  Gallica, te propter, regna petivit equis.

Non tenuere nives, non ſaxa Alpina, nec amnes,
  Nec tam longinquæ mora voranda viæ.
Forſque pruinoſas tulit exſpes ſub Jove noctes,
  Siccaque cœnoſis proluit ora vadis.
Quas adiiſſe caſas, quæve eſſe viatica credam,
  Aſpera dum rapido per juga currit equo?
At tu gemmatis fortunatiſſime cunis,
  Non interrupto membra ſopore rigas.
Lacteaque a primo vagitu pocula ſugis,
  Atque famem dulci lacte, ſitimque fugas.
Dumque repurgandis nutrix tibi ſedula membris
  Inſtat, agunt famulæ blanda lavacra Deæ.
Sæpeque nudatos genitrix pia ſuſcipit artus,
  Formoſoque fovet, quo licet uſque ſinu,
Grataque nunc fronti, nunc oſcula libat ocellis;
  Nuncque jocis geſtit, blanditiſque tibi.
Interea circumſiliunt Charitesque, Venuſque,
  Æmulaque arridens baſia donat Amor:
Et puero ſua tela puer, pharetramque nitentem
  Monſtrat, & adducta cornua juncta manu.
Quæque illi improbitas ſinuato ſævit ab arcu.
  Irritaque ut numquam dirigat arma, docet:
Maternoſque tibi flores, & ianthina ſerta
  Porrigit, & Paphio lilia nata ſolo.
Inque tuam queritur lingua trepidante parentem;
  Hoc tamen in tacita callidus aure refert:
Scilicet ut facibus, pharetraque exarmet, & arcu,
  Sæpeque luctantem ſe Veneremque domet.
Hic, velut ora docent, materna laude ſuperbis;
  Deque triumphatis frons tibi læta Deis.
Non ſatis expleri poſſunt tua membra tuendo,
  Sæpe licet repetant agmina denſa fores:
Aureaque attoniti pendent cunabula circum,
  Utque probent multum, plura probanda ſinunt.
Atque aliquis tua, magne puer, dum conſulit ora,
  Præcinit ad cunas talia verba tuas:
Creſce puer: te fata manent, tibi læta parantur
  Imperia, & generi nomina magna tuo.

Te duce, larga fluent Hyblæo flumina melle,
  Vitalesque dabit quælibet arbor opes.
Perpetui tibi erunt flores, totumque per annum,
  Natalem referent tempora verna tuum.
Sponteque odora tui sudabunt balsama campi,
  Qualia Idumæi non tulit uber agri.
Arrabiasque ferent inarata novalia messes,
  Ditiaque haud ullus dividet arva lapis.
Non erit Oebalio pretium, non usus, aheno:
  Fulgida pascentes purpura tinget oves.
Nec Jovis ira cadet, nec tempestate ferentur
  Ulla procelloso naufragi vela mari;
Nereis inque hominum durata caloribus usus,
  Se tibi, Neptuno non prohibente, dabit.
Areaque haud maris, haud exæquata cylindris,
  Cuilibet æquoreas larga refundet opes.
Plurimus argento rivus fluet, & fluet auro,
  Plurimaque in nostris gemma nitebit aquis.
Non galeæ, non ensis erunt, non pila, nec arcus,
  Nec tormenta; putri Pax teget arma situ.
Non lites agitare foro, non scita rogare,
  Non erit in captos vincla parare reos
Non iter impediet prædo, nec furibus ullis
  Incustoditæ surripientur opes
Nulla tributa tui, nec vectigalia pendent;
  Seque & opes ultro tunc tibi quisque dabit.
At pater effusas rerum tibi linquet habenas,
  Et finet hæc fatis currere sæcla tuis.
Ambrosiaque parens artus perfusa nitentes,
  Tot bona gaudebit sanguinis esse sui.
Felix matre puer, felix patre, & altera, & alter
  Prole, thoro vobis terra beata tribus.
Sint rata dicta precor; meque illos servet in annos
  Cynthius, & quanto sit satis ore canat.

Amorem sibi celandum.

Uror io, sævas remove, Puer improbe, flammas,
  Uror; & ulterius mens nequit ægra pati.
Pectoris arcanos nihil est quod temperet æstus,
  Caussa sed exitio quælibet apta meo.
Seu mihi sidereæ subeunt fastigia frontis,
  Seu, Veneris quales non reor esse, comæ.
Seu magis arguti vires admiror ocelli,
  Labrave purpureis anteferenda rosis.
Oraque nativo niveum fucata rubore,
  Qualia commiscet pocula Massagetes.
Seu similes ebori dentes, & eburnea colla,
  Seu nivei recolo munera rara sinus.
Seu leves humeros, seu castigata voluto
  Ilia, seu longam, præniveamque manum.
Denique seu decor objicitur, seu gratia morum,
  Mille Venus caussas, unde fatiget, habet:
Nec suspirandi locus est, pœnamque fatendi;
  Una datur lacrimis conscia silva meis,
Hic quoque vix ausim tenues effundere questus,
  Dum timeo intentis auribus esse rubos.
Namque & Hamadyradas cognata vivere quercu,
  Najadas & liquido vivere fonte ferunt.
Quin viridi occultè signavi in cortice nomen;
  Abrado invita cara elementa manu.
Ergo graves semper taciti celabimus ignes?
  Quamque ferat nobis, non sciet ullus opem?
Mitius est subita fatum subiisse securi,
  Inter & hostiles oppetiisse manus.
Mille neces una patimur, semperque fatigat
  Sævius, impatiens carceris acer amor.
Sueverat huc illuc levibus divertere pennis,
  Ducere nec longas in statione moras.
Jam bis in Eleo certarunt pulvere currus,
  Pectore discessit nec tamen ille meo;

Si-

Signa nec ulla dedi populantis corda caloris:
  Mille faces constans, spicula mille tuli.
Qui bene dissimulat, quos dissimulavimus, ignes,
  Militet in castris, magne Cupido, tuis.
Et tua littorea redimitus tempora myrto,
  Signa triumphales præferat ante rotas.
Sed mihi quid prosunt artes? si semen arenæ
  Creditur, & sterilis nil mihi reddit ager?
Tot mala perpesso, vix contigit oscula furtim
  Carpere, blanditias nec seruisse datum est.
Sæpe quidem licuit, per caussam, tangere dextram,
  Clamque pedem tenero composu sse pedi.
Tum magis inde meis passim bacchata medullis
  Flamma gravaturum continuavit onus.
Et nisi quod graciles spes credula nutriit artus.
  Jam niger hausisset corpus inane rogus.
Vix manet: umbra pedes, umbra est hoc debile corpus,
  Ante quod optavit multa puella sibi.
Nec tamen æquorea maciem de compede traxi,
  Membra Prometheis nec tenuata malis.
Hoc Dominæ crimen, cujus de fronte Cupido
  In mea ferventi conjicit ossa faces.
Non me Sicanius flammaverit acrius ignis,
  Quam Dominæ roseo qui micat ore nitor.
Sed tacito flammas sub pectore ferre necesse est;
  Vulnera ni frustra sustinuisse velim.
Post Hyadas sperat geminorum sidera fratrum,
  Nec timet iratas navita doctus aquas.
Sic mihi post longos requies speranda labores,
  Ulla nec inceptum caussa moretur iter.
Tu Dea, tu tantum præsens mea vota secunda:
  Ipsa dabis faciles duro in amore vias.

In tunicarum munus, pro Mario Æquicola.

Non sic Oeteo furialis in Hercule sævit,
  Illita quæ Nessi sanguine vestis erat;

Ut tunicæ, tua dona, meas rapuere medullas,
 Dædala quas triplici Gratia pinxit acu.
Moxque ſub Orchomeni beneolentibus abluit undis,
 Pulchraque Acidalio lavit in amne Venus.
Si tibi tale aliquid, Juno, ſopire volenti
 Spectantem e Phrygio vertice bella Jovem;
Non erat ut peteres tibi præmunire Dionen
 Ambroſios ceſto verſicolore ſinus.
His habet illecebras Cythereja zona minores,
 Nec tantas animis injicit illa faces.
Non Phryges, aut Babylon, non conferat æmula Circe,
 Non radii vires, Lyda puella, tui.
Nec ſi quid docta Tritonia texuit arte,
 Quod gereret feſta Juppiter ipſe die.
Non meliore fuit velata Cytheris amictu,
 Cypria cum nudo contigit arva pede.
Nabat Erythræa materna per æquora conchâ,
 Qualis erat ſpumis edita, nuda Venus.
Semidei adſiliunt circum Tritones, & uncâ
 Permulcent hilares littora feſta tubâ.
Oceanuſque pater, longævaque Tethys, utrimque
 Æquoris alta jubent ſubſiluiſſe vada.
Utque natant proprius, propiuſque tuentur alumnam,
 It magis inde novus cana per oſſa calor.
Nullus adhuc ſterili degebat in æquore piſcis,
 Tum gelidum memorant incaluiſſe ſalum.
Protinus orta ferunt immani corpore cete,
 Quæque latet magno ſquamea turba mari.
Prima ſed ut tetigit concha fluitante Cythera,
 Æquore cærulei proſiluere Dei;
Excipiuntque manu, primoque in littore ſiſtunt,
 Purpureiſque ferunt oſcula mille genis:
Atque aliquis preſſo Divæ ore protervior hæret,
 Clamque terit nudum nudus & ipſe latus.
Ver erat, & tepidi flabat levis aura Favoni,
 Flore novo, ingreditur qua Dea, vernat humus.
Prima Venus florum carpſit decus, & ſibi ſerta
 Texuit, effuſis impoſuitque comis.

Tum

Tum ſibi quiſque Deæ de more micantia legit
  Germina, & impexo texta dedit capiti.
Inde levi Zephyro Cypron Dea fertur in altam,
  Cærula Gnoſiaci per vada vecta maris.
Hic illam auricomæ tunicis radiantibus Horæ,
  Quas ſimul arte nova compoſuere, tegunt.
Hic Irene auro textam gemmiſque coronam,
  Hic torquem collo donat habere Dice.
Auribus Eunomie geminas appendit inaures,
  Hæcque magis certat comere, & illa Deam:
(Non ſecus, ut ſe ornare ſolent loca ſumma parantes
  Viſere, & æternos ante ſedere Deos)
Mox adeo excultam, cœli ſuper ardua templa
  Ante torum magni conſtituere patris.
Numina cuncta novæ mirantur munera formæ,
  Et ſibi quiſque Deam clamque palamque petit.
Hanc unam cenſent meritam, cui pareat æther,
  Et mare, & adfuſo perflua terra mari.
Hæc Horis accepta refert Venus, hoc magis uno
  Munera tam raræ quod dederint tunicæ.
Nuda per herboſos & adhuc ingloria campos
  Fors traheret ſegnes Cypria Diva moras.
Non illi imperium terræ, non æquoris eſſet,
  Non daret in ſummos jura timenda Deos.
Nec mihi dulce jugum, nec dulcia vincla paraſſet
  Egregia in noſtrum nata puella decus.
Quæ mihi præ Superis, & ſi quod honeſtius illis,
  Quæ ſimul ut vivam diſpeream que facit.
Cujus acum tenuem toto magis æſtimet orbe.
  Judice me, quiſquis mente potente ſapit.
Illam præcipue, tales quæ finxit amictus,
  Quales non homines, non habuere Dei.
Quas tibi tentet, acus, mea Muſa rependere grates,
  Improbus ingenium ſi minus urat Amor!
Uror ut Ætna; graves ſed non mens, ore querelas
  Edit, ut Herculeus igne minore dolor.
Ille ubi virus atrox ſqualentes occupat artus,
  Incuſat ſummum voce dolente Jovem:

Sic tua progenies, proh Juppiter, inquit, obibit?
  Herculeæque auctor femina mortis erit?
Nil ego tale queror: ſic ſic juvet ire ſub umbras;
  Unica ſit lethi cauſſa puella mei.

Ad Lucretiam Borgiam relictis curis Reip.

Publica cura vale; jam nona revertitur æſtas.
  Ex quo animi huc illuc vis agitata mei.
Sintque licet rebus male commoda membra gerendis,
  Implerunt partes non minus illa ſuas.
Mente potens obcunda tulit pede debile corpus,
  Nec tenuere meas ſolve, geluve vias.
At ſi pro patria quidquam memorabile geſſi,
  Vix erit hic unquam cauſſa pigenda labor.
Sin per inexpertos illi male ceſſerit annos,
  Non potuiſſe piget, ſed voluiſſe juvat.
Eſt aliquid canæ munus tentaſſe ſenectæ,
  Veſtiret teneras cui nova barba genas.
Et mihi ſunt teſtes non inſcia Numina veri,
  Fortunæ nullas me timuiſſe vices:
Nec nimium faſtu caput erexiſſe potenti,
  Et ſceleris putas exhibuiſſe manus.
Quem Padus effracto non terreat aggere? quem non
  Sollicitent multo Martia caſtra metu?
Quem maleſuada fames populi ſuprema minantis
  Non moveat? timida præcipitetque fugâ?
Eſto, hæc mille ferant: vix inter millia Divos
  Qui ferat iratos unus & alter erit.
Præſide me, ſævo lethalis Apollinis arcu
  Urbs, bis adacta ſuum non bene flere genus.
Seu rata fata Deûm, ſeu ſic tibi, maxime, viſum,
  Æqua adeo ultrices cui movet ira manus.
Dira bis extinxi contagia, nec meus unquam
  Defecit, populo deficiente, vigor.
Maxima labentes juvit ſolertia cives,
  Juvit & infectas evacuare domos.

Sup-

Supplicibusque Jovem votis patriosque precari,
  Queis fuimus toties debita cura, Lares.
Nempe mihi Phœbo non frons erat ulla litandi,
  Transfuga cum Clarii dicerer esse gregis;
Consciaque admissi non mens fuit ausa manusve
  Dulcia neglectæ fila movere lyræ.
Jure pater, poteras me temnere, & ora rebelli
  Mersa tuo quondam fonte ferire chely.
Tu mihi prima rudis cum verba resolveret ætas,
  Dictasti ad cunas carmina balba meas:
Teque duce errantem per summa biverticis umbræ
  Abluit, abluerat quæ prius unda patrem.
Tum mihi polliciti longæ præconia famæ,
  Tuque caputque tui Calliopea chori.
Forsan & hæc levibus non issent irrita ventis,
  Fregissem propria ni mea fata manu.
Jam procul a ripa me clavum, & vela regente,
  Per magnas ierat concita puppis aquas;
Cum mihi, nescio quæ, fastu comitata superbo
  Mendosi effigies obvia facta boni.
Quo, puer inquit, abis? ventosaque nomina quæris?
  Profecturum ex me, non aliunde, decus.
Audieram; sed abire tamen magis usque parabam:
  Sola lyræ nobis gloria calcar erat.
Cum, quid abis? mihi rursus ait? patris ecce senecta
  Immenso patriæ pondere pressa labat.
Nomen utrumque, animum cœpto meliore removit,
  Nam quis opem Patriæ ferre, patrique neget?
Protinus annosus pater in sua jura reponit,
  Bissenisque jubet me caput esse viris.
Nec minus interea me cura domestica torquet,
  Et sibi vult geminus membra, animumque labor.
Jam neque Parnassus, jam nec sacra laurea cordi;
  Pieridum toto pectore fugit amor.
Purpureos inhio fasces, & honora parentum
  Stemmata: non alia vivere laude reor.
Nunc Ducis a vultu, nunc a popularibus auris,
  Gaudia non longa stantque caduntque mora.

Alterius feror ad nurus nolimque velimque;
  Quique rego populum; ſponteque vique regor.
Neſcio quo ſint juncta modo: tamen hoc quoque ſi quis
  Adpetat; inveniet juncta, fidemque dabit.
Quis facile in ſummo frenum ſibi ponit honore?
  Adfectuſque etiam temperat igne malos?
Sic nos ambitio, ſic nos ſitis urget habendi,
  Sic gravis inſani pectoris error agit.
Hæc ſunt anguiferæ cruciantis Erinnyes Orci,
  Tantaleuſque liquor, Siſyphiuſque lapis.
Hæcne aliud quam vultur edax? fibræque renatæ?
  Cumque Ixionia dolia caſſa rota?
Cerberus, Harpyjæque, & Gorgones, Hadryaquevanis
  Infantum moveant pectora imaginibus:
Noſtra ſed ætatis ſuperæque potentia mentis,
  Nil Stygis horrendæ lurida monſtra tremunt.
Se potius metuant, internaque tartara vitent;
  Dignus hic æternâ laude triumphus erit.
Jam, velut Ioniis remearim ſoſpes ab undis,
  Ipſe meæ impoſui myrtea ſerta rati.
Inque Padi ripis, velut alti in littore ponti
  Lætificum nautæ carmen ovantis ago.
Teque meum veneror, cœleſtis Borgia, Sidus,
  Qua nullum Heſperio purius orbe micat.
Tu mihi carmen eris, tu lucida callis ad aſtra,
  Qua niveas animas lacteus orbis habet.
Adſertæ Superis Juno, Pallaſque, Venuſque;
  Juno opibus, Pallas moribus, ore Venus.
Regna tibi meliora, animique nitentior ardor,
  Pluſque tua igniferi forma vigoris habet
Quis neget his cœlum meritis? tua Numina quondam
  Nilus, & extremo Bætis honore colent
Templa tibi ſtatuent, nec votis templa carebunt;
  At noſtrum, inter tot grandia, majus erit.

In

In Natali Dominæ.

Addite thura focis; Idus venere Decembres,
Semper habenda mihi multo in honore dies.
Vagiit his primum mea Cynthia, deque parentis
Ventre recepta tuo, Gratia pulchra, ſinu eſt.
Os tibi legiſti, genulas Decor, ignea blandus
Lumina amor, pectus Cypria, Juno manus.
At celſæ inſiluit Majeſtas regia fronti;
Quoſque Amor, & Paphiæ pellicit, illafugat.
Cetera quid ſequar? & cœlo data ſigna ſereno?
Aſtraque veridicis lapſaque, & orta polis?
Quid te fatiferi quidquam ſcrutator Olympi,
Natalique ſuper, ſideribuſque rogem?
Magna fides, Superis micuiſſe faventibus ignes,
Qui formam, & mores, ingeniumque darent:
Juſque homines ſupra, Veneremq;, Deumq; volucrem,
Inque ipſum (ſi non ſidera falſa) Jovem.
Non aliena loquor: venturi certus aruſpex
Hos dedit eventus, matre petente, meos.
Infelix felixque Puer, modo fata tulerunt,
Perpetuam dominam ſervitiumque tibi.
Cynthia es illa: tibi longos ſervire per annos
Deſtinor: hoc magnis par reor eſſe Deis.
Libertas jam priſca perit; nec obire recuſo
Imperioſa licet, juſſa potentis heræ.
Quin juga ferre juvat, ſeu me ultima littora Thules
Viſere, ſeu rigidos malit adire Getas.
At tua cum videas quæcumque in juſſa paratum,
Ne ſine me lateri longius ire tuo.
Te ſequar uſque; tuis non obſequioſior alter
Imperiis, nec, qui ſit mage fidus, erit.
Et diſcedenti, reducique iterare licebit
Oſcula, quæ pretium ſedulitatis erunt.
Ipſe ego ſæpe locum Veneri meditabor, & horas:
Aut ego ſi nequeam; tu mihi utrumque dabis.

Quid

Quid meditanda tamen Veneri loca? quælibet apta:
  Ipſe oculos hebetat prætereuntis Amor.
Si quis & adſpectos non occulet; illita multo
  Felle laceſſiti ſentiet arma Dei
Blanda Venus, nec acerbus Amor: ſi quis tamen illos
  Lædat, acerbus Amor, nec bene blanda Venus.
Nos Veneri morem moremque geramus Amori.
  Nunc quoniam nobis ille, vel illa favet.
Dicantur bona verba: Deis reddantur honores,
  Præcipua hæc ſacris Cælitibuſque dies.
Te dedit hac Genius: ſacrum geniale paramus;
  Quiſquis ades, nexas flore perunge comas.
Nunc proferre decet, quos miſit Eous odores;
  Quoſque Hiſpana novo puppis ab orbe tulit.
Nec quiſquam accedat pulla ſub veſte; ſed albis
  Ad ſacra contendant femina, virque togis.
Nec gregibus, ſed thure litent, & flore repoſto:
  Innocuus nullo ſanguine gaudet Amor.

Ad Lycum, navim, qua Dominam vehebat, pertinaciſſime propellentem.

Quo Lyce? quo properas? celerem compeſce carinam,
  Non opus hic remis incubuiſſe citis.
Non te mandatis curſor properantibus urget,
  Nec pavidus læsâ vector ab urbe fugit.
Nec ferus inſequitur ponti populator Iberi,
  Aut Venetæ cuſtos inſidioſus aquæ.
Nec tua certantes inſtant poſt terga carinæ,
  Unde tibi primus ſurripiatur honos.
Quem fugis, ipſe vehis: tecum eſt pars altera noſtri.
  Altera cur adeo non rate digna tua eſt?
Aut hanc redde mihi, aut reliquā quoq; ſuſcipe partem:
  Sarcina conjuncti non oneroſa ſumus.
Cum, tua ſi longus delaſſat brachia remus,
  Non ego deſpiciam munus obire tuum.
Sit mihi fagineo navim propellere conto;
  Ipſe bonus remex, Ipſe magiſter ero.

Me-

Mecum amor insurget: remo, ventisque vocati
  Ibimus optatas, te recubante, vias.
Cumque ratem subigam, si quam tu perditus ardes,
  Concine; molle tuo carmine fiet iter.
Mi sat erit, nitidis si me tunc spectet ocellis,
  Et laudet nixus cara puella meos.
Cujus ad obtutum crescet mihi robur, & a me
  Magne maris domitor Typhi secundus eris.
Dum loquor, heu diversus abis: rogo navita siste,
  Siste moraturam, si finis ipse, ratem.
Siste precor, per si qua tuis flamma ossibus hæsit.
  Aut tibi si servum ponere cura jugum.
Sic nec anhela fames, nec te sitis arida lædat;
  Nec dominus merito verbere terga secet.
Immemorem officii me nulla redarguet ætas.
  Multa super vestro sanguine digna canam.
Tullius inde Palatinas ut vectus ad arces
  Martigena summum gesserit urbe decus,
Alter, & alter, uti vitam servaret herilem,
  Obtulerit certæ pectora fida neci.
Et referam scriptos in Punica bella Volones,
  Romula pugnaci pila tulisse manu.
Magnanimique loquar sceptrumque, fidemque Micythi,
  Totque æterna bonis artibus ingenia.
Nec nisi servili fieri de sanguine regem,
  Eoos lata qui ditione tenet.
Utque nihil metuat Turcas manus ista feroces,
  Perque aliena suas regna ministret opes.
Hinc & deliciæ; & suaves mittuntur odores,
  Quos domino tellus fert inarata suo.
Hic quod pinguis alit septeno gurgite Nilus,
  Quod celeri pingit dædala Memphis acu.
Quicquid Arabs, Seresque ferunt, & odorifer Indus,
  Rubraque gemmiferi devehit unda maris.
Aspera gens bello, sed non tamen aspera cultu;
  Ad Venerem dura Martis ab arte redit.
Te quoque credibile est Veneris sensisse calores,
  Forsan & Arabiæ carperis igne Napes.

Fur-

Furtivos precor illa tibi conjungat amores,
  Nec pateant vestræ crimina nequitiæ.
Sed quid ego hæc demens levibus frustra eloquor auris?
  Furcifer ille notæ deterioris abit.
Nec precibus, neque pollicitis fera corda moventur:
  Improbe non juris tanta rapina tui est.
Haud frustra geminæ tibi pars bona deficit auris,
  Oraque candenti forcipe adusta geris.
Ipse ego te vidi mitra vinctum ire pudenda.
  Tergaque plectenti sanguinolenta manu.
Affusamque tibi puerorum illudere turbam:
  Surgit an ex illo nunc tibi crista die?
Non quodcumque tamen crimen scelerate luisti;
  Ominor, & verbis omina certa meis.
Aut uncus trahat, aut quercu pendentis ab alta
  Incita gypsatos verberet aura pedes.
Deque tuo impastis sit rixa cadavere corvis,
  Post avidi lacerent ossa relicta lupi.

In Amorem.

Improbe cum solita careant mea pectora flammis,
  Quid nocturna mihi bella minaris Amor?
Sit satis hyberni glacialia frigora cœli
  Non semel ad duras sustinuisse fores,
Sint probrosa satis obscuræ jurgia noctis.
  Totque mihi vacuos præteriisse dies.
Pubentesque satis tibi sit potuisse per annos
  Pressa sub immerito colla tenere jugo.
I procul, haud tanti fuerint tua dona Cupido,
  Ut mihi non pluris sit superesse diu.
Et satius fuerit veterum monumenta virorum
  Volvere, quam turpi velle in amore mori.
Me piget igne meo quemquam torquere, pudetque
  Me dominæ & populo sæpe fuisse jocum.
Turpia præteritæ cognoscere facta juventæ
  Nunc, licet invitus, præstitit acer Amor.

Vin-

Vindice me varios liceat tibi quærere amantes
  Cognita carminibus Parthenopæa meis.
Mutua ne dubites nutu dare ſigna loquaci,
  Et miſeros verbis detinuiſſe procos.
Me coram liceat miſſas tractare tabellas,
  Pluraque rivali munera ferre meo.
Ceſſit enim ſolitus tepefactis ſenſibus ardor,
  Nec me, qui demens egerat, error agit.
Frigidus eſt calor ille, cinis licet æſtuet intus,
  Qui me ſollicitum fecerat eſſe, Deus.
Hinc Deus, hinc ratio dubiis ſub ſenſibus hærent,
  Vique ſimul certant ille, vel illa pari.
Sed tamen incumbet ſtabili ratione Cupido,
  Si datur æthereos vincere poſſe Deos.

Ad Cæliam, ut mutuo amet.

Quid mihi dona ſacris voviſſe ingentia templis
  Profuit? & junctas ture dediſſe preces?
Non ut Erithræi cumularem munera ponti,
  Quodve metalliferis egerit Hermus aquis.
Nec mihi ut imperium dominæ contingeret urbis
  Iret & a nigris candida fama rogis:
Noſtra ſed ut ſævis relevarent pectora flammis,
  Aut mihi cum Domina mutuus eſſet amor:
Tuncque per amplexus felicis ſtamina vitæ
  Duceret in longas Parca benigna moras:
Et cum me fatis urgeret inutilis ætas,
  Ante rogum canis fleret amica comis.
Nam mihi quid prodeſt, primo quæ venit ab ortu
  Divite gaza rubri littore nata maris?
Quidve mihi prodeſt, fulvi quodcumque metalli
  Beſſus, & aurifera Dalmata fodit humo;
Aut prolata juvant bellacis jura Gebennæ
  Appulaque Hiſpana regna ſubacta manu?
Quid Getici decus, atque immenſa potentia ſceptri.
  Aut bello, aut placida gloria parta toga?

Nil

Nil levat oppressam curarum pondere mentem;
Si Venus aversa negligat aure preces.
Sit mihi grata magis paupertas, Cælia, tecum,
Quam sine te totas quas habet orbis, opes.
At fatis adeo trahor in diversa malignis.
Ut tibi sit curæ tantula cura meæ.
Tu facilis modo, difficilis modo, sed meus idem
Perstat, & assueto tramite pergit amor.
Visa simul, simul ipsa cupita, simulque dicavi
Libera servitio pectora nostra tuo.
Et me felicem dixi, dixique beatum,
Qualis forma, fides si tibi talis erat.
Forma fidem superat fitque ipsa potentior, illa
Debilior, nobis illa, vel illa nocet.
Ah quantum fidei, tantum quoque deme decoris,
Quæque minor, minus est diminuenda tibi.
Sed quid diminuas? potius, rogo, quam potes, auge,
Auctaque supremos duret adusque dies.
Tunc neque regna petam, nec quod micat ubere lympha
Seu Pactole tua, seu Tage flave tua.
Hæc aliis optanda; mihi tu Cælia tantum:
Non satis ad vultus orbis uterque tuos.
Quod si dura negas solitis contendere flammis,
Ante velim nobis ima dehiscat humus.
Speque bona vacuus cunctos prius angar in annos,
Sub Phlegetonteo flebilis umbra lacu.

Ad Amicam ingratam.

I nunc, & Dominæ famam molire perennem,
Deque puellari scribe legenda fide.
Sæva decennalis preme nunc incendia flammæ,
Totque sub angusto pectore damna tege.
Perfer, age huc illuc pro re quacumque recursa
Sedulus, & rubri selige dona maris.
Ut tua post facili laceretur epistola culpa.
Exclususque fleas noctibus ante fores;

Nec

Nec sit adoratos oculos spes ulla videndi,
Et tua sit nulla parte recepta fides.
Ah genus ingratum, & malefidum femina nomen?
Quas neque certus amor, nec benefacta movent.
Demens, qui meritis muliebria vincere corda
Sperat, & hæc longa demeruisse fide.
Non ita Threicio nubes Aquilone feruntur,
Non adeo segetes quolibet Eurus agit:
Ut rapit instabiles animi levis ira puellas;
Totque opus annorum diruit hora brevis.
Quoque putas tranquilla magis super æquora ferri,
Hoc minus est pelago, navita, habenda fides.
Quis bene jam tenero posthac confidat amori,
Si pretium exilium est post duo lustra mihi?
Nec satis exilium est, quod tam patienter amavi,
Quodque meus nulla labe notatur amor:
Additur huic aliquid, quod me violentius angit;
Scilicet illa meis gaudet iniqua malis.
Illa meus quondam dolor, & mea sola voluptas,
Quam penes est nostri pectoris arbitrium.
Gaudeat illa magis, quo me magis aspera torquet,
Dum modo torquenti fidus, amansque vocer.
Sed neque jam fidum, nec amantem perfida credit,
Dum putat his victum terga dedisse malis.
Nec frustra: quis enim, quæ tot toleravimus annos,
Perferat exiguâ, voce silente, morâ?
Tu tamen ipsa animum toties experta fidelem,
Debueras de me pertimuisse nihil.
Dum tua cura parum nostris fuit ignibus impar,
Non tibi mens adeo plena timoris erat.
Quin mihi cuncta libens uni memorare solebas:
Unus eram dominus; servus & unus eram.
Nunc ea cum subito & sine caussa flamma tepescat;
Non videor formæ dignus amore tuæ.
Sim licet indignus, decimo cur despicis anno?
Deque mea nuper consulis ipsa fide?
Tunc me debueras abs te removere furentem,
Cum rudis in primo limine flamma fuit.

Non leve crimen erit, tumidas duxiſſe per undas,
  Remige mox nudam deſtituiſſe ratem.
Ut cupiam, vetat acta Notus mea lintea retro,
  Inſtat & uſque minis imperioſus Amor.
Crede mihi, non eſt aliquâ ſanabile vulnus,
  Quod videas annis convaluiſſe decem
Serpit uti ſenſim bibulis nova flamma medullis,
  Sic niſi per longas labitur aucta moras.
Omnia tentavi, ne me tuus ureret ignis.
  Omnia tentantem ſævius uſſit Amor.
Cavimus, effluerent ſub inerti tempora luxu,
  Sæpius & longas cœpimus ire vias;
Sed tamen incaſſum per ſaxa Liguſtica fugi,
  Transfugaque Jonium per mare vela dedi.
Seu cane prædabar ſaltus, ſeu retibus undas,
  Per vada, per ſilvas uſque ſecutus Amor.
Quin ego (da veniam, ſic me dolor altus agebat)
  Has alio volui pellere amore faces.
At ſimul ulla tuæ fuerat collata figuræ,
  Tum magis hoc ſeſe devius auxit amor.
Incubuique domûs curis, patriæque regendæ:
  Nec metuunt flammas urbſque, domuſque meas.
Mille tui ſpecies ſub mille laboribus offert,
  Fingit in exitium quas puer ille meum.
Sæpius ut mediis animus mihi deſit in actis,
  Nec videam ſano lumine ſi quid ago.
Et mihi præcipue vis non fuit integra mentis,
  Commiſi famulo cum mea verba tuo.
Qui, licet ipſe mihi rear hunc vinxiſſe merendo,
  Ignibus arcanis non adhibendus erat.
Quid tamen, hos præter numeros, commiſimus illi,
  Clauſit lunifera quos mea gemma notâ?
Quid, quod & occului fictis mea vulnera verbis;
  Vix, quæ feciſti, vulnera nota tibi.
Nil egò peccavi: potius rea pagina fati,
  Illaque non fauſtis eruta cera favis.
Quid loquor? ille ego ſum triſti damnatus ab aſtro:
  Te mea præcipitem, littera, fata trahunt.

Sor-

Sorte mea, tu facta levi ludibria vento:
  Invideo pœnis attamen ipse tuis.
Nescio quid tibi dulce, manus dum scindit herilis.
  Heu necat, & me non tangit amata manus.

De Callirhoë, quæ viva sepulta est.

Bis vixit semel orta, bis hoc composta sepulchro est,
  Post sua Callirhoë funera facta parens.
Fœta erat; exanimis tumulatur; at excita partu
  Poscit opem: eruitur: mox parit, atque perit.

De Amore, & Laura.

Vidit Amor Lauram, & matrem ratus, oscula junxit,
  Oscula quæ misto toxica melle ferunt.
Ussit, & exarsit, flammæque haud gnarus acerbùm
  Flevit, & in pharetra credidit esse dolos.
Convolvit calamos: nullus reus: ah rea dixit
  Mater, in hoc omnes vulnere es ulta faces.

Ad Lauram.

In me dum vixti, vixi in te Laura, sed in me
  Cum jam non vivas amplius, emorior.

In Pana, & Amorem certantes.

Pan, & Amor quondam lucta certare volentes;
  Deponunt calamos ille, vel ille sacros.
Hic onus alarum, villosæ nebridos ille,
  Proiicit hic arcus, proiicit ille pedum.
Tum liquido exutos artus perfundit olivo,
  Cecropiæque modum servat uterque pales.
Conseruere manus totis conatibus ambo,
  Robore Pan fidens, dexteritate puer.
Aspera pugna fuit, primisque assultibus anceps:
  Nunc Pana ajebant vincere, nunc puerum.

At demum elato prensavit cornua saltu:
 Panaque, qui vincit omnia, vicit Amor.

De Hippolyta, & Callimacho.

Ruperat Hippolytæ data fœdera, patre coactus
 Æmiliam uxorem ducere Callimachus.
Illa furit, sed dissimulat, noctemque cupitam
 Pollicita incautum transadigit gladio.
Et spectante illo (quid non muliebria cogit
 Corda Amor?) usa suâ dexterâ, & ense perit.
Non grave obire proco; sed non obiisse repente:
 Non doluit proprio vulnere, sed Dominæ.

De Laocoonte.

Non temere antetulit statuis prisca omnibus ætas
 Cælatum triplici Laocoonta manu.
En geminus natis patrem implicat anguis, & unus
 Sibilat, & sævit, fletque, gemitque lapis.
Si labor hoc ausus mortali excudere ferro,
 Mirum tam longo non senuisse situ.
Sin dedit hoc Pallas, quid adhuc Phrygas angit? Julo
 Præside, fasne ulli lædere Roma tuos?

Ad Ludovicum Pictorium Poëtam.

Et Phœbum, castasque doces, Lodovice, sorores
 Salsa verecundo verba lepore loqui:
Ulla nec in toto prurit lascivia libro;
 Pagina non minus est quam tibi vita proba.

Ad Cæliam.

Tam cito dissidium post gaudia Cælia nobis,
 Tam cito post ipsum gaudia dissidium.
Ut mihi sit metuenda tui magis aura sereni,
 Quam perturbatæ nubila frontis hiems.

Spe-

Sperat enim a gravibus pacem mens anxia rixis,
  At mala de placida jurgia pace timet.

Ad Lucretiam.

Tam bene quod teneas numeros, non, Borgia, mirum est:
  Unica si numeros, unde elementa facis.
Muneris est jubar omne tui, sistisque, ciesque,
  Cum libet, e magno semina nata chao.
Caussarum tu caussa, in te deprehenditur ipse
  Juppiter: una creas omnia, & una beas.

Epitaphium Hippolytæ Taffonæ.

Hoc tuus Hippolyte ponit tibi marmor Julus
  Taffonæ primus nobilitatis honor.
Meque, ait, hoc non te conjux tego: mens mea busto
  Clausa tuo, membris vivis at ipsa meis.

In Cupidinem marmoreum super Leonis spolio dormientem ad Lucretiam.

Ecce Cleonæi substrata pelle Leonis
  Languidus in duro marmore torpet Amor.
Estque impune faces prope cernere, telaque & arcus,
  Tangereque apposita pectora nuda manu.
Segnitiæ nec caussa sopor, sed in Hercule, dum se
  Jactat, & ora feræ sanguinolenta refert;
Risit, in elatum detorquens sidera frontis,
  Borgia, queis animi vis domita illa trucis:
Procubuitque puer, fassus nihil esse quod obstet,
  Arma ubi juncta decens forma, pudorque movent.

In eumdem.

Parcite sopiti tractare Cupidinis arma:
  Borgia custodit, proque jacente ferit.

De eodem.

Forte Cleonæi ſubſtraverat horrida monſtri,
  Hercule quæ victo terga gerebat Amor.
Seque, faceſque ſuper ſpolio, calamiſque locarat.
  Victrici recolens parta trophæa manu.
(Res nova) Borgiados cum luce potentis ocelli,
  Terga, puer, faculæ, telaque facta lapis.

Ad Bembum.

Tecum habita, ut vivas: alibi quicumque moratur,
  Non vivit, vita eſt vivere Bembe ſibi.

Ad Carolos Agnellos.

O cari mihi Caroli ſodales,
Agnelli pariter, pareſque amore,
Vultu. moribus, eruditione
Æque ſi mihi carus hic, & ille
Plus meis oculis, meaque vita,
Imo plus oculis meæ puellæ,
Quam præ lumine, præque vita amamus,
Adſitis precor, & ſimul vocate
Scalonamque meum, meumque Janum,
Qui Mantûs merito tuetur arcem,
Gonzagamque Aloyſium, ſenemque
Carmelæ, & Clariæ patrem catervæ.
Adſitis ſimul, advocateque omnes
Quotquot noſtis Apollinem colentes,
Et quantum eſt hominum eruditiorum.
Atque hinc pellite peſſumum poëtam,
Qui veſtri numeros Maronis audet
Permutare licentius, palamque
Hoc defendere ſyllabas labantes,
Erroreſque ſuos ineptus, excors,
Inſtar qui pueri ſapit quadrimi,

Quem

Quem mater rudis educarit inter
Setoſum pecus, hiſpidoſque ſentes,
Nunc o, nunc aries uterque fiat
Agnellus meus, & potente cornu
Veſanam fuget uſquequaque peſtem,
In malamque crucem, maloſque corvos;
Ne tam bella malus Poëta poſthac,
Ut ſe protegat, inquietet orſa.

Ad Cœlium Calcagninum.

Cœli, qui numeros Catullianos
Calles tam bene quam Catullus, iſtum
Qualemcumque, precor, fuges timorem,
Ne noſtrum metuas ſubire naſum.
Tam ſcitam, & lepidam locutionem
Auſit nemo loquax, dicaculuſque
Ronchis perſequi, & inquinare morſu:
At quanto minus Hercules timendus?
Nulli noxius, omnibus benignus?

De Beatr. Nolana, Ambroſio Leoni adamata.

Unica quæ fuerat, nunc eſt mihi trina Beatrix:
  Hanc Deus, hanc vates, hanc dedit arte manus.
Quæ formata Deo, quum noſtris aſpera votis
  Staret, ab Aonio eſt altera picta choro.
Hac augente magis ſine corpore corporis æſtus;
  Tertia Palladio eſt picta magiſterio,
Hæc mihi tota datur: Paphiis licet oribus ora
  Nectere, & ambroſiis pectora pectoribus.
Vox deeſt una, ſuâ quod ſi reſpondeat Echo,
  Naturæ hoc rarum nemo negarit opus.
Sed vox nulla juvat: rigida nam voce petenti
  Non daret: at ſi vox non erit ulla, dabit.

Epitaph. pro Jo: Pico Mirandula.

Joannes jacet hic Mirandula, cetera norunt
 Et Tagus, & Ganges: forsan & Antipodes.

Pro eodem.

Hic situs est Picus, cujus si cuncta perissent
 Virtutum; septem vix sat erant tumuli.

Pro Angelo Politiano.

Quis Lycias sortes; quis Pythiæ carmina vatis;
 Transmissos Delo quis neget huc Tripodas?
Quippe hic assidue Phœbus, Musæque parentant;
 Et caros lacrimis sæpe lavant cineres.
Quin si fata velint, tegerentur numina, sub qua
 Angelus obdormit Politianus humo.

In Heluonem.

Sæpe bibis, quo sæpe vomas, & sæpe voracem
 Distendas miseri corporis ingluviem.
Quin si forte tenax stomacho cibus hæserit, hunc vel
 Dextra, vel in fauces indita penna ciet.
Tamquam sis genitus perdenda ad vina, nec ulli
 Te natura alii finxerit officio.
O dignum laqueo facinus! quodcumque voratur,
 Turpiter ingeritur, turpius egeritur.

In Amorem furem e Græco.

Dum Veneris puer alveolos furatur Hymetti,
 Furanti digitum cuspide fixit apis.
Indoluit graviter, puerilia que ora rigavit
 Fletibus, & matri spicula questus, ait:
Unde hæ tantillis vires animantibus? unde
 Exili possunt lædere aculeolo!
Cui Dea subridens inquit, non tu quoque nate
 Corpore non magno, vulnera magna facis?

In

In Lycharmum furem.

Suſpendendus erat Phœbo redeunte Lycharmus,
Furcam alius ſero veſpere fur rapuit.
Quid ſonti ſperare nefas, ſi turpia furta
Quod dederant laqueo ſurripuere caput?

Ad Glyceren.

Quantum erat in me animi, addictum eſt tibi; vivit & in (te;
Quò ſapimus male quæ nos opus eſt ſapere.
Nec tantum male nunc ſapimus, ſed vivimus ægre.
Abſque animo, Glycere, debilis eſt anima.

Ad Gargalianam.

Moroſis nondum ſqualent tibi tempora canis,
Nec labat annoſo pendula ruga ſitu:
Et jam nulla tuo vernant in limine ſerta,
Nec crebris teritur Janua diſſidiis,
Te juvenes, te odere ſenes; deſertaque langues,
Quæ fueras procerum publica cura prius.
Lydia Santonico mutaſti ſtragula velo,
Et toga vix corpus ſutilis omne tegit.
Quodque in te nulla licuit ſperare ſenecta,
Ducis honorata lucida penſa manu.
Hoc tantum ſupereſt, ut ceram, aut cruſtula vendas:
Nam male habet, cum nent, Gargaliana, lupæ.

Caſtrico.

Si te amo, me quoque ames: & ſi te dicis amare,
Iſte tamen non eſt, ſi bene quæris, amor.
Tantum velle, & nolle, velit nolit quod amicus,
Eſt amor, at non vis quæ volo: nolo: ea vis.
Non amor hic; verum effigies & nomen amoris.
Sic nec ames potius Caſtrice; te nec amem.

Ad Thebaldeum.

Thebaldee, meo cum cum te mutaſſe tuum cor
Noſceret, injecit Flavia pulchra manus:
Et mihi: num demens aliena tenere putaſti?
Qui dedit hoc, rapuit perfidus ante mihi.
Sic ait, atque tuum cor abſtulit: inde ſecuta eſt
Cor anima, ut faciat corpus inane meum.
Quare aut redde meum; aut tu contra jure repugna.
Res ſine lite mea eſt, litigioſa tua eſt.

Merimiſco miniſtro.

Immortale mihi fundas, Merimiſce, Falernum:
Sutilibus vernent pocula grata roſis.
Omnia lætitia ſint omnia plena Lyæi;
Omnia ſint cantus, omnia plena joci.
Nunc Bacchum celebrare decet, Bacchoque furenti
Promere fumoſis Maſſica vina cadis.
Funde iterum calathos, iterum numerare labora:
Expetit undenos Parthenopea ſcyphos.
Torqueat exhauſtas cum ſicca canicula fauces,
Nunc Dominæ nomen grandius eſſe velim.
Dextantem numeras, ceu nullum poſcat honorem
Quæ gravat adflatu quarta elementa ſuo.
Quid cyatho fraudare ſitim meritoque figuram
Quæris, & inſanos fundis inepte ſonos?
Quid tibi, cum dapibus Varroque Macerque citantur?
Cenſorem neſcit libera menſa pati.
Cum mihi præſtiteris totum exhaurire deuncem;
Sit tibi pro ſterili Spiritus ille nota.

In Roſam Lucretiæ.

Læto nata ſolo; dextrâ, roſa, pollice carpta;
Unde tibi ſolito pulchrior, unde color?
Num te iterum tinxit Venus? an potius tibi tantum
Borgia purpureo præbuit ore decus?

In

In Polycharmum.

Nunc Arabum lapidem, nunc dentiſcalpia quæris;
Commagena magis nunc tibi galla placet?
Frigida diſparibus numeris nunc colluis ora,
Nunc leporem poſcis, nunc Polycharme, lupum.
Mercariſque nihil niſi quod ſit dentibus aptum;
Et tibi dens nulla pro ſtatione ſedet.
Hoc facis ut quivis dentes tibi judicet eſſe:
Sed fatuos produnt ſingula verba dolos.

In obitu Hippol. Taſſonæ.

Conjugis Hippolytæ gelidos cum conderet artus
Marmore, Taſſonæ gentis Julus honos:
Si neque tot bona, nec proles ſeptena, meæque
Fata movent lacrimæ; quæ ſatis, inquit, erunt?

De Borgia.

Dum Venerem propriæ Lucretia conſcia formæ,
Vel Phryge conferri judice nolle videt:
Occuluit roſeos ficta ſub imagine vultus;
Ut pavidam alliceret Cyprida, pulchra minus.
Publica ſed formæ ſimul in certamina ventum eſt;
Exeruit latitans conſpicienda jubar.
Vix ſe prodiderat: vincor Venus, inquit; & hoſti
Perſonam, ut frontem conderet, eripuit.

In Cupidinem marmoreum.

Borgia, dilecti tibi viva Cupidinis ora
Iliaca ſupplex mittit ab urbe Venus:
Nec ſatis eſt mutuo, pharetramque, arcumque, facemq;
Juncta dare; Herculeæ dat quoque terga feræ:
Scilicet ut liqueat, ſe cedere Numini, & arma,
Quicquid & antiqui majus honoris habet.

In

In eumdem.

Gorgone quid mirum Libycus si duruit Atlas?
Lumine Borgiados saxificatus Amor.

In eumdem cum pelle Leonina Herculis.

Borgia, nil mirum, si lassus ab Hercule victo,
Victus & in fulva pelle quiescit Amor.
Alciden gravis, hirsuto spoliasse Leone:
At gravior, tecum dimicuisse, labor.

Ad Borgiam.

Herculeis super exuviis, & marmore duro,
Cum face, cum telis, te prope dormit Amor.
Et thorus, & decora alta docent, quam fortis, & asper.
Cetera, te curam, Borgia, habere Dei.

Ad eamdem.

An tibi larga parum, Lucretia, fata videntur,
Borgia quod prima sit data sorte domus?
Quod patre Alexandro, fratre inclita Cæsare? quodque
Sis Venus ore, opibus Juno, Minerva manu,
Quodque favis lepor Hyblæis tibi dulcior? & quod
Tantam ipsæ Charites non habeant Charitem?
Quod socer Alcides? quod te Ferraria adoret?
Quod fluat in laudes Castalis unda tuas;
Ni quoque te Phœbo, Phœbique sororibus addas?
O tot inexpletum dotibus ingenium!

De Lucret. Borgia.

Borgia cum capto spolia ampla referret Amore,
Inque triumphali staret honora thoro.
Mœsta Venus, lacrimisque oculis turbata nitentes
Sæpe ubi pulchra gravi perculit ora manu:
Constitit ante Ducem, & ne tu, ne ait incluta sævi;
Prona ego, & ipse tibi sponte dat arma puer.

Ad

Ad eamdem.

Si quis Apollineos perferre diutius ignes
  Lumine tentarit; lumine captus erit.
Et qui ſaxificæ conſpexerat ora Meduſæ.
  Mutato rigidum corpore marmor erat.
At quicumque tuos miratur, Borgia, vultus,
  Fit primo intuitu cæcus, & inde lapis.
Moxque velut Sypili cautes lacrimoſa madeſcit;
  Vivit & in ſaxo (quis putet?) uſque dolor.

Ad eamdem.

Quale Pericleo manabat nectar ab ore;
  Quale ſuo cecinit funere carmen olor:
Quale melos Siculo tenuit cira vela profundo;
  Tale refers; ſed & hoc, Borgia, dulce magis.

Pro Lucretia infante.

Invitæ abſciderant tua fila Lucretia, Parcæ,
  Dum celeri properant ducere penſa manu.
Cumque eadem vellent ſubito connectere nodo:
  Quod ſemel abſciſſum, Mors ait atra, meum eſt.

Philomuſo.

Lux micat ex oculis noſtræ, Philomuſe, puellæ
  Unica, quæ in Scythico temperet arva die;
Cogit & æſtivam nimium fervere Syenam,
  Raraque fert nobis ſæcula temperie.
Ecce gelu flammamque mihi: tamen adſpice longa
  Tempora, quæ tali creſcere luce vident.
Ignara eſt utrum cupiat mens ante reſolvi.
  Æſtus cauſſa gravis, cauſſa maligna gelu.

De Jo: Pico Mirandula.

Dum ſtat Ariſtotelis cum magno rixa Platone;
Et ſedet Actæi muta caterva chori:
Nuper ad Elyſios qui venerat Angelus inquit;
Tantum, fabor enim, ponite diſſidium
Haud procul a noſtro Picum modo liquimus Arno,
Qui veſtras Latio ſolvit in orbe vices.
Quare age, ſi fas eſt, hunc ocyor advocet Arcas:
Ultro avet hæc inter agmina diſſerere.
Adplauſere omnes: exorataque ſorore,
Virtutis nobis eripuere decus.

Paullo.

Qui te, Paule, refert frontem amiſiſſe, quod audes
Hiſcere quæ nemo comprobat, aut patitur:
Decipitur; non fronte cares: ſed frons ita lingua
Diſtat, uti linguam frons premere haud valeat.

Ad Maximilianum Cæſarem.

Te nihil eſt majus; regno nil majus avito;
Nomine nil majus, Maximiliane, tuo.
Vix totidem mundum vaga gloria pervolat alis,
Facta quot ingenio ſunt meditata tuo.
Non minus illuſtrem gens Auſtria jactat alumnum,
Quam eelebrat magnum Gnoſia terra Jovem.
Qui ſpecimen Clarii, Getici qui pectus & arma,
Mænaliique velit noſcere corda Dei:
Ille tuam adſpiciat faciem, dextramque, ſalemque,
Treſque uno cernet corpore Cœlicolas.

De marmorea imagine Beatricis Ambroſii Nolani.

Qui putet hos crines? tales quis credat ocellos?
Ora quis artifici ſcalpta magiſterio?
Sibilat aura comis, nitidam dant lumina lucem,
Ipſaque ſi nequeunt, dixeris ora loqui.

Un-

Unde fuit duro tam magna potentia cælo?
Huic natura nihil tradere plus poterat.
Sed roseæ, Ambrosie, dum te pius Olbiopœia
Tentat Amor raris credere deliciis;
Idaliis niveam descripsit arundine Ligdon,
Quæ ferat interea gaudia magna tibi.
Hinc avidos explere oculos, hinc frigida fas est
Haud semel hausta labris labra calere tuis.
Hinc animi flammas poteris relevare tuendo;
Ni tamen hoc flammas addere sit potius:

De eadem.

Qui rigidi pars montis eras, nunc pulchra puellæ
Ora refers; debes jam lapis artifici.
Sed formosa tibi debet magis illa Beatrix,
Cui data de vultu gloria tanta tuo.
Artifici non parta manu tibi fama; sed illi
Nomine parta tuo: debet & illa tibi.
Enthea turba tamen tantum subjungit honoris,
Ut non prisca magis sæcla canant Iopen.
Jam superata Gnidos, velataque forma Diones,
Jam quocumque silet marmore Praxiteles.
Plus igitur de te, qui confert plura, meretur:
Plus bona victuræ carmina laudis habent.
Vincere quis tentet spirantia signa Dipœni?
Et tamen illa situ longa senecta premit.
Carmina ni fuerint, Ephyreïa quis sciet æra?
Quis te, si taceat, Tyndari, Mæonides?
Semper inextincti divino carmine vatis,
Quod peritura tulit dextera, vivet opus.

Dialogus.

Hæc quam conspicio, numquid Dea Cypria? numquid
Candida Phidiaco marmore Pasithee?
Neutra quidem, alterutram nemo mihi deneget esse;
Tam placet, ore, genis, lumine, fronte, comis.

Non

Non Venus hæc, non ulla Charis, ſed pulchra Beatrix,
  Quæ meruit fauſti nominis augurium.
Scilicet, Ambroſie, quo Nola ſuperbit alumno,
  Hæc data carminibus concelebranda tuis.
Hanc Venus, & nati ſimul effinxere volucres,
  Eſſet ut Aonio concupienda viro.
Ergo tot una tenes mortali corpore dotes,
  Vix quot in aſtrigeris axibus ulla tenet.
Hæc mortalis adhuc; ſed cum ſe membra reſolvent,
  Æternum vivent nectare, & ambroſia.

Imago loquitur.

Cum tibi ſic placeam, quod ſim licet aſpera tactu,
  Hos nequeas vultus credere marmoreos.
Quid nitidos veri ſpectes ſi luminis orbes,
  Tela quibus noſtro ceſſit Amor lateri?
Sed procul hinc abſcede: ſolet mea ſæpe Cupido
  Pectora fruſtratis figere arundinibus.
O quoties dixit; vincet manus iſta puellam,
  Quæ Styga quæ terras, quæ mare, quæ Superos.
Hic licet adſideas, & marmora ſurda fatiges,
  Nil tibi quod proſit, ſaxea forma dabit.
Qui faciem finxit, voluit ſimul addere mores,
  Et duram duro marmore compoſuit.

Eadem.

Quid lapidem ſpectas? quid mutua verba moraris?
  Naturæne putas, quod fuit artificis?
Ne ſtupeas, propria Malvicus luditur arte,
  Et vivam jurat, diſſimilemque ſuæ.
Miraris ſi fallo homines? Deus ipſe Deorum
  Factus ob hanc formam, bos, equus, imber, olor.

VA-

VALERII SUPERCHII

PISAURENSIS.

In Speculam lapideum Clarissimi artium Magistri, & Medicinæ Doctoris Camilli Leonardi Pisaurensis.

QUidquid inhumanos gemmarum parturit usus
  Terra parens: vasti quidquid & unda maris.
Quamlibet exiguo claudis, Leonarde, libello:
  Mirandum, & seræ prosperitatis opus.
Quod Cæsar positis interdum perlegat armis:
  Servarique suas imperet inter opes;
Et tibi pro meritis æquos decernat honores,
  Consulat & famæ tempus in omne tuæ.

TORQUATI TASSI
BERGOMATIS.

Ad D. Joannam Auſtriacam.

ESt Helene forma, Lucretia magna pudicis
  Moribus, & ſacra relligione proba.
Viribus eloquii Cornelia, lumine mentis
  Calliope, & claris Cynthia luminibus.
Ergo omnes Joanna refert nymphaſque, Deaſque,
  Cum illarum cunctis dotibus una nitet.

In Eamdem.

Virtutis ſplendor generis cœleſtis origo
  Impulit, & formæ gloria ſumma tuæ,
Ut canerem te, ſed tenuit me maximus horror,
  Cum te conſpexi clarius eſſe nihil.
Deſtiti ab incepto, ſum muto redditus ore,
  Si potis eſt, Phœbus te precor ipſe canat.

LÆLII TAURELLI

FANENSIS.

De cæde Radagasi, Getarum Regis.

BArbarus infesto Radagasus Medicis ictu
  Dum ruit, & jam spes concidit omnis, ait.
Florentem at minor hanc, atque urbem excindere Romã
  Gloria erat, dextrâ quam cecidisse tua.

JO: ANGELI TAYCETI

BRIXIANI.

Epithalamium Lucretii Canoriferi Comitis, & Thaddeæ Vermigenæ.

REgina o Cypri, o teneri vaga mater Amoris.
  Eja age linque Paphon, Idaliasque domos.
Huc propera redimita rosis: Lucretius heros
  Te vocat; orantis suscipe, Diva, preces.
En nova nupta illi, Superis æquanda propago,
  Amplexus primos, oscula prima parat.
Pectora jungat Hymen, animos Concordia nectat,
  Et Charis, & certa Pax comitata Fide.

Igne pari ſuccende duos, ut corpore in uno
  Spiritus unanimis corpora bina regat.
Det ſobolem Lucina favens, uteroque jugalem
  Acceleret menſem Cynthia jam decimum.
At tu Vermigena, huic tanto conjuncta marito
  Gaude inter pulchras pulchrior Italidas.
Omnia fauſta vides: hic tellus ridet, & aër,
  Duraque flaventi robora melle fluunt.
Plaudit Amor, thalamus geſtit, placidiſſima Juno;
  Intonat æthereo ſummus ab axe Pater.

JO: ANTONII TAYGETI

BRIXIANI.

Ecloga nautica, Idmon: ſeu Chriſtianorum, & Turcarum Navale certamen.

Eurydamas, Idmon.

DIc age, Pieridum Princeps, dic maxime Apollo,
Prœlia cæruleas Neptuni geſta per undas,
Dum ſtimulis acti Eumenidum gens effera Thraces,
Chriſticolumque acris pugnat manus, o bona Muſæ
Progenies, primis colui quas ſemper ab annis.
Ecquæ erit e vobis, quæ me graviora canentem
Laurigeras inter ſilvas, Heliconis ad undas
Siſtat, & optata cingat mihi tempora fronde?
At tu, quem dulces venientem in luminis oras
Aſtræa, Autumni portas, chelaſque relinquens,
Ipſa ſuas docuit leges, cuique innuba Pallas
Diverſos cœli motus ſtellaſque micantes,
Et dedit occultas rerum cognoſcere cauſas.
Macte tuis, Federice actis, & ſanguine avito,

Huc

Huc ades, & noſtris faveas precor optime votis.
Non injuſta peto; tu nam perſæpe receſſus
Aonios luſtras, & dum felicia condis,
Ipſe tua intentus miratur carmina Phœbus.
Gnoſius Eurydamas, quo non præſtantior alter
Per vada ſalſa citam remis impellere puppim,
Et regere; & ſoles tempeſtateſque futuras
Præcinere, & variæ faciem cognoſcere Lunæ;
Inſtantes cupiens ſolers vitare procellas,
In loca tuta ratem impulerat, portumque tenebat,
Qua formoſa ſitu, gemina formoſior arce
Corcyra, æquoreas late proſpectat in undas;
Dumque hic Fortunæ ereptus, non horret aquarum
Agmina; vicino venientem in litore vidit
Idmona, remigio doctum, puppiſque magiſtrum.
Talibus atque illum compellat vocibus ultro.
Eur. Fallor? an iſta mihi quæ nunc occurrit imago.
Eſt umbra? an potius, quod mallem, eſt Cyprius Idmon?
Idmon es; o dulci ſoſpes quod veſceris aurâ,
Quam lætor dilecte mihi! longævus Amilcon
Dixerat, obſeſſæ tendentem ad mœnia Cypri,
Atque arma, atque epulas, & Bacchi dona ferentem
Effugere armatas claſſes, atque agmina Thracum
Non potuiſſe; imis quin te vel mergeret undis
Dira manus nimium, vel adacto in pectora ferro
Heu miſerum, æternis noctis demitteret umbris;
Sed te, quæ tantis Idmon fortuna periclis
Eripuit? noſtris & quis te reddidit oris?
Idm. Eurydama, ut ſenior multis narravit Amilcon,
Milite cum patriis cuperem ſuccurrere terris,
Et Cererem obſeſſis vectarem & vina; carinis
Iſmariis ego præda fui, ſed compede vinctus,
Et juſſus validos manibus propellere remos,
Verbera & aſſiduæ ſenſi fera vincla catenæ,
Optatam donec feſſo Deus ipſe ſalutem
Attulit, & celſo inſontem miſeratus Olympo eſt;
Nam dum Threiciam telis, & remige claſſem,
Et ducibus penitus ſpoliat, primoſque trucidat

Christicolum delecta cohors; mihi pristina tandem
Reddita libertas, spoliisque oneratus, & auro
En adsum, non umbra quidem, sed Cyprius Idmon.
Eur. Tune igitur præsens tanti certamina belli
Horrida vidisti, Ductorum & funera noscis?
Hæc nobis avidis dum singula quærimus, ante
Fama loquax, obscura tamen, narrare solebat,
Non veris vera involvens; Tu protinus ista
Dic quæso dilecte Idmon; pendebimus omnes
Ore tuo; en jam te nautarum turba coronat.
Idm. His oculis, his inquam oculis hæc prœlia vidi;
Dicam igitur, magna est etiam meminisse voluptas.
Threicius, miseræ post diruta mœnia Cypri,
Ereptis lætus spoliis, regnoque, Tyrannus,
Jam tercentenis sulcabat puppibus æquor,
Scilicet ut pelago, Venetoque Leone subacto,
Et frena, & magno leges imponeret orbi;
Demens, qui tantis contraria Numina votis,
Nec vidit capiti ultrices instare sorores;
Acer Halys, crudelis Halys, quem patre Doriclo
Conceptum, furtim gelidas ad Strymonis undas
Edidit Alcimede, primis assuetus ab annis
Ferre arma, & celerem cornu torquere sagittam,
Atque pedum cursu ventos superare: & in orbem
Vertere cornipedem rapidum, cursuque citato
Comminus adversos hastas effringere in hostes;
Frigora tum, solesque pati, Boreaque furente,
Huc illuc vastum ratibus lustrare profundum,
Primus erat classis ductor; quem proximus, armis
Consilioque valens sequitur Portunus; & audax
Sirrochus medias remis transire procellas;
Nec non & Libyæ solio, sceptroque potitus
Ruzzalis, Occhialiden populi cognomine dicunt.
Ergo ubi fama Pii Pastoris nuntia ductu,
Hispanas properare manus, Latiasque cohortes,
Et cecinit lati magnas per marmora ponti
Adventare rates, ultro quæ bella lacessant
Horrida, & Ismarias valeant excindere gentes;

Armorum, claſſiſque novæ numerique potentis
Non bene certus Halys, varias ſub pectore curas
Volvebat; tandemque animo ſententia ſedit,
Certior armatos illi dum nuntius hoſtes
Narraret, claſſemque mari decedere aperto,
Naupactique ſinus tutos, portumque tenere.
Et jam Cimmeriis properans nox humida ab antris,
Duxerat obſcuras mundum complexa tenebras,
Solaque cadentes nobis Latonia vultus
Oſtendens, tremula veſtibat cærula luce;
Cum ſolitus prædas vectare, & vivere rapto
Carcozzà, humentis per amica ſilentia noctis
Mittitur, exploret noſtræ qui robora gentis,
Telaque & excubias claſſis, numerumque reportet.
Nec longum in medio tempus, cum nare per æquor
Chriſticolum pictas cernit Carcozza carinas:
Dumque acie cunctas numerare, & cernere acutâ
Nititur, eripiens miſero mentemque aciemque
Ipſe Deus, nigra velavit lumina vittâ.
Nam claſſis numeroſa, potens, magnumque futura
Thracibus exitium, ſegnis, nec idonea bello,
Nec poſſe Iſmariæ viſa eſt concurrere claſſi.
Vix Aurora polum roſeo patefecerat ortu
Lutea; cum fati ignarus, ſortiſque futuræ,
Ecce hilaris Carcozza redit, mox talia fatur:
Chriſticolæ pereant omnes: Victoria noſtras
Læta ſupervolitat puppes, optataque nobis
Jampridem, felix tandem ſors obtulit ultro:
Heſperias nuper, luſtro dum cuncta, triremes
Perſpexi numero exiguas, atque artis egentes,
Militis, armorum, atque ducum, quid bella moramur?
Linquite ductores portus, & aperta petamus.
Talia dum memorat, ſubito per inania magnus
Auditur multo mixtus ſtridore volatus;
Dumque oculos Thraces mirati ad ſidera torquent,
Acriter ecce vident, multo cum vulture, magnum
Pugnantem Jovis armigerum: atq; hoſtilia aduncis
Unguibus, & ſævo rapientem viſcera roſtro:

Sanguinis unde ingens ſupra caput affluit imber,
Turbati ſtupuere omnes, quidque omina poſcant,
Quidve ferant, tremulâ perquirunt voce. Ducumq;
Primus Halys dubias mentes, & pectora firmat:
Auſpicia e cœlo nobis patefacta ſereno
Chriſticolas horrenda petunt: gaudete potentis
Strymonii regis proceres, & bella parate;
Nam qui nos avium tinxit cruor, omnia nobis
Dat certa, Heſperio fluxurum ſanguine pontum,
Dum noſtrum illorum reſerabit pectora ferrum.
Sic fatus, ſocios ad pugnam hortatur ovantes,
Et portum linquens, latum migravit in æquor.
Ipſe audax primas acies Carcozza regebat:
Sirrochus dextras agit, Occhialideſque ſiniſtras;
Piratas ſcelerata cohors poſtrema coërcet.
Hos inter, ſpes magna ſuis Portunus, & ingens
Ibat Halys, mediique ambo, media agmina ducunt.
Interea juſti ſucceñſus Martis amore
Magnus Joannes, Auguſti invicta propago,
Heſperiæ cladis, & ſparſi ſanguinis ultor,
Ad bella hortatus ſocios, Superoſque precatus,
Agmen agens aderat magnum; claſſemque pararat
Quæ poſſet denſas Turcarum evertere turmas:
Cui comes it Venetum ſpes magna Venerius heros;
Et Latiæ columen gentis, lumenque Columna
Magnus, & Urſini gemini, duo fulmina Martis,
Corneaque Aſcanius Ductor clariſſimus armis;
Atque ſimul medias ducunt miro ordine puppes.
At Ligurum decus egregium, Diis æmula proles;
Bella fremit forti præcinctus milite, Princeps
Aurius, & dextrum ducit latus: inde ſiniſtrum
Barbadicus agit fortis; cui cruda ſenectus
Non minuit validæ vires animumque juventæ;
Alvarus & rigidi priſcus Mavortis alumnus
Poſteriora tenet, magnæ anteriora triremes.
Ut primum mirâ tot ductas arte carinas,
Tot ſigna, & proceres tantos, tot lintea vidit,
Mæſtus Halys; multa preſſus formidine pectus
Ob-

Obstupuit, siccisque diu vox faucibus hæsit;
Jam quid agat, nescit: placidos nunc denique vellet
Naupacti tenuisse sinus; tamen ipse timorem
Dissimulat, classemque truces convertit in hostes.
Nec mora, Christicolæ occurrunt; castusque sacerdos
Ostendens vexilla crucis sublimia, Turcas
Territat, & magna clamans sic voce profatur.
Æternum celso suspensus stipite Christus,
Æternum vivat, vivant quicunque sequuntur
Dilectæ vexilla Crucis; mittantur ad umbras
Tartareas, Erebique domos, gens perfida Thraces.
Sic erit: ecce tonat lævum Deus, ipsaque nobis
Carbasa felici complet turgentia vento.
Ergo utrinque pari concurrunt impete classes,
Fit fragor, & clamore virum, clangore tubarum
Æquora lata sonant magno, cœlumque remugit,
Aërque, & strictis collucent ensibus undæ.
Majores aliis Venetûm, armatæque triremes
Et sponte ante alias prima in certamina missæ.
Sæpius æratas valido conamine glandes
Sulphureo jaciunt igni, quo murmure magno
Æquoreis credas scopulis concurrere montes.
Tunc igitur laceræque rates, cæsæque cohortes
Turcarum, salsis late labuntur in undis
Cum tot pestiferas cædes, tot damna suorum
Respiciens furibundus Halys, jubet ocyus omnes
Ictibus ignitis auferri, & cedere puppes;
Sed nec jussa valent; densæ nam grandinis instar
Ferrea pila ruunt, Geticas quæ densa triremes
Quo-se cumq; ferant, lacerant, sternuntq;, premuntq;.
Sic igitur cæcas Orci demissus ad umbras
Thrax perit, & subito lunatum solvitur agmen.
Instaurant acies, adduntque minantia verba
Pro se quisque Duces Getici pugnamque capessunt.
Atque hic tormentis, jaculisque, & milite septus
Sirrochus, medias acies circundare tentat
Christicolûm, ancipiti qui tunc certamine nixi
Comminus Ismarias contra pugnare catervas.

Non

Non tulit hoc solers, & nostræ caussa salutis
Magna, sed adversum tunc Barbadicus in hostem
Agmen agit propere adveniens; atque impedit orsa,
Nec cessat, donec telis, atque igne voraci,
Et glande, hostiles, capto Ductore, carinas
Perdat, & innumeros mittat sub tartara Thracas.
At Carcozza manu fidens, levibusque sagittis,
Sirrocho amisso manet imperterritus; atque
Sævit, & Ausonium pharetram consumit in agmen;
Sternit Atyn, sternit Lalagem, sternitq; Theronem,
Et Fabarim, & puerum Lausum, & spem patris Abantē
Hadriaci; invito is genitore ad bella profectus,
Unica progenies, matris pulcherrima cura,
Æternum miseros liquit sine prole parentes.
Additur his juvenis Superantius; hic prius acrem
Senserat emissam corpus strinxisse sagittam;
Ergo dum manibus vulnus bis terque retractat,
Ecce illi Ismarium penitus cava tempora telum
Traiicit: ille dolens crudeli vulnere, letho
Volvitur, & Venetas moriens reminiscitur oras.
Talia per nostram geminat dum funera classem
Carcozza; assuetus primâ tormenta juventâ
Tractare, & celeres ex illis mittere glandes;
Cenomanûm genus, illorum quos Tropica vallis
Educat, hunc torvo jamdudum lumine Pentheus
Adspicit, & motus gressusque observat ovantis,
Si quando valeat tantos abolere furores,
Classibus & veterem Latiis arcere ruinam.
Vix apicem puppi extulerat, cum protinus illi
Glans violenta cavo contorta ut fulmen ab ære
Transadigit galeam, cerebrique in ventribus hæsit.
Interea mediis utrinque in classibus ardens
Sævit Bellona & resonat clamoribus æther.
Nam cupiens Thracum miseras ulciscier umbras,
Et Regi magno sese jactare triumpho,
Clamat Halys; sævumque gemens, & fervidus irâ,
Ipse suam furibundus ad horrida bella triremem
Ducit, & instat agens: nec mente minora volutat
Augu-

Augusti proles, celeri sed puppe propinquat;
Utrasque innectunt donec retinacula puppes:
Mutua, & alternis in pugnam viribus itur.
Fit sonus hic ingens, hic pugna asperrima surgit,
Quanta nec ipsa unquam vidit longæva vetustas,
Nec nostra inspexit, nec cernet serior ætas.
Threicii jaculis, & curvo fortiter ense,
Glandibus Hispani, & rutilis mucronibus instant,
Pix, & flamma manu, ferrumque, & saxa, sudesque
Sparguntur: coëunt mixti, pereuntque vicissim
Hispani, Thracesque simul, mixtique Latini,
Et pede pes, manibusque manus miscentur; euntq;
Quo vel pugna magis sævit, vel densius agmen.
Hic videas passim remos, & trunca natare
Corpora, & hinc illinc magnas ardere triremes,
Sanguineisque ingens consurgere fluctibus æquor.
Ipse suas medius lorica, & casside fulgens
Austriades, tali compellat voce cohortes:
O pubes lecta, o magni genitoris alumni,
O fortes pugnate viri, nunc denique tempus
Eoas Christi vexilla extendere in oras.
Sic fatus, magnum confestim fervidus ensem
Vibrat utraque manu, & medios prorumpit in hostes.
Quem primum, quem postremum, fortissime Princeps
Sternis? & æquoreis miseros quot mergis in undis?
Ipse tibi ante pedes ingentem stragis acervum
Constituis: te sævus Halys, te Thracia classis
Horret, & adversum, dum das tot corpora letho,
Advenisse putant Hæmi de culmine Martem.
Quæ dum Threicius miratur funera Ductor,
Nec videt Hispano jam posse obstare furori,
Seque suamque ratem, innumeras resonante carinas
Voce vocat: vocat & Geticas clamore phalanges
Ingenti, atque ducum tot millia cogit in unum.
Scilicet ut lætam successu, & Marte secundo
Hispanam expugnet geminato robore puppim.
Primus ut insidias solers cognoverat: ergo
Nos erimus segnes ad bella? Venerius inquit;

Et

Et simul in Geticum jam puppes verterat agmen;
Hunc super accurrêre equites, equitumq; magister
Quos Melite insignis misit, venitque Columna
Intrepidus magnæ nitidissima gloria Romæ,
Corneaque, & ferro Ursini facibusque corusci,
Non mihi centenas tribuant si numina linguas,
Oraque Nestoreo sint nostra imbuta lepore,
Tot pugnas, sævasque neces, tot vulnera possim
Dicere, tot valeam laceras numerare triremes.
Viderat Ismarium de puppe Venerius Acin,
Qui doctis carus Musis, falsique sacerdos
Maumethis, magna Maumethen voce vocabat.
Protinus ecce senex ardentem lampada torquet
Incauti in faciem, illius diadema reluxit
Linigerum; accurrunt socii, properantque voracem
Undanti lympha, manibusque extinguere pestem:
Non tamen hæc prosunt, miseri quin flamma rubentem
Consumat vultum, & totos descendat in artus.
Inde alias, aliasque faces jacit impiger: illæ
Consumunt tabulas, ratibusque hostilibus hærent,
Dumque viri trepidant intus, Vulcaniaque omnes
Militiæ obliti certatim incendia vitant,
Cum ratibus mediis subito exponuntur in undis;
Extemplo his actis, æratam corripit hastam,
Datque neci hostiles turmas agitatque cadentes
Per mare, & ingenti redeuntes cuspide pellit.
Parte aliâ clypeo fulgens, atque ense Columna.
Magnanimusque Ursinus adest, Thracumq; vicissim
Innumera æterno demittunt corpora somno.
Portunique ratem, Getico qui milite, nuper
Sperabat magnæ properare ad mœnia Romæ,
Cum domibusque Dei sacrata evertere templa,
Invadunt, ille Ausoniæ tot robora gentis
Adspiciens, pugnæ inceptæ, oblitusque pudoris,
Dat terga atque suam Ducibus dat habere carinam;
Et jam Bæticolûm valida comitante catervâ
Austriades, Thracum primos, primamque triremem,
Atque ipsum superarat Halyn: furit impete vasto
Hispa-

Hiſpanûm generoſa cohors; lacerantque, cremantq;
Undique, & hoſtilis ſpoliatur remige puppis.
Cum fractos cernens ſocios, ereptaque ſigna
Mœſtus Halys, manibus fulgentia proicit arma,
Et tali Auſtriaden compellat voce ruentem.
Per fortunatas invicti Cæſaris umbras,
Per te, per magni felicia fata Philippi,
Me ſaltem æthereâ captivum veſcier aurâ
Magne ſine: ingentes ſulcant mihi cærula puppes,
Eſt Thracum mihi magna phalanx, ſunt divitis auri
Pondera: tu ſpoliis tantis prædaque potitus
Omnia ſolus habes; Auſtriades cui talia reddit:
Non auri me ſacra fames, non denique præda
Impulit, ut Geticas delerem Marte catervas,
Sed Chriſti me vera fides, quam perfide tantum
Perſequeris; morere infelix; & talia fatus,
Cum galea infidum valido caput amputat ictu,
Illud & arrecta geſtandum fixit in haſtâ.
Atque ea dum noſtris felici Marte geruntur,
Marte potens, pelago aſſuetus, patienſque laborum
Occhialides, flammis, ferroque, & glande ruenti
Auſonidum armatas penitus, lectaſque triremes
Straverat, atque viros lucis ſpoliaverat aurâ;
Et Liguris niſi dextra Ducis, præclaraque virtus
Obſtaſſet fortique viro, atque immania cœpta
Turbaſſet; nunc læta minus, nobiſque profecto
Eſſet cum multo Victoria parta cruore.
Hoſtibus ille igitur cædes ac damna rependit
Glandibus, igne, manu, ſaxis, ferroque rigenti;
Occhialidiſque ratem ſaltu petit, atque trucidat
Turcarum proceres multos, & turbinis inſtar
Fulmineus, gladio nunc hos, nunc excipit illos;
Atque metu trepido multos petere æquoris undas
Cogit, & infirmis pontum tranare lacertis.
Cum tandem Thracum media inter funera vidit
Occhialides ardens, illumque affarier orſus.
Non Ligurum calcas puppes non Itala cernis
Agmina, ſed medium cingunt hoſtilia tela,
Hoſti-

Hostilesque Duces; ergo spolia ista relinques
Atque animam, & nostris moriens addere triumphis.
Dixerat, & celerem magno stridore sagittam
Curvato cornu subito contorquet; at auræ
Excipiunt vulnus, ductor nulla Aurius olli
Dicta refert; magnis sed vibrans protinus ensem
Viribus adversum properat furibundus in hostem.
Extemplo gladium præceps fugit ille cruentum,
Inque aliam ex aliâ sese jacit ipse triremem;
Horaturque suos, validos impellite remos.
O socii; properate fugam, mihi terga flagello
Mars quatit & nostris jam non favet amplius actis.
Talia cui Ligurum Ductor responsa remittit.
Quo fugis Occhialide? meritum ne linque triumphum.
En adsum, spolia ista habeas: nihil ille, sed æquor
Verrit, & obscuras quæritque, optatque latebras;
Et fugiens socios duro in certamine linquit,
Et miseras audit voces, gemitusque cadentum.
Sic Thracum classe absumptâ; Ducibusque fugatis,
Et cæsis, nostris favit Victoria votis.
Ductores spoliis, & præda divite læti
Hesperii, multis complent clamoribus auras
Certatim, & caris dum multum amplexibus hærent,
Lætitiæ dant signa novæ, & dum singula lustrant,
Armaque, flexibilesque arcus, pictasque pharetras,
Tormenta, ereptas puppes, ereptaque signa,
Seminecesq; Duces; & dum quamplurima Thracum
Corpora cæsa vident, & millia captivorum
Innumera; expleri nequeunt, gratesque Tonanti
Et Superis reddunt, onerantque altaria donis.
At nobis, qui Turcarum fera vincula passi,
Christicolis, veteres solvunt, adimuntque catenas,
Quid dicam Eurydama? cunctis quamplurima pectus
Gaudia pertentant, atque hæc majora fuissent;
Ni Barbadicus longo deflendus in ævo
Turbasset lætas inopino funere mentes.
Ille etenim hostiles superat dum Marte triremes,
Threicio periit lumen confossus ab arcu.

O de-

O decus eximium Patriæ, lumenque tuorum,
Marte ſenex celeber, celeber præſtantibus actis;
En te pro meritis alti plaga lucida cœli
Suſcipit, & variis cingunt tibi tempora ſertis
Ætherei proceres, en nos lacrimas, gemituſque
Fundimus, atque tuo geminamus dona ſepulchro.
Tempus & illud erit, Pario cum marmore, & auro
Excelsum ſimulachrum ingens, patria optima ponat,
Teque ſui, & Latii, liberatiſque parentem,
Dicat, & æternis mandet tua nomina chartis.
Euryd. Sic Thracum infauſtas Idmon cariſſime pugnas,
Sic & Chriſticolum narras felicia facta:
Noctibus ut tecum totis, tecumque diebus
Eſſe velim, & tantos perſæpe audire labores.
Sed vos o ſocii, poſtquam Deus ipſe ferocem
Contudit, & noſtris pepulit de finibus hoſtem;
Adſitis precor unanimes, & templa petamus,
Votaque thuricremas illi ſolvamus ad aras.

Elogium.

Intermiſſa diu curis, trepidoque pavore,
  Dum timet Iſmarias Itala terra manus;
Huc ades, aſpiraque mihi, Pæanaque lætum,
  Atque novum carmen nunc mea Muſa cane:
Sed ridens, hilariſque veni: nunc indue pallam
  Candentem; auratam nunc age ſume lyram.
Vos quoque qui celſo ſuſpenſum in ſtipite Regem,
  Atque unum colitis tergeminumque Deum,
Ecquis erit ſacras qui non procumbat ad aras,
  Ingerat & ſacris thura cremenda focis?
Spargite odoratos flores, atque urite meſſes,
  Quas Arabum e terrâ divite nauta vehit:
Atque viri, atque ſenes, pueri, innuptæque puellæ,
  Fundite cum multâ munera caſta prece.
Ille ferox, Getici nuper ſpes magna Tyranni,
  Auſoniæ populis qui modo terror erat,

Qui

Qui modo felices populatus mœnia Cypri,
Et rura, atque urbes divitis Illyrii,
Exul, inops, classe amissâ, & rerum omnium egenus.
En perrit telis Barbarus, Hesperiis.
Captivos viditque suos, captivaque tela;
Suspensa & sacris parta trophæa tholis.
Vos quorum nobis Victoria parta cruore est,
Et simul est longo tempore parta quies;
Seu vestra in gremio tellus complectitur ossa,
Seu tumuli vice vos æquora lata tegunt;
Panchæos vobis tellus submittat odores,
Floribus & semper pullulet urna novis:
Et magni Nymphæ proles pulcherrima Nerei
Excipiant placido molliter ossa sinu.
Nos vacuum vobis tumulum, exequiasque paramus,
Manibus & gratas solvimus inferias.
Cernitis illustres animæ solennia dona?
Auditis querulis verba iterata modis?
En vobis castus geminat pia verba Sacerdos,
Spargit aquam, & tumulo thura Sabæa cremat:
Ecce rogat requiem: Manes salvete beati,
Salve o Pieriis turba canenda choris.
Vobis pro meritis, animæ, jam patria cœlum est,
Et vestro data sunt astra terenda pedi.
At legio hostilis damnata in nocte profundâ,
Obscœna æterno crimina in igne luit:
Quam semper terno latratu territat ingens
Cerberus, æratas dum jacet ante fores.
Atque feros diris crines fœcunda colubris
Tisiphone, assiduo verbere terga secat.
Sed vobis, quos incolumes Victoria felix
Servat, & illæsos vivere fata volunt;
Quas agedum laudes, quos decernemus honores?
Et quis laudato vos satis ore canat?
Magnificus vobis debetur jure triumphus:
Nunc aperi pompas euge, triumphe, tuas.
Auratum, Heroës magni, conscendite currum,
Et victrix circum tempora Laurus eat.

Qui-

Quique vehunt ipsis efflantes naribus ignes,
  Compita per, nivei conspiciantur equi.
Et post devictæ veniant longo ordine gentes,
  Vectetur mediâ Barbara præda viâ;
Armaque, flexibilesque arcus, pictæque pharetræ,
  Telaque Threiciâ non jacienda manu.
Inde etiam ereptas puppes, ereptaque signa,
  Et pugnam ostendat picta tabella novam.
Nam Thrax, ut sensit Venetum adventare Leonem
  Vidit & Hispani signa tremenda Ducis;
Adventu infelix subito perterritus hostis,
  Optabat celeri terga dedisse fugæ.
Non tulit hoc Heros magni clarissima proles
  Cæsaris, Austriadum lumen, & Hesperiæ:
Sed classem curvum subito lunavit in arcum,
  Barbaricasque adiit Marte favente rates.
Quis fragor auditus? quantos tormenta boatus
  Ærea, quæque cavæ signa dedere tubæ?
Territus ipse pater sonitu Neptunus, aquarum
  Ima adiit, clausis delituitque locis:
Et pressit Thetys pavidas ad pectora Nymphas,
  Ipsaque monstra alti contremuere maris.
Et jam sanguineis emanat fontibus æquor,
  Turcarumque super corpora trunca natant;
Cum laceras cernens puppes, fractasque cohortes,
  Dux Geticus meritæ dat sua colla neci.
Hæc vos pompa manet; quam vulgus pone sequetur.
  Et magnâ euge io voce triumphe canet.
Parte alia egregii vates pia carmina condent,
  Pastorem tollent & super astra Pium.
Pastor jò, bone Pastor jò tu caussa fugati
  Hostis, & hostilis tu quoque caussa necis.
Christicolas tu pace ligas; tu fœdera jungis,
  Vertis & in sævos bella tremenda Getas.
Nec deerunt qui perpetuis mandare libellis
  Incipiant Venetum nomina clara Patrum.
Tu bello insignis, tu florens pace senatus;
  Tu verum Ausoniæ, Christicolûmque decus.

Interea dum fata vocant, fortunaque vobis
  Adſpirat; celeri bella novate manu.
Quæque mala immitis noſtris ingeſſerat oris
  Hoſtis, in illius ſint graviora caput.

Hieronyma Columna.

Pectora cum miror, latamque, Hieronyma, frontem,
  Et quod ebur roſeo candet in ore tibi:
Adde his purpureaſque genas, flavoſque capillos,
  Collaque Riphæa non minus alba nive:
Et cum ſidereis multos transfigis ocellis,
  Hoſque eadem caſtis moribus excrucias:
Cumque per immenſi ſpatiaris ſidera cœli,
  Quidque ferant, fati proſpicis ante diem:
Te nunc Uranien, te nunc ego dicere Phœben
  Cogor, & Idaliam te reor eſſe Deam.

Ad Cupidinem.

Ecce mihi adducto renovat fera vulnera cornu;
  Ecce nova indicit prœlia ſævus Amor.
Deſine magne precor miſerum cruciare Cupido,
  Sic faculas ſemper certaque tela geras.
Non me, Dive, modo nectis metuende tenaci
  Compede, nec nuper ſum tibi præda recens:
Sed tenerâ incautum domuiſti ætate, tulique
  Heu heu ſub laqueis plurima damna tuis.
Adſpice quàm veteri flagrent mihi viſcera flamma,
  Adſpice ut antiquo vulnere pectus hiet.
Maxima magnanimo victori eſt gloria, victis
  Parcere, captivis parce benigne tuis.
Quod ſi tantus amor laudis, ſi poſtibus optas
  Figere victrici parta trophæa manu:
Quin tu quin potius crudeli armatus Hyellæ,
  Quæ tua non ſenſit ſpicula, bella moves?
Illa quidem cunctis formâ prælata puellis
  Dives opum, & Thuſcam tangere docta lyram:

Durior at pelagi ſcopulis, tua Numina temnit
Impia, nec lacrimas curat iniqua meas.
Ergo age rumpe moras, pœnaſque ulciſcere noſtras,
Teque ſimul: torvæ retia tende feræ.
Magnificum pariet victori hæc præda triumphum;
Creſcet & hinc titulis gloria ſumma tuis.
Victa tibi ſolido ſtatuet de marmore templum,
Sublime; auratâ te trabe finget ebur.
Illuc Nympharum veniet pulcherrima turba,
Ad numerum rapidos docta movere pedes.
Nuptarumque chorus pariter, juvenumque caterva,
Uret odoratis thura Sabæa focis.
Te citharæ arguto celebrabunt carmine vates,
Atque dabit Phrygios tibia grata modos.
Ipſe tuos etiam plectro teſtatus honores,
Effundam longum voce, manuque melos.
Nam referam ut magno quondam confuſa tumultu
Dividis antiquo femina prima Chao.
Te duce concordi remeat modulamine cœlum,
Atque nitent fauſtis ſidera luminibus.
Te propter floret tellus, te propter & arbor
Germinat, ac fruges parturit almus ager,
Tu pictas mulces volucres, mulceſque natantes,
Squamiferoſque angues, horribileſque feras.
Tu genus humanum reparas; & te ſine matris
Naturæ immenſum jam periiſſet opus.
Ille idem ſumma es Divûmque hominumque voluptas,
Ille idem ſummus Divum hominumque timor:
Sæpe tuo omnipotens transfixus Juppiter arcu,
Depoſuit rutilâ tela triſulca manu.
Igne tuo mediis ardet Neptunus in undis;
Ardent & fluviûm Numina cornigerûm.
Quin etiam ſævi dirus moderator Averni
Expertus vires, maxime Dive, tuas.
Teſtis formoſas inter Proſerpina Nymphas,
Formoſa ac matris unica cura ſuæ.
Illa quidem Siculis miſeranda errabat in agris.
Texerat ut flavæ florida ſerta comæ.

Casta soror Phœbi comes it, innuptaque Pallas,
Consciaque instantis Cypria pulchra doli.
Cum subito (horrendum visu) concussa remugit,
Sub pede, dum pariter scissa dehiscit, humus.
Ille aderat, sceptrumque gerens immane ruebat,
Terribilis vultu terribilisque comâ.
Quadrupedes sævos emittunt naribus ignes,
Diraque flammantis lux micat ex oculis.
Ac veluti pedibus præceps Jovis ales aduncis
Ima petens, cycnum corripit, aut leporem.
Sic ille: intentam calathis, floresque legentem
E supero ventis ocyor orbe rapit;
Impositamque tenet curru; nec verba puellæ
Tristia, nec comitum jurgia crebra movent.
Mater jo, conclamat, jo succurre relictæ,
Mater jo, æternas deferor in tenebras.
Illa querebatur, sed præda divite lætus
Patruus ardentes acrius urget equos.
Tene ille indomitus, ille implacabilis, acer,
Qui numquam precibus flectitur, aut lacrimis,
Cui Furiæ ac Phlegethon famulus, cui maxima regnum
Tartara, cui triplici Janitor ore canis.
Tene, Amor, ille colit? propriosq; Hymenæon ad ignes
Convocat, atque humilis sub tua jura venit?
Salve magne puer, qui Divo antiquior omni,
Ac rerum genitor, quicquid in orbe domas.
Salve iterum, atque tuas populus dum pronus ad aras
Thura adolet, felix ad tua sacra veni.
Hæc ego, tu gelidæ jam tandem accende puellæ
Pectora: me flammis parcius ure tuis.

Ad Barbaram Callinam.

Quæris cur taceam? cur febribus urar anhelis?
Cur miseranda notet pallidus ora color?
Sidere non istos lævo mihi Sirius ignes
Attulit: ipsa mei caussa puella mali est.

Ut taceam quæ longa dedi ſuſpiria quondam,
  Si quando eſt precibus aſpera viſa meis;
Nunc heu nunc latos ſine me migravit in agros,
  Deliciaſque meas durus arator habet.
Illic nuuc gratas agitat Charis alma choreas,
  Illic nunc cautus retia tendit Amor.
At mihi perpetui gemitus, lacrimæque ſuperſunt,
  Eſt & nox ſemper triſtis, amara dies.
Atque novus medicis quamvis Epidaurius herbis
  Pœoniæ ſolers afferat artis opem,
Non datur amiſſam miſero ſperare ſalutem,
  Qua redeat feſſi corporis ille vigor.
Sic quicquid de me nuper ſperare licebat,
  Auferet inviſi funeris atra dies.
Quæque mihi cœptis fuerant ſuſcepta Camœnis,
  Omnia ſunt rapidis diripienda Notis.
Non ego nunc rerum conabor dicere cauſſas,
  Aut memorare meis prœlia carminibus.
Ipſe tuas tantum percurrens Barbara laudes,
  Tentabam plectro nobiliore lyram.
Nam quis te famâ præclaro e ſanguine natam
  Neſciat, atque animi tot bona rara tui?
Illa es quæ ſexum vincis, veſtigia cujus
  Componunt Charites, ſubſequiturque Pudor.
Maxima cui Pallas mater, Prudentia nutrix,
  Cujus & in labris mellificavit apis:
Quam propter redeunt vates, Muſæque reſurgunt,
  Ferrea quas tenebris ſæcula condiderant.
Hæc ego, cum ſineret fatum, memorare parabam.
  Heu heu quam celeri ſors mea pulſa rota eſt!
Nunc mea Calliope quod cœperat, interrumpit
  Quæ mihi mors rapidas iniicit atra manus.
Jam video infernos manes, noctemque profundam,
  Me tenet & Stygii concava cymba ſenis.
Proh Superi, luſtris rapiar vix quinque peractis,
  Atque erit ætatis tam brevis hora meæ?
Sic flos vix natus pedibus calcatur euntis,
  Sic avido implumes angue vorantur aves.

Attamen & lætor, nam si mihi Parca minatur;
  Finiet & pœnas Parca benigna meas.
Ac (si curæ homines optata in morte relinquunt)
  Tunc mecum insanus tunc morietur amor.
Quod si me audieris gelidum liquisse cadaver,
  Contigeritque urnam forte videre meam:
O decus, o nostri nitidissima gloria sæcli,
  Diva precor celeres Barbara siste rotas:
Talibus & nostros mærens testare dolores,
  Atropos huic rupit stamina, jussit amor.

Ad Lucrinam Nympham.

Inclita Nereidum, Superis æquanda propago
  Lucrina, Hadriaci gloria prima chori;
Quæ lac atque rosas, vincis candore rubenti;
  Nigra oculos, flavis conspicienda comis:
En tibi seu Phrygio spectanda incedis amictu,
  Sive salis, gracili sub pede gestit humus.
Si rides, rident Charites, si Nympha loquaris,
  Manant ex labris dulcia mella tuis.
Tu modo jam facilis pulcherrima Neptunine,
  Ne videare mihi rustica, pande fores.
Quæris cur facias? ingens tibi fama paratur;
  Præcipuum in nostro carmine Numen eris.
Talia jactabam surdas malesanus ad aures:
  Ad loculos lumen rettulit illa meos:
Quos auri optato ut vidit sine pondere laxos,
  Fugit ut instanti territa cerva cane.
Quid mihi nunc prosunt Musæ? quid magnus Apollo?
  Ah pereant versus, deficiantque lyræ.
At tibi quæ pretium venali poscis amori
  Improba, vanescant quas male quæris opes.
Cumque tibi rugas inducet cana senectus,
  Insultet damnis femina, virque tuis.

Ad

Ad Jacobum Aquaneum Patricium Brixianum.

Bacchus adeſt Jacobe: cadis vindemia plenis
  Effluit, agreſtes Orgia læta canunt.
Te nunc cinge hedera, nunc patri indulge Lyæo:
  Sæpe graves etiam vina jocoſa decent.
Dicitur & priſci virtus ſpectata Catonis
  Sæpius annoſo concaluiſſe mero.
Euge jo, pater alme Evan, quam carmina noſtra
  Quam cupiunt laudes Dive referre tuas?
Tu laſſis requiem præſtas, tu multa dolenti
  Bacche, potes curas attenuare graves.
Dum tecum Cadmus variis erraret in oris,
  Dicitur oblongæ non meminiſſe viæ.
Te duce & Æneas vaſtum maris æquor aravit,
  Nec ſubiit patrii flenda ruina ſoli.
Ipſe etiam rapior: jam ſacro tecta furore
  Mens mihi, jam nimio pectora mota Deo.
Nunc libet & patriam, & patriæ primordia noſtræ
  Ordiri, & gravibus bella tonare modis.
Magnus ut Alcides fauſtis ducentibus aſtris,
  Mœnia felici ſtruxerit iſta manu.
Pro patria extinctos cives, fortiſſima corda,
  Cum rueret noſtrum Gallus in exitium.
Et placet auratæ miracula dicere flammæ,
  Qua nos & ſoles pellimus, & pluvias.
Deliciaſque agri multas, & maxima aquarum
  Commoda, Niliacis invidioſa vadis.
Euge Evan, Jacobe, Evan celebretur ovanti
  Carmine; ſed tecum Bloſius ipſe canat.
Adſit & ingenti tecum devictus amore
  Theanus, Aonii maxima cura chori.
Muſa quidem exornat vates, & magnus Apollo
  Pocula Pieriæ multa miniſtrat aquæ.
Sed quod ſcribenti non præſtat Caſtalis unda,
  Hoc Bromii patris pocula ſufficiunt.

Ad Cupidinem.

Hanc pharetram fulgentem auro, Lyciisque ſagittis
Inſignem, has ſacro, munera grata, faces.
Tu modo formoſam deduc a rure puellam,
Atque tibi atque urbi redde, Cupido, decus.
Te duce me nitidis pectus transfixit ocellis,
Te duce me flavis nexuit illa comis.
Tunc jucunda meæ ſpondebas tempora vitæ,
Qualia adhuc ullus non habuiſſet amans.
Perque tuam nobis jurabas improbe matrem,
Per tela atque arcus inſidioſe tuos;
Te mihi perpetuis vincturum Phyllida nodis,
Solamenque mihi præſidiumque fore.
Heus ubi pacta fides? quis jam tibi perfide credat?
Nunc ubi digna meæ præmia militiæ?
Phyllis abeſt, aberitque diu, turbâque procorum
Non curat pœnas ſollicitata meas.
Forſitan & miſeri ſordet grave nomen amantis,
Inque vicem primi carior alter adeſt.
Sic eſt: hoc ſemper languenti triſtia narrant
Somnia: ſic dudum rumor acerbus ait.
Ah levior foliis, ah verna incertior aurâ
Femina, amatori perniciosa tuo.
Quid de te infelix primum quærat? arma ſuperſunt
Arma volo, ultricem Mars precor adde manum.
Mars precor adde manum, mihi nunc crudelis Erynny
Suggerat infernas ſanguinolenta faces.
Nunc caput ære cavo, duplici nunc tegmine pectus,
Nunc & crura ocreis induor, enſe latus,
Jam fora, jam leges, genitor, ſociique valete,
Rura peto hæc noſtris meta terenda rotis.
Sed quid ego hæc jacto? triſtes diſcedite curæ,
Auguror, & certum eſt, me mea Phyllis amat.
Illa quidem [& memini] cum jam diſcedere vellet,
Illacrimans tales edidit ore ſonos.

Hinc,

Hinc, Nocturne, trahor; si dent modo numina vitam
  Ut tua nunc abeo, sic tua semper ero.
Atque utinam fidus maneas: ac plura parabat
  Dicere, sed vetuit dicere plura dolor.
Illa autem, seu fida mihi, seu perfida peccet;
  Non hac me fateor posse carere diu.
Quare o magne puer, dominæ dulcissima verba
  Auribus, atque oculis lumina redde meis.
Tunc te Panchæo supplex venerabor odore,
  Percutiamque sacra culmina culta chely.
Nocturno dat Amor reducem spectare puellam:
  Hic caussam vitæ reddidit, ille lyram.

Ad Glyceren.

Jam nova jam Zephyri spirat genitabilis aura,
  Canaque jam tepido Sole pruina liquet;
Arboribusque comæ redeunt, ac gramine lætus
  Ridet ager, nidum sedula ponit avis.
Agricolæ flammas, stabulumque armenta relinquunt;
  Mænaliis gaudet pastor arundinibus.
Cypria Nympharum grata comitata cohorte,
  Incipit Idalios ducere nuda choros.
Juppiter intonuit ter cœli in parte sereni:
  Ad sua nam melius furta redire potest.
Regnat Amor, vincitque feras, vincitque volantes.
  Nereaque, & nigri tertia regna Jovis.
At tu cui propriam, Glycere, Venus aurea formam,
  Cui tot largitur munera culta Charis,
Cuique & montanâ multo mage pectora caute
  Sunt rigida, & Geticâ frigidiore nive,
Tormentis juvenum gaudes, lacrimasque precantum
  Temnis, & igniferi tela, facesque Dei.
Sed tibi cum senium frontis, capitisque decorem
  Dempserit, & nitidis sidera clara oculis,
Ac neque blanditias dicet, nec fidus amator
  Dona, nec ad postes florida serta feret:

Fle-

Flebis, & ingratam cupies fruſtrata juventam:
Lapſa ſed heu Glycere tempora non redeunt.

Ad Bacchum.

Euge jo, quo nam rapior? quo concitor œſtro?
Quæ rabies pectus, quis quatit oſſa furor?
Cur lux pulvereâ fuſcatur candida nube?
Cur mihi labenti ſub pede terra tremit?
Bacchus adeſt flavos fuſus per colla capillos,
Atque hederâ innexus cornua Bacchus adeſt.
Evohe, noſco Dei currum, celereſque jugales,
Ac comites Nymphas, capripedeſque Deos.
Evohe, Sileni video ſenioris aſellum,
Quem juxta armatus falce Priapus ovat.
Baſſarides tremulis complent ululatibus æthram.
Tympanaque, & buxus, æraque rauca ſonant.
Salve io, Bromie, Nyſæe, Lyæe, Thyoneu,
Liber, Jacche, Evan, Euhye, Thyrſigere.
Quo me cumque vocas, ſive ad bacchata Lacænis
Ardua Taygeti culmina virginibus,
Seu tecum Rhodopen, ſeu vis me viſere Naxon,
Seu trahis ad Thebas imperioſe tuas.
Evohe, jam propero, da cymbala, da mihi thyrſum;
Evohe, pampineâ fronde retexe comas.
Dive fave, auctorem veneror te carminis, o jam
Jam valeat Phœbus, Caſtaliuſque liquor.
Te dicam ex utero raptum genetricis aduſtæ,
Femine quem geſſit Juppiter ipſe ſuo.
Qui teneras terræ docuiſti credere vites,
Ut fluerent dulci dolia plena mero.
Qui potes humanos ſolus lenire dolores,
Qui rigidos flectis ſacrilegoſque domas,
Tu fuſcos ſuperas Indos, mactaſque Lycurgum,
Afficis & merito Penthea ſupplicio.
Cumque patri inferrent fortes fera bella Gigantes,
Straviſti Rhœtum fortior ipſe trucem.
Addam Cretææ præclarum conjugis aſtrum,
Quæ fulget medio conſpicienda polo.

Sed

Sed jam parce pater, non tales nostra furores
  Mens potis, aut stimulos sustinuisse tuos.
Aptior ipse levis pueri cantare sagittas,
  Ut myrto cingat tempora grata Venus.
Quod si, Dive, tuo calefactum corda liquore
  Evantum rapidis inseris agminibus.
En adsum, o semper nobis venerande, tuoque
  Munere, da curas Bacche fugare graves.
Da precor, ac nimios extingue Cupidinis ignes,
  Atque mihi antiquo subtrahe colla jugo.

Ad violas a Puella missas.

Formose o violæ, munus Violanthidis almæ;
  Servitii violæ præmia grata mei.
Num vos Idaliis aluit vaga Chloris in hortis,
  Unguibus & carpsit Cypria pulchra suis?
Panchæas grato messes superatis odore:
  Sed mihi vos nimium dat violenta manus.
Dat violenta manus, miseri quæ conscia amantis,
  Munera fert pœnis æquiparanda meis.
Namque ut vos molli vinctas circumdedit auro,
  Me quoque flexilibus nexuit illa comis.
Estis pallentes, infelix palleo: nomen
  Est violæ, dominæ luminibus violor.

De Phyllide.

Ut mihi sidereis placuit mea Phyllis ocellis,
  Protinus e lacero pectore cor rapuit,
Tunc igitur dubitans an vecors vivere possem,
  A dominâ ablatum poscere cor statui.
Dum posco, en nitidæ nimio fulgore puellæ
  Victa, repente oculis lux mihi dempta fuit.
Risit, & intexens laqueum de crinibus aureis,
  Me sibi captivum nexuit acer Amor,
Hinc semper sine corde miser, sine lumine vixi.
  Languidula assiduo colla premente jugo.

Heu

Heu sors infelix, status o miserandus amantum,
Qui quo plus quærunt se, minus inveniunt!

Ad Flores.

O mihi dilecti flores, quos tempore fausto
Tradiderat niveâ casta puella manu,
Vos equidem colui: sed nec grata oscula junxi,
Nec me rorantes dante bibistis aquas.
At postquam hanc sævi dira inclementia fati
Ante diem sedes misit ad Elysias.
Heu quid agam? sine corde miser, sine luce relictus
Vobiscum saltem pignora grata loquar.
Et nunc o flores stellis felicibus orti,
(Este vagi) vobis grata alimenta fero.
Fundo oculis lacrymas, suspiria pectore, numquam
Aura, vel effusis deficit imber aquis.
Vos modo vos saltem miseri solamen amantis,
Æternum extinctâ vivite pro dominâ.

Ad Venerem.

Has tibi candentes pasco, Cytherea, columbas;
Parva quidem, at multis munera cum lacrimis.
Tu, Dea si miseret, nimiæ placidissima flammæ
Affer opem, & laqueis sis precor æqua meis.
Nam nova sidereis miserum inflammavit ocellis,
Nexuit & flavis pulchra puella comis.
Huc ades, & nostris faveas mitissima votis,
Sic te perpetuo diva Gradivus amet.
Jam veniat nostros felix Hymenæus ad ignes,
Et Charis; & pura Pax comitata Fide.
Tunc tibi Panchæas uram pulcherrima messes,
Inscribamque aris carmina nostra tuis:
Nocturno optatam junxit Venus alma puellam.
Ille piæ solvit debita vota Deæ.

Ad Europen, puellam Hebraam.

Europe, non te ſimulati fronte juvenci
  Æthereus ludit, diva puella, pater.
Sed tibi, ſe quantum Semele tulit ipſe videndum
  Præbet, & ardenti captus amore venit.
Ipſa etenim Charitum longe pulcherrima cantu
  Inclita, & Etruſcam tangere docta lyram;
Non tantum ſiliceſque moves, ac flumina ſiſtis,
  Sed ſumma intentos extrahis arce Deos.
O felix quæ te tellus habet! at mage felix
  Cui fortunatâ te face jungit Hymen!

Ad Cupidinem.

Accipe, magne puer Veneris, redolentia dona,
  Quæ felix terrâ divite miſit Arabs:
Tu mihi difficilem mitis lenire puellam
  Cœpiſti, & longis gaudia ferre malis.
Nunc ego ſponte tuis ſubmitto colla catenis;
  Sponte tibi captus, ſponte triumphus ero.
Et quæcumque meæ dictabunt carmina Muſæ,
  Illa canent laudes, maxime Dive, tuas.
Tu ſæpe auratis illam transfige ſagittis;
  Mutuus ut longo tempore duret amor.

In nuptiis Simonis Angeli Suſpirii Academici Occulti, & Juliæ Gemmæ.

Julia Adumbrato nupſit pulcherrima noſtro.
  Huc age fer fauſtas diva Erycina faces.
Tam bene Gemma nitens flaventi innectitur auro:
  Tam bene cum rutilo marmore fulget ebur.
Naſcatur proles, docti quæ more parentis
  Temperet Etruſcâ carmina culta chely:
Amborum & caſtis urantur pectora flammis;
  Tunc quoque, cum fuerint illa anus, ille ſenex.

In funere Lauræ puellæ, amator ad tumulum conqueritur.

Hic mea procubuit Laurus, quam lumine diro
  Arſere æſtivi ſidera læva canis.
Lugete Aonides, Dryades lugete ſorores,
  Et cineres Arabo ſpargite rore pios.
Sol qui Daphneo gemuiſti accenſus amore,
  Heu quanto melior ſors tua ſorte meâ eſt!
Daphnen amittis, ſurgit pulcherrima Laurus.
  Laurus noſtra cadit, noſtra puella jacet.
Laura jacet, nec quæ niveâ cervice fluebant
  Illius auratas jam movet aura comas.
Sola humus hæc rapto potitur; mea gaudia claudis
  Impia; delicias abſtulit iſta meas
Redde meam, mihi ſæve lapis, mihi redde puellam;
  Improbe, quid lacrimis immaduiſſe juvat?
Sed tamen & madeas, & noſtros accipe queſtus,
  Cumque his, & nardum, donaque veris habe.
At tu quæ felix cœleſti in ſede vireſcis
  Pulchrior, æternum Laura beata vale.
Laura vale: at mecum ſemper ploratus & aura,
  Anxia ſit, dum cor nutriet aura meum.

AN-

ANTONII TEBALDEI

FERRARIENSIS.

Ad Amorem.

LEx Amor est, sed Amor lex es sine lege, & amore,
Pacis Amor Deus es, sed sine pace puer.
Grandævus puer, & mistus dulcedine amarâ,
Perpetuo vivens, perpetuo moriens.
Es levis, es volucer, sed & in me immobilis ales;
Et nimium constans in levitare tuâ.
Sic possim, o sine lege puer, pax o sine pace,
Vivere perpetuo, perpetuoque mori.

Echo.

Dic Echo, quid vult, ut semper vivam ego mœstus?
Æstus: non facit hoc spes moriens? *oriens*.
Mene urit facies: *acies*, aciesne favilla?
Illa; diu miserum me fore reris? *eris*. (*cor*
Respicit hunc ramum? *hamum*. laurum? *aurum*, & amor
Accensum? *censum*, corde recedet? *edet*.
Est ne silex? *ilex*: quæ caussa meæ est facis? *Acis*.
O rem animo exanimi pestiferam? *æstiferam*.
Quid per tam longum parient mea lumina fletum?
Lethum: scis quid sit, quem tu adamas? *adamas*.

De Cane & Apro.

Gloria uterque sui generis Ligereus Jaspis,
Et Latialis aper pulchrum ineunt facinus.

Ho-

Hostium uterque timor: fatum sibi debitum uterque,
Vinci ut uterque nequit, victor uterque cadit,
Nec victor, sed victus uterque cadit: neque victus.
Vel victor, sed se præstat uterque parem.
Hostis uterque suo laudis plus contulit hosti.
Incipit exequiis vivere uterque suis.

Suæ Veneri.

Cur toties privat, toties spē nutrit amantem
Femina? & instabili semper ab ore rotor?
Pascitur illa meo interitu; cumque ipse revixi
Spe data, & illa illam mox rapit, ut peream.
Sed toties, formosa, mori gratissimum amanti est,
Dum toties revoces spe, quoties pereo.

Ad formosam.

Assidue crescit Veneris decor, atque revisa
Quo magis una mihi est, hoc magis una placet.
Nulla capit mens te, nec te manus exprimet ulla,
Spectanti semper pulchrior una redis.

Suæ Veneri.

Do vitam, qui sum sine vita: quæ sine flamma es,
Das flammas: illo, quod dat, uterque caret.

De M. Ant. Columna, Liviano Superato.

Sic redit Alcides Nemeæo tergore onustus,
Ut Marcus spoliis nunc redit, Ursa, tuis
Natus uterque Deo est, pater huic Mars, Juppiter illi:
Vincit, & hospitibus pacat uterque solum.
Robore, consilioque pares, Deus ille columnas
Erigit: erectas iste onerat spoliis.

Tum. Jo: Pici Mirandulæ.

Joannes jacet hic Mirandula: cetera norunt
Et Tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

De M. Antonio Columna puero.

Hermes, dum loqueris, dum rides, Marce, Cupido es,
Mars es, ubi arma capis; tresque refers Superos.
Mars, Amor, Hermes, prosternis, succendis, inundas,
Hostem, Erycinam, aures, vi, facie, eloquio.

De eodem.

Dicitur statuas duas duobus,
Alteram sapientiori Apollo,
Alteram monuisse fortiori ut
Darent: tempore si fuisset illo
Marcus, perpetuus dolor suorum,
Sui gloria sæculi perennis,
Numquam Pythius imperasset olim,
Ut darent statuas duas duobus.

Ad Lygdam.

Spernit Amor leges; Nox est ignara pudoris.
Nec metuit Bacchus, tres mihi sunt comites.
Lege, pudore, metu careo: in tua limina, Lygda,
Conjurant pariter Nox, Amor, & Bromius.

De filia, patrem servante ante partum.

Servatura patrem, strictis sese ensibus offert,
Jam paritura semel, jam peritura parens.
Infans percussa illæsus forte exit ab alvo,
Fata haud passurus matris inulta suæ.
Ista suum heredem pietas habet: haud peritura est,
Tam bene quæ periit, tam bene quæ peperit.

Non posse se oblivisci suæ Veneris.

Non possem audire, aut possem assimilanda videre,
Unde meo sensim pectore decideres.
Appuleram miser huc, ubi nil, nisi sola pruina est:
Sed quoque sola, tibi quo similetur, habet.
Ipsa es spectanti mihi candida; candida & ista est:
Frigore & ipsa riges; frigore & ista riget.
Frigida sis sed & ipsa licet, tamen uris amantem:
Frigore me semper congelat ista suo.
Ah quoties a te falli perjura volebam,
Ah quoties falso te reor esse meam.
Ambæ estis similes, istam ut reor ipse tenere,
Solvitur, & nostris effluit e digitis.

De misericordia Laidos.

Trux æstu febris patruum torrebat Apollo,
Figebat calamo corda nepotis Amor.
Accessit Lais febremque, & vulnera curat.
Placat & una Deos: sanat & una duos.

Amoris conditio.

Ite per & silvas, horrentiaque antra ferarum,
Quærere & immites in mea fata feras,
Quas etiam mala nostra juvant, nec viscera tandem hæc
Discerpunt, quoniam plus nece vita nocet.

Cæsari.

Gloria vincendi juncta est cum milite Cæsar,
Cæsar, parcendi gloria sola tua est.

De Jo: Aragoniâ Ascanii Columnæ.

Janus origo anni est, Jana est quoque lucis origo:
Pacem, & bella potest iste, vel ista dare,

Cla-

Claviger est alter: nec non gerit altera clavem:
Hic rigidos postes, hæc fera corda aperit.
Ad Superos omnes dat Janus, Jana ad Amorem
Sola aditum, esse etenim quis neget hanc Venerem?
Jure colit Jano nil majus Græcia: Jana
Jure nihil melius Ausonis ora colit.

In Deliam.

Delia ab occasu, Phœbus surgebat ab ortu:
Hesperio nasci rebar ab orbe diem.
Fulgentes ambo, sed Delia clarior, ex quo
Celavit victi numinis ora pudor.
Ille oriens radiis nubes, & luce tenebras
Pellit: & hæc pellit nubila cum tenebris.
Ast ubi subjectas se se ille immersit in undas,
Lux abit, & redeunt nubila cum tenebris.
Ah quam rara dies oritur mihi: nocte ego cæcâ
Involvor, vultus celat ubi illa suos.
Nec tamen invideo, suus orbi ut Sol oriatur,
Dum mea lux claros det mihi sæpe dies.

De Alfonso Avalo.

Avalus Æmiliâ in latâ ripisque Vaterni,
Ingentis belli dum simulacra ciet:
Aureus in medio cursus dum sistit equorum,
Et cuneos totâ cum legione rotat,
Dumque aciem ferro condensam intentat, & hastâ,
Pectora dum ficto vulnere amica premit,
Telorum, strepitusque virum, clangorque tubarum,
Et fera Vulcani monstra per arma tonant:
Excîtus vitreis Deus admiratur ab undis,
Et cecinit juveni talia fata senex.
Cœpisti, unde alii se perfecisse putarunt,
Tu si perficies, non satis orbis erit.

De Constantia Novellariensi, Scalpente dentes.

Suetus erat Constantis Amor transire per ora,
  Ea graviora oculis spargere tela suis:
Suetus erat teneris capere obvius oscula labris,
  Halantisque animæ pascere odore animum:
Cum spinâ ictus, ebur dominæ scalpentis, acutâ,
  Et perfusa sacro murice labra rubent.
Mater (ait) cadet ipsa tuo rosa tincta cruore;
  Hæc accensa meo sanguine semper erunt.

De equis Fed. Gonzagæ Mantuæ Ducis.

Enceladi, Cæique soror, quæ nuntia veri.
  Et falsi, montes traiicis, & maria,
Vis fieri solito velocior? exue pennas,
  Gonzagæque citis utere regis equis.

De Cupidine.

Cur natum cædit Venus? arcum perdidit, arcum
  Nunc quis habet? Tusco Flavia nata solo.
Quî factum? petit hæc: dedit hæc. Nam lumine forma
  Deceptus, matri se dare crediderat.

In Medusæ caput.

Exemptam mediâ de Palladis ægide dicas
  Gorgona, quam parvo claudit in orbe lapis.
Quin & monstrifici perstant miracula vultus;
  Vivit, & innumero palpitat angue caput:
Tam similis non ipsa sibi est: se forsitan olim
  Vidit, & a speculo saxea facta suo est.

In Laocoontis statuam.

Audax ingenium fabri! ut certare Minervæ
  Posset, & impune vincere; sculpsit opus;

Lao-

Laocoonta feris, geminâ cum prole, colubris
Depaſtum, læſæ terna trophæa Deæ.
Ut cum læta ſuos pœnas dare cerneret hoſtes,
Vincere, non vinci crederet arte fabri.

Tumulus Marulli, amne demerſi.

Hic ſitus eſt citharâ celebris gladioque Marullus,
Qui Thuſco, heu facinus, liquit in amne animam:
Neptune, immitis: meruit ſi mergier ille,
Mergier Aonio flumine debuerat.

Epitaph. Laſcaris.

Laſcaris hic, Grajûm ſpecimen: ne crede cadaver
Illius eſſe ſub hoc marmore, ſed ſtatuam.
Altera quippe fuit Niobe: dolor impius illam
Natorum, hunc podagræ tranſtulit in lapidem.

Tum. Herculis Strozæ.

Herculis hic Strozæ tumulus, quem condidit uxor
Mœrens, Taurellæ Barbara gentis honos.
Plus dederit quamvis, non hac Mauſole meretur
Plus tua: fortunâ hæc, non pietate, minor.

Epitaph. Guidi Poſtumi.

Poſtumus hic ſitus eſt: ne dictum hoc nomine credas
In lucem extincto quod patre prodierit.
Mortales neque enim talem genuere parentes:
Calliopea fuit mater, Apollo pater.

Epitaph. Matthiæ Corvini.

Corvini brevis hæc urna eſt: quem magna fatentur
Facta fuiſſe Deum: fata, fuiſſe hominem.

JANI THESEI.

Ad Fastiam.

NOn tibi opus ſpeculo, formoſa o, pulchrior omni
Quum ſpeculo, magnum *Faſtia* ſis ſpeculum.

Eidem.

Panditur & mundi facies, obſcuraque cedunt
Nubila, quum profers *Faſtia* poſte caput.
Clauditur atque atrâ eſt nitidum caligine cœlum,
Tecta refers intra quum tua mox faciem.

De Faſtia.

Splendor, forma, decor, facundia, gratia, virtus,
His una eſt cunctis *Faſtia* nominibus.

De ſeipſo, & Amore.

Sum pius, atque omni careo pietate: ſuperbus,
Atque humilis: pacem, diraque bella peto.
Viribus infringo chalybem; ſunt robore caſſa
Membra mihi: ſpero cunctaque, ſpero nihil.
Dives, inops, hilaris, triſtis, prælargus, avarus:
Et frugi, & nequam: gnarus, & ipſe rudis:
Firmus, & incoſtans: prudens, temerarius: omni
Fidus, cui tuto & fidere nemo poteſt,
Æſtuat, atque horret glaciali frigore pectus:
Sum ſatur, atque crepant ilia laxa fame.

Et

Et vigilo, & ſopor altus habet: ſunt arida acerba
  Ora ſiti, & vacuo pocula plena mero.
Nec verbum proferre queo; vocalior exto
  Stentore: ſum mutus, ſumque cicada loquax:
Nimboſos maneo ventos, & nubila ſupra,
  Et premo declivi corpore pronus humum:
Accedo quocumque libet, cuſtodia dura
  Invitum fœdi carceris uſque tenet.
Luminibus viduus; cerno quid fiat in orbe:
  Omnia poſſideo, poſſideoque nihil:
Plena mihi effuſo rumpuntur & ilia riſu,
  Atque udæ ſordent rore cadente genæ:
Et mortem vitamque opto: Mors diſplicet atra,
  Diſplicet & miſero vivere velle mihi.
Tot ſi aliquis quærat cur volvar fluctibus, inquam,
  Heus eſt [ſi neſcis] cauſſa protervus Amor.

De ſeipſo.

Dives de nummis, de bobus curvus arator,
  Venator ſemper de cane verba facit.
Audax fluctivago de ponto navita, magno
  De mundo, ſtellis Aſtronomuſque vagis.
Intrepidus memorat ſtrages bellator, & arma,
  Upilio ſaltus, flumina, prata, greges.
Aſt ego qui vivo tenero ſubjectus Amori,
  Nil niſi de tenero ſemper amore loquar.

BERNARDINI THOMITANI

PATAVINI.

Ad Elisam.

LEgerat adtritas Britanno e littore conchas
  Tityrus, ut canas luderet inter oves.
Inde cruor subitò est formosa in vellera lapsus;
  Enituit nullo lana cruore magis.
Hac te magna Pales: hac donat filia Nerei:
  Jura dabis terris: æquor Elisa reges.

ANTONII THYLESII

COSENTINI.

Cyclops.

HOc quoq; Achæmenides referas: timor omnis abesto:
Æquora namq; tenet jam classis: fare age Cyclops,
Quos fremitus, miseros solitos quos edere questus;
Lucis inops errat dum cassus lumine, & heros
Exanimis procul alta petens effugit Ulysses.
Nate Dea, Teucrûm decus, & spes certa, fatebor;
Sospite quo numquam Neptunia Pergama flammis
Con-

Confediffe, juvant quando hæc, quæ fæpius haufi
Auribus, expediam dictis; præcordia quamvis
Pulfat adhuc, prohibetque pavor audita profari.
Eft prope fpumantes fluctus fub rupibus Ætnæ
Spelæum fcopulis fuper impendentibus ingens;
Dira domus, fuffixa horrent ubi terga ferarum,
Brachiaque informi dependent fqualida tabo.
Inde ferus, cum vix aperit Sol aureus orbem,
Egreditur pecudes inter, vaftufque recumbit,
Qua falis affiduo pulfu cava faxa refultant.
Hinc procul e denfis latitans ubi conditus umbris
Errabam, tales jactantem voce querelas
Auribus his tacitus fufpenfis fæpe notavi.
Invifum Superis caput hoc cur parcis in undas,
Lethæas undas, tandem demergere? fi qua
Es Dea Trinacriæ, quæ rapta filentibus umbris
Imperitas, memini queftus audiffe parentis,
Armatufque animis ingentibus ilicet ultro
Accurri laturus opem: timor ante fed illum
Abftulerat: volui tibi quam peperiffe falutem,
Hanc mihi ne invideas: age rurfus fiftula carmen.
Aut pater altitonans unum e tot millibus ignem
Fulmineum, tibi quem manus hæc formaverat olim
Incute, ut immani transfixus verbere vitæ
Quod fupereft, reddam: placitaque in morte quiefcam:
Enceladus quondam velut actus turbine vafto,
Mole fub hac flammas fpirat latere uftus & ardet
Secula tot, numquam Jovis ira extincta quiefcit,
Adplorans rurfus dic mecum fiftula carmen.
Jam procul Eois furgens rubicunda tenebras
Difpulit ore nitens rofeo Titonia conjux.
Undique & extinctus ftellarum diffugit orbis;
Mox fuit, clabenfque flagrantibus exit ab undis
Extremas radiis luftrans Sorigneus oras,
Et tremulis fulgore vadi accenditur æquor,
Impellunt animæ quod leniter afpirantes.
Omnia quæ quondam fuerant mihi dulcia vifu.
Quæ nunc perpetuâ pereunt caligine merfa.

Adplorans rurſus dic mecum fiſtula carmen.
Plurima per ſilvas errat vaga turba volucrum,
Nativis depicta coloribus, illa nec uſquam
Conſpicienda fluit celeri per inania lapſu,
Argutis tantum reſonant loca vocibus uſque.
Tuque arguta iterum reſonans dic fiſtula carmen.
O nemus hinc illinc ſurgens ſuper æthera, quondam
Grata quies feſſo, cum ſtratus gramine molli,
Suſpiciens teretes ramos ſuper, impendentes,
Gaudebam viridi ſpecie reſupinus in umbrâ.
Hîc hederæ lambunt molles, hic arbutus antris,
Eminet hic fugiens in cœlum garrula pinus,
Cum levis hirſutas frondes movet aura Favoni.
Garrula tuque etiam dic mecum fiſtula carmen.
Obſtrepit ecce cadens ſaxis manantibus humor,
Et ſalebris offenſa procul reſpondet imago.
Ite ſimul prope me pecudes, ſimul ite capellæ,
Lanigeræ pecudes, hirtæ, ſimæque capellæ.
Paſcite propter aquas: hic mollia pabula campi,
Hic dumoſa viret rupes; ne vis fera venti
Præcipites ſumma ſpeculâ deturbet in undas;
Ne lupus inſidias circum malus inveſtiget.
Ite ſimul prope me pecudes, ſimul ite capellæ,
Tu quoque pelliti cuſtos gregis, ardua, pernix,
Strenua, fida, ſagax, venatrix, effera, pugnax,
Comminus occurrens fures age candida Leuce.
Dulcius hoc iterum repetat mea fiſtula carmen.
Cœruleo ſurgunt rorantes gurgite Nymphæ,
Stellantes nox picta ſinus ubi fuſca recondit.
Quas inter mea cura venit Galatea ſorores.
Hanc numquam vitreis e fluctibus egredientem,
Ceu quondam ſolitus fueram, ſpectare licebit.
Et nunc illa novos caſus miſeratur amantis,
Adſidet & forſan, ſed ſupprimit ore querelas.
Ne mea præſenti laceret præcordia luctu.
Dulcius hoc iterum repetat mea fiſtula carmen.
Jamque procul viſus triſtes agnoſcere voces,
Et gemitus perſæpe meas gravis impulit aures.
Quan-

Quandoquidem unanimes pariter conjunxerat ambos
Fidus amor, preſſitque tenaci compede vinctos.
Ex quo levis adhuc matrem comitatus euntem,
[Namque juvat meminiſſe meos mea fiſtula amores,]
Conſpexi roſeis carpentem lilia palmis;
Et ſtrophio religata comas formoſa nitebat.
Dulcius hoc iterum repetat mea fiſtula carmen.
Tunc primum rudis inſolito jactatus amore
Errabam: memini bis denas condere noctes,
Biſque dies denos ſolis ſub rupibus Ætnæ,
Nec minor, Ætnæis quam rupibus æſtuat ignis,
Gliſcebat tenero ſub corde Cupidinis ignis.
Inſpexi primum liquidis tunc fontibus ora,
Florebat malis cum nondum pulchra juventus,
Luxuriemque comæ fingebam lætus opacam.
Te quoque tunc primum modulans mea fiſtula cantus
Edocui, quibus obſtupuit genus omne ferarum,
Atque evulsa procul radicitus adfuit arbor.
Tum vaga præcipites tenuerunt flumina curſus,
Et mea victa novis concentibus, effera quamvis,
Nata mari quamvis, properans e fluctibus ultro
Adnabat, dolor eſt, hæc & meminiſſe voluptas.
Frigidulam ah, quoties trepidamque amplexus in actâ
Nuſquam amittebam, donec ſuſpenderat altam
Luna facem, & tremulis ſplendeſceret ignibus æther.
Tanta mihi quo nunc ceciderunt gaudia? nec te
Adſpiciam poſthac levibus ſuper æquora plantis
Nereidas inter blandas agitare choreas.
Triſtius extremum reſonet cava fiſtula carmen.
Vivite montivagi Panes, vos vivite Nymphæ,
Ille ego ſum Cyclops Siculæ modulator avenæ,
Paſcere doctus oves, calathoſque intexere junco,
Et canibus luſtrare ſagacibus omnia ſylvæ.
Viribus invictus quondam, quæ cuncta nefandus
Abſtulit æterna rapiens caligine lucem.
Triſtius extremum reſonet cava fiſtula carmen.
Stultus ego: Eurymedes prædixerat omnia vates.
Infelix Cyclops, Ithacus tibi frontis honorem

De-

Demet, Dardaniis veniens rate vectus ab oris.
Quæ, nisi dempta foret mihi mens prius, evitassem.
Venerat, & blando cælans immania vultu,
Insidiis animum rapuit malus ante, dolosi
Tristia dona ferens nimium pretiosa Lyæi.
Nectar erat dulci mihi nectare dulcius Hyblæ,
Et ceu Lethæo dilutum flumine sensus
Eripuit, circum visi concurrere montes;
Et remeare vadis refluentibus Acidis unda:
Tum geminum caput attollens pecus omne, per æquor
Cernere erat passim liquidis colludere campis.
Jamque sopor pressit languentem, sponte nec inde
Territus exilui, cæcaque in nocte volutus,
Cæde madens, ustusque genas, ferus, anxius, amens,
Voce fremens, miser errabam: ruit undique silvis
Turba minax, nec quo se immittat conspicit usquam.
Ille etenim insultans, victorque fugacibus Austris
Vela prius procul hinc dederat levis ales in altum.
Atque ingrata sui monumenta æterna reliquit.
Tristius extremum resonet cava fistula carmen.
O pater, o pelagi regnator, siccine inultum
Me sinis, invisi navem prædonis ad actam
Quin rapis huc nobis perdendam? vulsa videres
Corpora jacta manu, pontoque immersa cruento.
Jamque volant passim correpta cadavera, raptis
Visceribus, rivique fluunt jam sanguinis atri.
Tum capitis diri direptum lumen utrumque
Disiicerem, pœnas lueret, quas repperit ipse,
Suppliciis, quando nihil est his tetrius usquam.
Tristius extremum resonet cava fistula carmen.
Vel tu si qua mei tangit te cura, procellas
Iniice, ut impulsus per saxa furentibus Euris
Frigidus exhalet vitam sine honore sepulchri.
Quod si fata negant, primosque revisere portus
Constituunt, longis durisque laboribus actus,
Da pater, amissis sociis crudelia passus
Hospitia ignotasque pererret naufragus oras.
Quin etiam exhaustis erroribus in sua postquam
Re-

Regna revectus erit, manus impia morte cruentet.
Hæc horrenda fremebat atrox Polyphemus ad undas,
Quæ mea nec posthac quaterent tremefacta pavore
Pectora, tu tandem veniens dux inclite Teucrûm
Eripis, & dira servas a morte receptum.

Galatea.

Quid mecum quereris, vel me magis improba rides,
  Garrula, vocalis, mima, diserta, loquax?
Quæ mihi nulla videris opacis abdita silvis,
  Sed mea dicta refers assona, nulla licet.
Jam satis o Galatea superque jocosa fuisti.
  Ludere quin ludum desinis insolitum?
Quin profers formosa caput, latebrasque relinquis,
  Inque sinu recubantem ambitiosa foves?
Irritas lasciva, meum jecur æstuat ardens:
  Ibo ego per rupes, teque per antra sequar,
Nunquam hodie evades salsas fugiens super undas,
  Fluctibus aut merges lapsa sub æquoreis.
Sed gelida mecum requiesces strata sub umbrâ
  Ilicis ad ripas dulce sonantis aquæ.
Et modo blanda choros agitare virentibus herbis
  Hospes gaudebis inter Hamadryadas:
Dum cava mille sonans numeros mea garrit arundo,
  Ludit & intonsas corniger inter oves.
Quamvis muta silet nunc fistula, buccina postquam
  Tortilis inflexo turbine missa fuit.
Quæ patula illudens hirsuto in pectore pendet
  Pignus, vel nostræ testis amicitiæ.
Congregat una greges sparsos ad septa, fluentis
  Hac quoque deponunt ubera lactis onus.
Adfoveo assidue simul ora, impexaque menta:
  Sola etenim sedat concava testa sitim.
Sæpius & multo sinuosa volumine questus
  Fundit, & umbriferum personat omne nemus.
Ac mihi dum texto calathus concrescit hybisco
  Barbatos tibi sit pascere cura greges.

In-

Interdum pharetrata fugacibus obvia cervis
  Ibis Lynceo tegmine amicta humeros,
Candentes humeros, qualis nix albet in Ætnæ
  Aëriæ incensis frigida verticibus.
Quæ, velut æstivis tabescit solibus, utque
  Liquitur ex altis lapsa cacuminibus:
Sic miser, Ætnæo quem non miror ignis inurit,
  Solvor, & ora madent fletibus assiduis.
Munera quid referam torquatas læta columbas,
  Picta quoque hinnulei mollia terga notis?
Qui tener assuetusque fero, lactisque fluore,
  Caprigenum quærit, consequiturque pecus
Tesqua per & rupes, & per frutices dumosos;
  Jamque manu instituit carpere dente cibos.
Atque alia accipies: sed munera nulla movent te:
  Saxa ego vestigans te latebrosa petam.
Quænam age? quæ curvis convallibus insonat? audis
  Quam docili nostros reddidit ore sonos?
Dura, proterva, procax, petulans, quæ illudis amantem,
  Quo trepidas? nullum jam datur effugium.
Nimirum densis latet hîc sub montibus, ite,
  Ite canes: rursus rettulit, ite canes.
Certum est per saltus perquirere sicubi se abdit.
  Ite canes, latrat hic, non minus illa latrat,
Conveniant socii, pulsentur cornua bombis,
  En reboant rauco murmure saxa iterum.
Fallor & his forsan latet occultata cavernis
  Delia? namque canes infremit alipedes,
Incutietque feris rabiem: Cadmeja proles
  Senserat iratæ numina sæva deæ.
Fessus an ingenti sub fornice semicaper Pan
  Se reficit: locus hic arguit esse Deum.
Oblita nam tonso mollique sedilia musco
  Læta virent, fons & dulcis abundat aquæ.
Tum coma formosis procumbit pinea ramis,
  Floret & illæso cespite dives humus.
Excitus hic somno furit irritabilis ira,
  Sævaque terrificis obiicit ora modis.

Qui,

Quisquis es operiar: mugit specus ecce resultans:
  Quis scit an his stabulet bellua dira cavis?
Effera quæ vasto si carcere forte fuisset
  Libera, quas strages prodigiosa daret?
Atque utinam me nunc ingentibus aspera malis
  Perderet, ut tandem desinerem esse miser.

Lucerna. Lampius Mediolanensis Thylesio dono dederat.

Ænea vincta hederæ foliis cava tempora Bacchi
Affixæ gratum præbent mihi lampadis usum.
Vertice nam qua se partes coma fundit in omnes,
Et tenuis ægro capitis patet area summi,
Descendit velut exiguæ testudinis orbis:
Cornibus hunc operit religatum emblema gemellis
Insigne, inque vices retegit specus inde remotum,
Agricolæ munus quo Palladis instillatur:
Quem simul accepit calva ærea parva liquorem
Mittit in os, animi cui nuncia lingua palato
Exserta, & sulco cælata ellychnia anhelat:
Usque laboranti similis persona videtur;
Æstuat, efflat, hians, ardentes faucibus ignes,
Atque exusta genas atro furit horrida vultu,
Afflatus quodam Semeles velut ignibus alvo.
Grata mihi, & nostris aptissima dona Camœnis
Lampius hæc dedit, insignis patriaque, domoque,
Lampius ingenti mecum conjunctus amore.
Scilicet ut, veterum seu me monumenta virorum
Nosse juvat, Latium, vel quos tulit Attica tellus,
Ludere seu mihi quid libet inter, carmine, curas,
Quîs scatet undique vita calentibus insperatis,
Lumina sufficeret tam cari munus amici,
Et quasi jucundi socius foret ille laboris.
Ignipotentis opus fuit hoc; Deus hoc sibi primum.
Ipse sibi & sponsæ formavit Mulciber, exit
Vertice quæ sacro nam quamvis bellua nobis
Persimilis nutrit similem turpissima alumnum.

Tardigradumque, moleste, ac turpiter incedentem;
Attamen ictus amore procaciter appetit usque
Conjugium duro formosæ Palladis ore,
Quamvis læta oculos, quamvis nitet aurea crines.
Nec pater abnuit hoc, carum sed nata pudorem
Casta negat sibi posse auferri viribus ullis.
Ergo infelicis Deus in solamen amoris
Finxit, ubi foret inventum utriusque Deorum,
Et ceu nocturnus vigil esset conjuge mistus:
Lumineque apposito faber ægida perficit illi,
Spicula præfigens adamantina vel polit hastæ,
Aut crebris tegmen capitis cavat ictibus aurei,
Frigida cum tremulis nox ignibus atra relucet,
Candidus & fuscæ frater cessisse sorori
Non dolet, Oceani delapsus in ima barathri:
Mittit & hanc ipsam gemmisque auroque decoram,
Ingentem, expressam signis, quo Diva tenebras
Pellat, opus si quod cœlesti lucubrat aulâ;
Aurea seu torquet subtegmina, pectine densat
Seu taleas, urgensque argutis plausibus æquat,
Ornat acu pictrix seu pallam, nam licet usque
Casta Dea est, cupit usque tamen formosa videri.
Nec minus hinc illinc omnes Dea commovet in se
Spectantes cupide Divos, oculisque inhiantes;
Quam soror Idæis victrix convallibus olim,
Quamvis illa Cupidine sit comitata volucri,
Efferus occultos qui spargit arundinis ignes,
Semper & huc illuc blandos dea spirat amores.
Interdum studiosa coloribus atria cœli
Distinguit, vastos armans in prœlia fratres,
Enceladumque Typhoëumque, aëriumque Mimanta.
Et movet hinc acies horrendas, inde Deorum,
Bellonamque, Gradivumque, Amphitryoniademque,
Ipsumque ardenti jaculantem fulmina dextra
Impavidumque altitonantem, animisq; in bella ruentem,
Quem prope Gorgoneis astans furit anguibus ipsa,
Nec superas tanto discrimine deserit arces.
Unde Deus sese gaudet spectare, memorque
Dis-

Difficilis quondam pugnæ, pictosque triumphos
Perlegit, & caræ libat pater oscula natæ.
Quin etiam Phœbi, Musarumque æmula Pallas
Nocte silente modos, & carmina digna Deorum
Auribus invigilat: docet hæc, quos diligit ipsa,
Omnia solerti fingit quæ pectore Diva.
Atque aliâ gratum despecti ad limen amantis,
Cum facibus primum mortalis sedulus atram
Dispellit noctis nebulam, cæcasque tenebras.
Idque est, qui cœlo nunc Palladis Hesperus ardet,
Hesperus æternum decus altisonantis Olympi.
Non minus hic quamvis Divûm regina, Venusque,
Et galeâ insignis Tritonia certat, in udâ
Quam Phrygio quondam sub judice lis fuit Idâ.

Arundo, sive de usu arundinis.

Fluminis undisonas ripas prætexit Arundo,
Atque erecta comis pariter consurgit acutis,
Quîs gelidâ fessos æstu refrigerat umbrâ.
Plurimus hic usus, teneras seu jungere vites:
Seu libet agrestes calathos, & vilia tecta
Construere, & pluvias arcere, & idonea soles:
Seu magis incautos pisces captare dolosis
Artibus, hamus aquis illudens pendet aduncus,
Armat eam ferro, raptimque per aëra torquet
Gnosius altivolas figens sub nube volucres:
Vel fera montivagis erroribus acta, vel hostis
Saucius injecto cadit eminus ilia telo,
Cum brevibus compulsa Noto volat ocius alis.
Quin etiam dentata levis manus æquora eâdem
Attheis, Latiisque notat studiosa figuris;
Pingit & horrendas acies, laudesque Deorum,
Legibus emendat mores, juvat, increpat, ardet,
Extinguitque faces collectas pectore, & iras,
Sensibus & secreta sagacibus omnia rerum
Eruit, immensum pelagus metitur, & auras.
Dulcius hæc resonat, longeque remotius, atque

Immortale magis, quam quæ paſtoris in ore
Mille foraminibus garrit pulſata canentis;
Unde vagæ pecudes perſultant gramina lætæ,
Semiferumque genus Satyri, Faunuſque bicornis,
Arguta primus modulatus arundine Muſam.
Dicitur & qua ſol admotos inficit Indos,
Singula fluminibus nare internodia, remis
Quæ ſubigit notis vergens vagus incola ripis;
Namque virent illic Libycis majora columnis.
Quid referam gratos ſuccos? rimoſa fatiſcit,
Succinaque hinc illinc dependent dulcia circum.
Concreti erumpunt lacrimantes cortice rores.
Hinc coquitur, glacieque riget nova pyramis, ipsâ
Vel nive candidior, vel nectare dulcior ipſo.

Æneas, paratis navibus, alloquitur patriam.

Jam nova cœruleas deducta eſt claſſis in undas,
  Cæſa ſub Idæis pinea verticibus.
Impelluntque leves ſuſpenſa rudentibus auræ
  Lintea dilapſis undique ſideribus.
Linquendum eſt jam dulce ſolum, fuit inclita quondam
  Troja ubi, ſive armis inclita, ſive opibus.
O patria, o manibus tumulata hoſtilibus, omnis
  Collapſa in cineres uno eodemque rogo.
Tanta fuit numquam e florentibus urbibus ulla,
  Tam ſubito & caſu diruta præcipiti.
Si qua ſalus ſupereſt poſt fata noviſſima, ſalve,
  Atque vale; extremum hoc, quod datur, adſpicere eſt.
Non licuit ſævis aut te hoſtibus eripere, aut me
  Te prius optato concidere interitu?
Flavus ubi toties atratus cæde refluxit
  Xantus, ubi & Simois decolor auxit aquas.
Quave manus Danaûm pavitans per littora in altum
  Profugit, ratibus delituitqur cavis,
Aut latebroſa gravis tenebras cum enixa per atras
  Exitium peperit bellua Dardaniæ.

Cum

Cum, cives rapite arma, urbs tota fremebat in auras
  Vocibus; hoſtis adeſt, ferte, agite, arma viri.
Ilion æternis deplorandumque lamentis,
  Quis tua tot potis eſt, quis mala tanta queri?
Sævitiam hoſtilis ferri ſubiiſſe, per ædes
  Civili undantes ſanguine, perque vias.
Ignibus heu devota furentibus omnia, ſi quid
  Reſtitit, Argolicæ ſenſit aratra manûs.
Tunc potui ſupereſſe armiſque doliſque Pelaſgûm
  Nomine ſublatus matris Acidaliæ.
Cum vetus armipotentibus arx Priameja Graiis
  Capta, malum, auratis ardua culminibus
Corruit, & flammis ſuperantibus omnia diris
  Exultabat atrox cæde Neoptolemus.
Quem furere, & geminis immiſtum vidi ego Atridis
  Terribilem abjectis ſtare cadaveribus,
Herceumque Jovem Regis fœdare ſenili
  Sanguine: quam indigna eſt hoſtia cæſa Jovi!
Funera poſt nati crudelia raptus ibidem,
  Ilicet æternum tuque puerque vale.
Et ſoboles germana, perit quæ, excelsa viretis
  Silva velut telis ſaucia nubigenis.
Perdidit unius furor omnes, ſemper aquosâ
  Maluiſſes Idâ paſcere lanigeras,
Agreſti contentus amore; fuiſſet Oreas
  Sive tibi cordi, candida ſive Dryas:
Innuptis quam ſic alienam abducere nuptiis,
  Damnoſo inſignis factus adulterio.
Tempore quo virgo doctiſſima Priamidarum,
  Sparſa comam, & niveas fletibus uda genas,
Affatur mare proſpectans e turribus altis
  Infortunatos Laomedontiadas:
En iterum Graiis cadit Ilion, Ilion, armis:
  Pergama collucent ignibus Inachiis,
O tantum prohibete nefas, miſereſcite venti,
  Vos ſaltem venti pellite, ferte ratem,
Reddite deſertis, fugit unde, penatibus, actam
  Turbine, vel rapidis mergite vorticibus.

Quid soror insanam retines? ad busta jacebis
  Tu quoque amatoris vindicis ulta prius,
Sed melius, mihi quam quod Fata inimica reservant:
  Impie dira dabis jam mihi supplicia.
Verte Dea ingentes fluctus, e nubibus atris
  Nata patris casta coniice tela manu.
Ultima sed superant immania: maxima Phœbi
  Nulla forent utinam, vel rata dona forent.
Sed tantæ reus es seu cædis, sive Deorum
  In mala devotus numine, tuque vale,
Eminus Herculei trajectus acumine teli,
  Sparsus & intonsam pulvere cæsariem:
Et, patriæ ante omnes quondam tutela, peremptus
  Magnus Achilleâ cuspide Priamides,
Felix Priamides, cui sic occumbere, mortem
  Et licuit campis oppetere in patriis.
Excidio superare tibi non contigit urbis.
  O Neptune perit, Phœbe opus atque tuum.
Nec stupefacta repentinis ululatibus auris
  Horruit, & rebus tot doluere oculi.
Infandis rebus, quas nox congesserat una,
  Una omne extinxit nox decus Iliacum.
Ah facinus! celso dejectus culmine quis non
  Respersit lacrimis hostibus ora puer?
Sacrilegas miser ille manus tremefactus; & iras
  Sensit Ulysseas regius Astyanax.
Imperiis quoque paret herilibus Hectoris uxor,
  Tradita victoris serva ministerio.
Hoc quoque præmoriens vitasti munere Divûm:
  Mors data, non vitæ lux tibi dempta fuit.
Sed neque regalesque nurus, matrumque catervas
  Contigit addictas cernere servitio.
Perque salum rapere insuetum, insultantibus essent
  Tam procul Argivis matribus ut famulæ.
Trojugenûm regina parens longæva triumphis
  Passa nefas o quantum acta Agamenoniis,
Et soror Æacidæ lethalis cura sepulti,
  Altera quæque tuum movit, Apollo, animum.

Tertia, quam flammis nequicquam atque hoſte recepi,
  Rapta iterum eſt conjux regia cœlitibus:
Qui mihi fatalis ſociam invidêre laboris,
  Jucundam longe qui comitemque viæ.
Illa per umbroſas, docuere oracula. ſilvas
  Sacra facit Matri maxima turrigeræ.
Quanta tamen cumque eſt, mihi certe nulla relicta eſt.
  Præſidet alma aliis, ſed perit illa ſuis.
Care puer, jubeam cur ora madentia fletu
  Tergere, & curas pellere, Jule, animo?
En ego, ſolator tot luctibus indefeſſus
  Frangor, & huic uni mens mihi preſſa malo eſt.
Vive tamen noſtri non immemor, o ubicunque
  Es nemorum, fluvios ſeu colis undiſonos;
Atque vale: feror exul aquæ ſuper æquora vaſta,
  Fata jubent quo me tendere Cœlicolûm.
Et pater ipſe comes grandævus non timet ire,
  Servatus patriæ bis pater exitio.
Nec communis amor natus, tua dulcis imago,
  Parvus idem profugus denegat exilium.
Cum ſociis, mecum ſimul omnia ferre paratis,
  Aſpera quæ terræ, quæque ferunt maria.
Jamque rates evaſerunt, quos igne Penates
  Eripui: velis flamina carbaſeis,
Servate ô ſemper felicia, voſque Latinis
  Templa manent meritos maxima littoribus.

Araneola.

Hæret araneolæ laxis dum caſſibus errans
Muſca levis, conata fugam, ſeſe magis ultro
Implicat, & quatiens alas ſtridore coruſcat.
Effugium dumque ſcrutatur, labitur: ecce
Illico araneola opperiens, ſi præda feriret
Reticulum, tenui quod ſtamine neverat ipſa
Sub ſalice, & trepidam ſævo rapit improba morſu.
Illa iterum fremitu reſonans, pedibuſque repugnans,
Concutitur; ſed nulla datur fuga: forcipe namque

Pressit atrox, urgetque tenax, perque omnia versat.
Ac tandem magno luctamine victa, pusillam
Expirans animam moritur miserabilis ales.
Callida sed quam sit cæcas componere fraudes,
Omnibus inque locis innectere tenvia fila,
Est operæprecium cognoscere: rixa puellæ
Mæoniæ vulgata diu est. Quis Palladis irâ,
Seu livore magis mutatam nescit, amaret
Infelix dum se Cœlestibus æquiparare?
Sive in amore soror fratris deprensa Phalangis,
Casta Deæ furtim templa incestavit Arachne:
Appula nunc etiam puer unde per oppida passim
Multipedem repit faciem contractus in atram,
Jamque vetus retinent metuenda Phalangia nomen,
Quîs tamen ipsa novum dedit urbs quoq; prisca Tarenti.
Principio, ignaros rerum ne occulta morentur,
Quidquid id est, per quod delabitur, aut spuit ore,
Aut denso exterius ceu glomere fila revolvit.
Quod simul ac lucem suspexit, Araneus ipsum
Emittit, victumque sibi molitur, & usque
Nectit fila levi dejectus corpora saltu.
Itque reditque citus, sursum modo repit, & altum
Jam tenet, hinc rursus suspensus decidit, & jam
Mille viis æquo discrimine texuit orbem.
Tum malus insidias sub opacis frondibus abdit.
Ne si forte oculis volucrum leve cerneret agmen,
Exitium, aufugeret tremefactum corda pavore.
Sic positis tandem laqueis, procul occuluit se,
Prospectatque, plagis si quis novus incidit, auceps.
Ecce feri culices, muscæque, atque id genus omne
Alituum, volat imprudens, & retibus ultro
Infertur, laxatque sinus, atque omnia miscet.
E specula intentus raptim se se jacit altâ
Explorator, & implicitas has mordicus, atque has
Diripit, ac circum lictor ligat, atque ita acervat
Omnia venatu assiduo, victumque reponit.
Sed ne forte leves volucres, infirmaque tantum
Hunc captare putes: tristem subtegmina Asilum
Den-

Densa tenent, sævitque furens detentus, at illum
Ingluvie accurrens venator conficit atra.
Quid referam fucos, & quidquid virus amaro
Gestat acu? quoties captum fremit, ac velut ipsos
Damnatos factæ suspendit aranea cædis;
Spectaturque diu passim, spolia ampla, cadaver;
Voce minans quamvis immane superbiat armis,
Quodque venenatis fert telis, vulnus inurat.
Quin tantis etiam stimulis furit ictus edendi,
Involet apricos ut in ipsos sæpe lacertos.
Frenet & incassum torquentes terga; nec ullis
Saltibus excussus cœcis premat undique vinclis:
Nec mora fit raptet quin subterraneus illos;
Cacus ut aversos retrahebat in antra juvencos.

Cicindela.

Tantula nocte volans volucris micat aëre tantum,
Ardenti similis scintillæ, quam puer olim
Æquales inter metuebam tangere, ne me
Ureret, infirma est ætas quum nescia rerum.
Quæ quoniam noctu lucet, cognomen adepta est,
Aut incensa nitet quoniam; velut ignea lampas,
Cauda sit una licet, nomen non est tamen unum.
Hæc modo summa petens commotis emicat alis.
Rursus & adductis fulvum decus aurea condit,
Ardentique procul fugiens levis igne coruscat.
Et quocunque volat, secum sua lumina gestat,
Lumina, quæ tenebras arcent, quæ flamina temnunt.
Nunc, velut obsequiosa videntibus, advolat, atque
Fit magis atque propinqua magis, scintillat & ante
Ora, minuta velut candentis frustula ferri,
Verbere quæ assiduo fornacibus excutiuntur.
Ex quo rapta Jovi Stygio Proserpina, namque
Una fuit comitum, veterem mutata figuram;
Quærit adhuc dominæ vestigia, & omnia lustrat.
Omniparens natura, hominum, rerumque creatrix,
Difficilis, facilis, similis tibi, dissimilisque,

Nulligena, indefessa, ferax, te pulchrior ipsa,
Solaque quæ tecum certas, te & victa revincis:
Omnia me nimis afficiunt, quo lumina cunque
Verto libens: nihil est non mirum dædala quod tu
Effingis, rebusque animam simul omnibus afflas:
Unde vigent quæcunque videntur, pabula, frondes,
Et genus aligerum, pecudesque & squamea turba.

GREGORII TIFERNATIS.

Vaticinium cladis Italiæ.

BArbara gens Italos venit eversura penates,
 Et magnum a gelido panditur axe malum,
Venit & illa dies, sævo cum cerva leoni,
 Cum secura lupo conferet agna latus.
Impia cessabunt tandem & civilia bella;
 In foribus cum jam fortior hostis erit.
Non petiit tantus nostras exercitus oras,
 Intulit Ausoniæ cum ferus arma Getes:
Nec cum Romanum properaret perdere nomen
 Annibal, aut celsâ Gallus ab Alpe ruens.
Vix avium tantas emittit bruma catervas,
 Cum mutata novo frigore torpet hiems.
Vix frondes tot silva gerit, vix littus arenas
 Jonii tot habet Carpathiique maris.
Jam video totos impleri milite campos,
 Et pelagus structis classibus omne tegi.
Jam trepidare nova video formidine terras,
 Atque quati turres, & tremere omne solum.
Heu quantas strages, & quantas cerno ruinas!
 Jam tollunt pulvis, telaque missa diem.

Jam-

Jamque ſagittarum denſâ pugnatur in umbrâ;
  Lethiferi tantus miſſilis imber adeſt.
Captivos pueros, captivas cerno puellas,
  Et captivorum ferrea vincla pedum:
Ignibus incendi ſacras hoſtilibus ædes,
  Deque ſinu matrum pignora parva trahi.
Sanguine torrentes decurrunt, ſanguine valles;
  Uſque adeo rabies Martis & ira furit.
Scilicet Auſonios nunquam diffuſa per agros
  Huic par tempeſtas diluviumve fuit.
Felices illi, quibus has ne cernere clades,
  Neve pati poſſent, contigit ante mori.
O patria, o tellus olim invictiſſima; tu nunc,
  Heu facinus, cunctis obvia præda jaces.
Væ tibi quæ ſeptem claudis munimine colles,
  Et genus a Trojâ principiumque trahis:
Væ tibi deſidiâ nimium, luxuque fluenti,
  Væ tibi ter miſeræ, væ tibi, Roma, quater.
Heſperiæ gentes, civilia ponite bella.
  Et tantum a nobis hoc prohibere nefas.
Et vos o Veneti gentis tutela Latinæ,
  In quibus Europæ tota repoſta ſalus;
Conſulite in medium, & veſtras effundite vires;
  Non aberit cœptis talibus ipſe Deus.
Quid facis in tanto, paſtor Romane, periclo,
  Sollicitum totos quem decet eſſe dies?
Nonne vides quot regna ferox invaſerit hoſtis,
  Nonne vides noſtræ quam minuantur opes?
Ut vigil incolumes populos tuearis, & urbes,
  Cervici impoſita eſt ſarcina magna tuæ.
Summe Deus, qui celsa colis faſtigia cœli,
  Quo ſine nec vires, arma nec ulla valent;
Adſpice nos, hoſtemque precor confunde furentem,
  Qui cladem Latio perniciemque parat.

Vitæ fragilitas.

Ecce ſumus pulvis, ſumus ecce miſerrima tellus;
  Et noſtri fugiunt ut levis aura dies.

Lan-

Languemus, medio ut fœnum quod cæditur a...;
  Ut rosa Pæstano languet adempta jugo,
Obruimur morbis, aut succedente senecta,
  Et mala tantillos undique multa premunt.
Solvimur ut nebulæ, surgens ut in aëra fumus.
  Et veluti solvi Sole pruina solet.
Carpimur, ut stipulæ rapido carpuntur ab igni;
  Nec nisi vivendo somnus & umbra sumus.
Unde igitur fastus venit, unde superbia nobis,
  Quos fatum, præter tot mala, triste rapit?

Epitaphium Pallantis Stroziæ, Eq. Florent.

Quando alium flebis, & quando movebere lector,
  Hoc lacrimas casu si cohibere potes?
Namque vir & meritis & laude insignis equestri,
  Maxima qui Tuscæ gloria gentis erat,
Curriculo vitæ dulci defunctus & aurâ,
  Hic positum Pallas Strozia corpus habet.
Illum cana Fides, Pietas ornaverat illum,
  Atque amor in patriam, largaque dando manus.
Nec fuit in summâ fortunâ mitior ullus,
  Fortior & nullus dura ferendo fuit,
Flete decus vestrum Grajæ Pallanta Camœnæ:
  Unde fleas & tu, Patria, semper habes.
Tuque vale Pallas; tangit tua fama nepotes;
  Et, quem mirentur quemque sequantur eris.

Nænia matris in Quintillam.

Hîc, Quintilla, jaces miserandæ cura parentis;
  Ornabas vultu quæ tua sæcla tuo.
Formosæ Veneris quondam formosus ocellus;
  Dulce patri studium, dulce levamen eras:
Sed mihi mors miseram miseræ crudelis ademit,
  Mors lacrimis flecti nescia supplicibus.
Scilicet ut tali gauderent germine terræ
  Non Dii sunt alii, non Dea passa Venus.

Ergo

Ergo mea in longos abierunt gaudia luctus;
Versa est in lacrimas mœstitiamque domus.
Omnis honor nobis, omnis subrepta voluptas.
Et quis, jo, vivit me miserabilior?
Dulces blanditiæ, dulces mihi, nata, labores
Quæ fueras olim, nunc mihi deliquium es:
Quæ sic strata jaces, ut flos quem perculit olim
Cum solidam vomer scinderet uncus humum.
Nunc mihi se mundo Sol subduxisse videtur,
Horridaque in medio nox mihi facta die.
Jungere sperabam juveni te, nata, marito,
Et stirpem de te cernere læta novam:
Et tu debueras, sinerent modo tristia fata,
Cum post nata fores, post modo, nata, mori.
Aut igitur comitem rerum me sume tuarum,
Aut ne me in tantis, oro, relinque malis.
Funditur in lacrimas caput, in suspiria pectus,
Et miserum, adflictam cernere, cordolium est.
At vos o matres nostras augete querelas;
Fletibus & fletus adcumulate graves.
Flete decus nostrum, & donis ornate, puellæ;
Officioque precor matris adeste pio.
Et vos ô duræ lacrimas stillate columnæ,
Vosque ô desertæ marmora flete domûs.

Ad Paulum.

Si res, Paule, tibi non sunt in amore secundæ;
Accipe præceptum consiliumque meum.
Aut istas quæ te consumunt exue curas;
Fortiter & duro subtrahe colla jugo:
Aut in personam paulatim transfer amorem,
Quæ sit grata tibi, quæque benigna magis.

Epitaph. Pauli Barbi Patricii Veneti.

Si decreta sibi quisquam post funera vivit,
Si merito quisquam tendit in astra suo;

Pau-

Paulus ob ingenium notus mirabile Barbus.
  Qui tuus, ô Venetûm patria, civis erat,
Liber, & a fragili jam tandem carne solutus
  Vivit; & in cœlum, venerat unde, redit.

ROBERTI TITII

BURGENSIS.

Ad Hieronymum Guicciardinum Angeli F.

Lycabas, & Lacon.

HÆc tibi communi dum me pia cura dolore
Conficit, atque adeo propius mea commoda tangit,
Guicciardine, dico mœstus propè fluminis undam,
Quæ secat Alpheæ placido sata pinguia cursu.
Et quamquam magno stupefactus nuper ab ictu,
Nondum dispersos potui satis undique sensus
Colligere, atque animi revocare in pectora vires.
Pauca tamen libuit facili dictante Thalia
Flebilibus canere apta modis, ut tester amorem
Ingentem, atque dolor noster patefiat acerbus.
Tu mihi te facilem dederis, namque ante solebas
Corde aliquam nostri curam gestare sub imo,
Interdum & promptas laudare ad carmina Musas.
Navita sic igitur Lycabas miratur Iberus,
Tyrrhenusque Lacon, variis cum ex partibus orbis
Communi peterent cursu vada fervida fluctu
Trinacriæ, atque eadem veherentur per mare puppe.
Lyc. Quæ tandem facies alieno sydere Cœli
Nocte dieque, Lacon, nobis se ostentat? ut alte
Disruptæ nubes tonitrus dent æthere; Divûm
Rex

Rex velut emiſſo repetat ſi fulmine pœnas
Audacis cœpti, cum ſæva incendia terris
Intulit inſolitas qui olim male rexit habenas?
Sidereaſve genus Titanum ſcandere ſedes
Auſum, præcipiti tendat detrudere caſu?
Quid toties nimbi commiſti grandine ſævi
Portendunt, cœlo ſubtractaque lumina Solis?
Et paſſim æquoreæ reſonant ululatibus undæ?
Lac. Quid mirum, o Lycaba, neſcit ſi fœdera mundus,
Nec certas ſervare vices, totoque feruntur
Monſtra ſalo? cum perpetuo languentia ſomno
Clauſerit [heu Parcæ crudeles] lumina Coſmus,
Coſmus progenies Divûm, cui ſceptra dederunt
Numina & imperio populos ſub pace regendos
Æterna, amiſſum quem luget Thuſcia tellus.
Quis neget ingentes fluvios jam poſſe retrorſum
Ferri, & nunc ubi monſtra mari viſuntur aperto
Perſultare feras, modo quæ frondentibus umbris
Pennini latitant, & ſcrupea luſtra frequentant?
Siderave inſolito flammantia pergere motu?
Atque ubi nunc Boreas gelido ſe promit ab axe,
Incita ab adverſo dominari cardine flabra?
Et dare diſcidium terris elementa ſuperne?
Si natura Deûm immortalis morte fatiſcit,
Nec potis eſt hominum communem evadere ſortem?
Illum etenim, o Lycaba divino, ſemine cretum
Juppiter omnipotens claro demiſit Olympo,
Cum paſſim mortale genus: fœdeque jaceret
Oppreſſum gravibus curis, quas bella tulerunt
Sanguinolenta patrum quondam, civiliaque arma;
Tunc etenim altitonans ſumma miſeratus ab arce
Horrendas cædes, ſævaſque hinc inde rapinas,
Et fas, atque nefas nimium jam turpiter omne
Miſceri, & populos crudis ſervire tyrannis,
Quos aut nobilitas effert antiqua ſuorum,
Ingenteſque animos addit, faſtuſque ſuperbos,
Aut illata bonis violentia concitat, aut qui
Argento, atque auro ſolium invaſere ſupremum,
Fin-

Finxit in ætherea corpus regione beatum,
Insevitque animum cunctis virtutibus auctum;
Huic dedit ingenio rerum pervadere caussas
Et cæcos motus populorum, animosque rebelles;
Huic Astræa comes graditur, fingitque volentem,
Et rectas librare docet virgo aurea lances,
Ut non plus hac parte premat, quam sublevet illa.
Lyc An igitur Deus ille, Lacon, pia lumina noctem
Clausit in æternam, fatis obnoxius atris?
Nunc horrenda memor sacri præsagia vatis,
Caste qui quondam nostras operatus ad aras,
Numine correptus Phœbi responsa canebat;
Mente agito, pavenque simul, namque ille ferebat,
Juppiter ut rerum summam posuisset in uno,
Cui regere imperio dederit florentia rura,
Quæ placidis rigat Arnus aquis, longeque sonantis
Alluit unda freti Tyrrhenis cognita nautis;
Hunc fore, qui quondam Libycos armaret in hostes
Innumeras acies, & propugnacula bello
Alta Liburnorum, ut tuto freta longa secare
Puppe cita, medioque mari colludere posset
Provecta exili lembo, pictisque phaselis,
Et pisces captare vagos sacra turba piorum;
Hunc fore, consilio reges qui jungeret arcto
Fœdere, & instructam non multo remige classem
Suaderet medios Scythicos immittere in hostes,
Innumerasque rates, florentesque ære catervas,
Insignem ut peterent multa cum laude coronam:
Tantum relligio valet, & fiducia recti.
Huic tamen esse anceps bellum cum morte gerendum,
Ex quo si parta liceat discedere palma
(Namq; hoc obscurum, nec fas cognoscere quemquã;)
Tunc ille æternum vitam producet in ævum,
Et referet pulchro Saturnia secula mundo:
Quod si fatales pervincant prœlia Parcæ,
Omnia præcipiti retro sublapsa ruina
In pejus cedent; rapidis Victoria pennis
Templa externa petet, fusoque ex hoste triumphi,
Tunc

Tunc Scythicus maris obſeſſor rapere undique prædas
Feſtinabit atrox, & vincula nectere captis;
Hinc ædes, hinc facta Deûm delubra nefandi
Corripient ignes, arceſque, urbeſque beatas.
Quin etiam Superi regnantes æthere puro
Signa dabunt, quatientque novo cœlum omne fragore.
Hæc nos nunc agitant portenta, hæc monſtra feruntur
Inſolita, hæc quondam vates ex ore profudit
Veridico; ad tantos nos caſus fata reſervant.
Lac. Quamquam me, Lycaba, ſigna hæc horrenda dolore
Concutiunt, dubiamque tenent formidine mentem,
Non tamen uſque adeo miſeros exoſus ad unum eſt
Chriſticolas pater ille hominum, pater ille Deorum,
Nec ventis portanda dedit pia vota protervis,
Ut ſubito ingentes animos, & funditus omnes
Spes Italum periiſſe rear; nam Coſmus ab alta
Proſpectans regione Poli cuncta ordine miro
Digerit, atque ſolo monſtrat veſtigia nato
Trita ſuo; quibus inſiſtens Dux Magnus acerbas
Abſterget curas conceptas morte parentis,
Tranquillæque reget populos ſub fœdere pacis.
Hæc ſecum vario nautæ ſermone ferebant,
Cum tandem optatæ Siculæ advertuntur arenæ
Intrantes portus, & mœnia celſa Panormi.

CLAU·

CLAUDI TOLOMEI
SENENSIS.

De Diocletiano.

IMperium princeps orbis dum prætulit hortis
  Atque oleri, fuit hic omni olere ipſe minor:
Poſtquam olera imperio, poſtquam hortos prætulit orbi,
  Imperio vere major, & orbe fuit.

Lydia ad Lygdum.

Lydia purpureos per prata virentia flores
  Dum legit, & roſeos dum legit illa ſimul;
Luteoloſque illis pariter commiſcet, & una
  Candidulos texit candidiore manu.
Hos tibi Lygde inquit flores mi floſcule necto,
  Hiſque animum annecto candide Lygde meum.
Tu flores, animumque cape, atque hos dicere formæ,
  Virtutis potes hunc dicere ſerta tuæ.

JOANNIS TONSI
MEDIOLANENSIS.

Epiſtola ad Amicam.

QUæ mihi diſcedens mea lux mandata dediſti
  Dulcis amor cupidis auribus ingeminat.
Vocibus illa quidem paucis comprenſa videntur
  Parvula: ſed magni ponderis inſtar habent.
Sis memor abſentis noſtri: nec plura locuta es:
  Quod mihi nunc querulo ſemper in ore ſonat.
Me miſerum! fallax cum noſtro in corde Cupido
  Impreſſit vultus, effigiemque tuam,
Mollius id cera factum eſt cum ſole caleſcit,
  Aut tepidi afflatu vere novo Zephyri:
Rurſus poſtquam eadem fixa altius hæſit imago,
  Nec locus eſſe aliis quivit imaginibus:
Durius id creta factum eſt, ubi Sirius ardet
  Quam gravis in mediis æſtus aduſſit agris.
Immemor ergo meæ potero magis eſſe ſalutis:
  Quam non eſſe tui nocte, dieque memor.
Atque utinam, o tantum memor: omnia nec Deus arma
  Aliger in noſtrum ſtringeret exitium.
In me totus enim, torquens ferrumque, facemque
  Irruit, & nudum ſauciat ille latus.
Quem non æquo animo caſum paulo ante ferebam,
  Sed poteram tacitus diſſimulare tamen,
Hoc ego fortis eram; quod te quandoque licebat
  Cernere mi, blandis alloquiiſque frui.
Nam quoties curis ægro ſævoque dolore
  Ardenti forte es obvia facta mihi;

Te ſimul ac vidi, valui, penituſque receſſit
  Triſtior ex animo cura dolorque meo.
Quid fieret, cum deinde prope exaudire licebat
  Dulcia jucundis verba repleta jocis?
Nunc te rura tenent, uno hoc felicia, tecum
  Rura quod alma Venus, mitis Amorque colunt.
Sed mala ſunt eadem, ac inamœna, ac barbara rura,
  Abdita quæ latebris gaudia noſtra tenent.
Ah pereat, ſi quem tantus tenet ardor habendi,
  Rus miſerum caræ præferat ut patriæ:
Ah male ſit primo, qui ſe, & ſua pignora natos,
  Uxoremque avidis miſcuit agricolis.
Luciferi primo cum ſidere rure colonus
  Perducit tardos ſub juga curva boves.
Aſpera vox aures ferit, & ſtridentia plauſtra
  Abrumpunt ſomnos tum tibi languidulos.
Non ruri fulgentem armis, auroque catervam
  Cernis, quæ celeres calce fatiget equos:
Et nunc ferventis ſimulacra ſimillima pugnæ
  Edat, tecum agili nunc pede pulſet humum.
Agricolam flexo ſed terram ſcindere aratro
  Adſpicis, & durâ vertere ſæpe manu.
Vel qui vile pecus numeret poſtquam occiderit ſol,
  Vel lac diſtentis exprimat uberibus:
Quod ſi læta canas: audebunt rumpere voces
  Verbaque mugitu rumpere culta boves.
Et, ſi venandi ſtudio ſuccincta vageris,
  Offendent teneros aſpera ſaxa pedes.
Sidereos uret vultus ſol invidus, atro
  Aureola horreſcet pulvere cæſaries.
Diffindetque furens ventus roſea illa labella,
  Et teneras lædet, candidulaſque manus.
Sin placido gelidi fontis te murmure captam
  Sternere gramineo margine contigerit,
Et nemore in denſo, pratiſve in mollibus arcte
  Jucundus teneat languida membra ſopor,
Non ne latens poterit tibi protinus anguis in herba
  Vulnifico tenerum ſcindere dente latus?

Quod

Quod tantum meminiſſe, mihi radicibus imis
  Cor vellit gelido, ſollicitoque metu.
Quid ſi capripedes Satyri, Faunique bicornes
  Ah miſeram rapiant, dum malecauta jaces?
Dii probibete malum: mihi namque hæc cura priore
  Triſtior accideret, conficeretque magis.
An paterer mihi fata diu producere vitam,
  Et poſſem ad certam non properare necem?
Si tua commiſcere fores, mea vita, coacta
  Lacteola hirſutis pectora pectoribus.
Sed neutrum eveniet: neque tam ſibi ſecula noſtra
  Averſos penitus ſunt habitura Deos.
Nec mea nunc doleo quod ſit præſaga mali mens:
  Triſtia vel quod me ſomnia terrificent.
Sed (quod morte mihi eſt ipſa infelicius) a te
  Abfore tam longo tempore diſcrucior.
Et rurſus mala rura odi: rura execror, omnes
  Quæ modo delicias eripuere mihi,
Lætitiamque omnem ex animo, cœlumque, diemque,
  Et ſolem ex oculis eripuere meis.
Quid mihi tunc animi credis, mentiſque fuiſſe,
  Cum primum occluſæ non patuere fores?
Tum victa eſt acri patientia noſtra dolore,
  Quam prius adverſi frangere nil poterat.
Mœſtaque cœperunt tabeſcere lumina fletu,
  Pumice quæ fuerant aridiora prius.
Abduxti ſenſuſque meos, animumque recedens:
  Et me a me ducis imperioſa procul.
Quod ſi in tam ſævo ſupereſt mihi vita dolore,
  Una tui dulcis ſpes facit hoc reditûs.
Cogitat interea de te mens anxia ſemper,
  Cum gravibus curis excita pervigilat.
Et ſi oculos flendo feſſos, longoque labore
  Ingratæ noctis clauſerit hora brevis,
Semper ades, nunc blanda ſatis, nunc aſpera, teque
  Jam captam teneo, jam volucremque ſequor.
Uror, non ſecus ac flagrans Trinacria rupes:
  Succenſoque ingens ardet ab igne rogus.

Vel quantum moriens arſit Tyrinthius heros,
  Ater ubi infecit fortia membra cruor:
Nec rogo (quod fieri nequit) ut moderatius urar:
  Sed te etiam ut noſtri mutuus urat amor.
Quid cupio ah demens? te circumſepta nivali
  Securam faciunt aſpera corda gelu.
Te numquam lacrimæ triſtes, non pallor amantum
  Flectere, ſollicitæ non potuere preces.
O quoties, tua nos raperent cum pectora, noſtris
  Inſidioſa nimis pectora luminibus,
Compreſſis labris mirantes diximus: hæc ſunt
  Sithonia longe candidiora nive:
Perniciem in noſtram illa eadem mox ſenſimus eſſe
  Pectora, Sithonia frigidiora nive.
Nec tantum præceps audacia creverat in me,
  Armanda ut glacie pectora caſta forent.
Nam quamvis miſere cuperem dare brachia collo,
  Et memores labris figere dente notas,
Conſcia tu tamen es nil me tentaſſe: nec auſum
  Ulla animi ardentis prodere ſigna mei.
Sed petere hæc abs te mihi non fas eſſe putabam
  Tam Veneri averſa, deliciiſque ſuis.
Ardebam prudens igitur, tacituſque ſuperbæ
  Mentis formidans lædere propoſitum.
Et ſi quando mihi fuerat data copia fandi,
  Hærebat nimio lingua retenta metu.
Conſilii mentiſque inopem deduxerat huc me
  Tandem flagranti mixtus amore timor:
Non ut juſta mei peterentur præmia amoris,
  Sed tibi deſpectus ne meus eſſet amor.
Tangeret utque mei te ſaltem parvula cura
  Difficilem, poſtquam mutua non poterat.
Hoc ego pœnarum duxiſſem dulce levamen,
  Quas dederam immerito, quaſque daturus eram.
Et tamen hic miſeras nondum pervenit ad aures
  Optatus roſeo miſſus ab ore ſonus.
Immo me fateor non poſſe carere timore,
  Ne tibi jam gelido pectore deciderim.

Nam

Nam tua mi ſemper parce fuit æqua voluntas,
  Et nimis Idaliæ mens inimica Deæ:
Queis dederit vires abſentia longa neceſſe eſt,
  Deleritque tuo me miſerum ex animo,
Hæc mihi nunc mœſtas eſt unica cura medullas,
  Et cruciat vitam, vix reliquamque facit.
Nec quæ grata mihi dixiſti verba recedens,
  Et blandus toties ingeminavit Amor,
Illa meo poſſunt medicinam ferre dolori,
  Ægra vel amenti ſolvere corda metu.
Nam tibi (ni fallax ſenſus me decipit) illa
  Non dictavit Amor verba, ſed officium,

Genethliacon filii Veſp. Gonzagæ.

Qualis nitenti ceſpite floſculus,
Quando reducit vere novo diem
  Fulgens nitentem Aurora, pictum
    Purpureo os aperit colore:
Qui ſolis ut lux ſe extulit altius,
Compreſſa primo mox folia explicat,
  Lateque per campos apricos
    Spirat Achæmenios odores.
Vel quale virgultum arduæ ab eſculi
Radice quando naſcitur infima,
  Tantum exerens telluris almæ
    E gremio tenerum cacumen.
Juſto ſed illud tempore maximam,
Spiſſamque ramis ſurgit in arborem,
  Quam fruſtra aquoſus certat Eurus
    Flectere, præcipites & Auſtri.
Veſpaſiano filius ortus eſt,
Qui vix adultus, nomen in ultimum
  Orbem efferat, famamque rebus
    Excitet egregiis perennem.
Quem non inanes alliciant gravem
Spes, nec cupîdo peſſima turpiter

Impellat, aut fortuna vultu
Terreat impavidum minaci.
Tali beatum jam ter, & amplius
O prole patrem: sed magis, ac magis
Prolem beatam jure tanto
Dicimus unanimes parente.
Quam sunt avorum facta potentium,
Summique honores, atque recentia
Exempla virtutis paternæ
Parve puer tibi profutura!
Si bellicosus spicula, signaque,
Hastasque, & enses, & clypeos amas
Tractare, Mavortis secunda
Numina sanguinei secutus,
Quid majus optes, quam fieri tuo
Splendore laudum consimilis patri
Claro triumphis, & revictis
Hostibus, exuviis onusto?
Non te excitabit cernere fortium
Qua densa fervent agmina militum
Vadentem eum, stragemque dantem
Fulmineo gladio cruentam?
Aut sustinentem fortiter agminum
Vim, densa in ipsum mole ruentium,
Murosve scandentem, & superbis
Urbibus excidium ferentem?
Sin pace par a, te populi juvet
Juste regendi forte scientiâ
Formare pectus, publicas res
Aspice composite ordinantem.
Quis civitates amplificet status,
Et quis decoras moribus optimis,
Probisque reddat disciplinis,
Atque sacris beet institutis.
Disces ab illo: qui revocat bonas
Artes, catenis, atque licentiam
Compescit, & delicta justus
Imperiis prohibet severis.

Quod ſi Camœnæ te rapiant lyra
Plectroque captum, Virgilî, & Orphei
Prudentius Linive cantus
Non imitabere, quam paternos.
Cuſtode eodem patreque poſteri
Lauro videbunt te triplici caput
Circumdatum ſplendere, cœlo
Sidus uti radiat ſereno.
Dum, quæ decentes te modo Gratiæ,
Nymphæque alendum ſuſcipiunt, die
Circum excubent nocte, & ſiniſtra
Officiat tibi ne quid Ate.
Sic membra creſcent parvula, tempore
Creſcetque eodem vis animi, ſimul
Ut grande creſcat tandem utrique
Præſidium Heſperiæ, decuſque.

Ad Veſpaſianum Gonzagam, in obitu Annæ uxoris.

Dum Belga vires horret Ibericas,
Illata nondum ſignaque finibus
Formidat, & nomen Philippi
Jam poſitis veneratur armis:
Quæ cura mentem nobilior tuam
Exercet? an tu quo ſuperes modo
Vim barbaram, eviteſque fraudes,
Conſilio meditaris alto?
Tu vero avitis quæ imperiis tenes
Longeque lateque oppida, mœnibus
Intentus es munire, firmam
Ut ſtatuas populis quietem?
Quodcunque tractas, non niſi maximum
Dignumque virtute eſſe poteſt tuâ,
Quam luce pura clariorem
Exitus efficiet ſecundus.
At me immerentem deſtituit levis
Fortuna, poſtquam principio ſatis

Afflarat, & cœlum fugatis
Reddiderat nebulis serenum.
Majori ut essem ludibrio, mea
Cum portu in ipso fluctibus obruta
Et littori collisa, sævo
Naufragio periit carina.
Nam non avaram quæ dederat manum
Præceps in auras sustulit omnia,
Et terga vertit, se citato
Proripiens inimica gressu
Infesta multis illa quidem sacris
Infestior sed vatibus: optimum
Nam Julianum inclusit atro
Carcere delicias sororum,
Phœbique amores: hunc decuit gravi
Cura solutum fundere nænias,
Et conjugis deflere mœsto
Fata tuæ miseranda cantu.
Ah prima, & ah vix exorentia
Felicitatis gaudia maxima
Tecum fruentem falce pressit
Protinus invida mors rapaci.
Non illa dulcis mollia filii
Adulta vidit membra, nec audiit
Jam lacte depulsum, tenello
Ore leves iterare nugas.
Non crebriores edere contigit
Partus, beatum qui facerent patrem.
Fortique dextra sublevarent
Italiam misere jacentem.
Annam ergo nuper mors tibi surpuit
Et surpuit cara oscula conjugis,
Pectusque sincerum, & pudicum
Ingenium lepidosque mores?
Queis illa donis non minus inclita,
Quam dives auro, stirpeque regia
Insignis ornabat relicto:
Eridanum Sicori tumentem.

Nunc

Nunc ornat alti lumine vivido
Convexa cœli: sidereo & choro
Inserta Dictæa Corona
Purius, Andromedaque fulget.
O, mitte molles fundere pectore
Firmo querelas, hocque age fortior
Partis triumphis ut superbos
Strenuus accumules triumphos.
Jam nil tua non perficies manu,
Virtute Mavors insuperabili
Quem roborat, fortemque Pallas
Consiliis regit alma fidis.
At nos ne amice quod dedit auferat
Ingrata & expers consilii Dea
Conabimur; quæ pertinaci
Quod dederat rapuit furore.

Ad Julianum Gosellinum, de Vesp. Gonzaga ægrotante.

Tandem querelis pone modum tuis,
Spemque occidentem fortiter erigens
Absterge fletum Juliane,
Atque animum releva jacentem:
Plerumque postquam sæviit Æolus
Volvens procellis æquora turbidis,
Soles renascuntur sereni
Tristia nubila differentes.
Morbo tenetur si nimium gravi
Vespasianus, non tamen occidet:
Sed firmiorem tres benigno
Numine restituent sorores.
Hunc Dii tuentur: quem neque naufragum
Extinxit æquor, cum nigrioribus
Sæviret undis, nec tremendo
Plumbea grando ruens fragore:
Quæ cum labantes firmat hic ordines,
Sistitque versam fœde aciem retro,

Late patentem edebat, acta
Pulvere sulfureo ruinam.
Vix una summum glans juvenem tamen
Perstrinxit, æternum ut pareret decus
Insignis in vultu cicatrix,
Impavidi nota certa cordis.
Tum Phœbus, & Mars unanimes, suum
Texere alumnum, nec secus omnibus
Posthac periclis incruentum
Eripient Jove comprobante:
Ut post triumphatum horribilem Getam,
Parthumque, Pœnumque, & profugum Scythen
Discordis jam jam probrosis
Fulciat Hesperiam ruentem:
Et rursus oras orbis in ultimas
Nomen Latinum, signaque proferat.
Cui laurea tandem virenti
Juppiter imposita laborum
Finem spopondit, tum undique classico
Cessante prorsus: lætaque sæcula
Præstabit: in lucem bonasque
E tenebris revocabit artes.
Musis amico principe, & ingeni
Virtute claro premia frontibus
Doctis negatæ olim, celebri
Restituent ederæ corona.
Majore plectro te decet interim
Sacrare summis nomen honoribus
Herois invicti, decusque
Perpetua celebrare laude.
At nos scientes prospera, seraque
Manere eundem fata, procul metu
Omni repulso hymnum saluti
Æoliis fidibus canemus.

JO: MATTHÆI TOSCANI

MEDIOLANENSIS.

Ad Reginam Christianissimi Regis Matrem.

QUæ Gallæ Regina ratis moderaris habenas,
Tuta procellosum per mare vela regens:
Nata ducum, genitrix Regum: sed sanguinis amplum
Illustrans animi nobilitate decus.
Corpore femineo dum pectus firma virile,
Ingenii sexum vi superante, geris.
Longa quidem placidam traxisse per otia pacem
Gallorum populos præstiteratque duces,
Per commune nefas patrios quam sanguine campos
Fœdasset quatiens civica tela furor
Sed tua non poterat, dubiis nisi provida rebus
Mens cerni, innumeris illabefacta malis.
Sic ars docta latet tranquilla per æquora nautæ:
Tempestas animos, consiliumque probat.
Postquam igitur sano viduos jam pectore Gallos
Traxit in atra feri prœlia Martis amor:
Enituit tua tunc virtus, dum sedula regnum
Conservas natis per fera bella tuis
Nam tu corda ducum quoties lymphata furore
Mulsisti placide pectora sæva domans?

Mu-

Mutua junxisti quoties per fœdera gentes,
  Prœlia composita pace silere jubens?
Quod si sæpe tuis renuit mens ægra juvari
  Consiliis, Medicam dum male temnit opem:
Dum repetita ruunt vesani in funera cives:
  Majus id humana numen agebat ope.
Scilicet extremam veniæ superantia metam
  Crimina dum mulctat vindicis ira Dei.
Quæ nunc ut precibus tandem placata piorum est,
  Vel demum nostris exsatiata malis:
Quæ miseris speranda salus foret unicà rebus
  Pax est consiliis illa reperta tuis.
Sic ubi diu sæva violentia perculit Austri
  Naufragio miseras per freta vasta rates,
Neptunus facili tandem sua regna tridente
  Sternit: & innocuas navita verrit aquas.
Atque utinam gentes obliquo devia calle
  Corda vetus flectant ad pietatis iter.
Aurea tum læti reduces ad sæcula Galli
  Vera colent positis otia dissidiis.
Tum pius Henricus patriis a finibus, hostis
  Vertet in externi justius arma solum,
Impia prima dabis meritas Germania pœnas:
  Fax siquidem nostri tu quoque prima mali.
Nec contenta tuis quod pridem nata sub antris
  Sparseris in Gallos dira venena rudes,
Arva subinde fero dum Gallica milite comples,
  Auxisti damnis damna priora novis.
Scilicet hoc melius, quam si cervice repellas
  Iniicit en jamjam quod tibi Turca jugum.
Qui tibi Pannoniæ magna jam parte potitus
  Imminet, atque tuum spe capit imperium.
Sed magis ultorem manet hæc victoria Gallum:
  Germani, & Turcæ conteret ille caput.
Ocyus hanc tam fausta ferat quæ gaudia lucem
  Phœbus ab Eoo proferat orbe precor:
Qua justo Henricum per mille trophæa triumpho
  Teutonico tinctus sanguine currus agat.

Undique Parrhisiæ vectus spectabilis urbi
Tendat in amplexus mox, Catharina, tuos.
Tum fortasse gravi mihi fas assurgere plectro,
Magnaque Mæonia bella tonare tuba.
Interea mea nunc patrios pia cura Poëtas
Tristia Parcarum jura subire vetat.
Nam tibi, grande decus Latii Regina, dicatos
Sperat ab æterna posteritate legi.
Tu, mea musa tibi plenos dum texit honores,
Hæc tibi devotæ pignora mentis habe.

Ad Prosperum Vicecomitem.

Clara ducum soboles, quorum ditione sub ampla
Fluxerat, ingenti qua patet amne, Padus.
Quos velut innumeræ comitatæ in bella catervæ
Struxerunt valida mille trophæa manu;
Sic te Palladiæ cingunt quæ hinc inde cohortes
Æternum media dant tibi pace decus.
Hos, quorum pars magna tuo mihi munere, Vates,
Est data, tota quibus Musa lepore nitet,
Perlege: perlectis Flaccum dice que Tibullum
Nostraque dant reducem sæcula Virgilium.
Cum toties Latium vastarit barbarus hostis,
Ille solo exitium, non tulit ingeniis.

De Cargæ Carminibus.

Quid culta prodest carminis concinnitas,
Quid casta linguæ Romulæ observatio,
Oratio quid mille picta flosculis,
Si fœda amorum turpium lascivia,
Si dii profani, fabulæque inutiles,
Fœde pudicis obstrepentes auribus
Nugæ sonoræ versuum spectabilem
Luto nitorem turpius si collinant?
Hoc Carga fugit, puritatem carminum
Nil esse ducens, pura ni mens sit comes.

Docensque vates pro caduca gloria
Mundi, perenne cœli ut affectent decus.

De Jo: Francisco Bonbomo Episcopo Vercellensi.

Extinctum dum mente pia, docto ore, Bonhomus
Flet Christum, sacro pectore digna canens,
Hoc merito assequitur, redivivi ut numine Christi
Perfusus dempto gaudia fine metat.

De Hieronymo Amaltheo Poëta, & Medico.

Ut mentes hominum solaris dulcibus ægras
Verbis, sic herbis languida membra juvas.
Una manus citharæ nervos, nervosque virorum
Sedula concordi temperat harmonia.
Quattuor ut chordæ sunt, ut discrimina vocum
Quattuor, in quibus ars musica tota viget,
Bisque duo hæc nervi, numeri, candorque, leposque
Vivere plus una carmina luce jubent,
Corpora sic totidem ex humoribus, atque elementis
Constant, Pæoniæ est in quibus artis opus.
Quæ cum felici tractes Hieronyme cura,
E gemina geminus vi tibi surgit honos,
Sed dispar: peritura etenim qui corpora servas,
Carmina perpetuo non peritura facis.

De Jo: Bapt. Amaltheo.

Vivus hic antiquos Latio instauravit honores,
Mortuus antiquos abstulit, atque novos.

De F. Mario Molsa.

Tam lepido Tuscas coluisti carmine musas,
Itala quo studio tota juventa calet,
Tam docte citharam pulsasti Molsa Latinam,
Quam vetera aptarunt sæcula, nostra colunt:

Ut decus Ausoniæ merito dicare Camœnæ
  Illustrasse novum, restituisse vetus.

De Balthass. Castilioneo.

Ut patriam, sic ingenium, Musamque dederunt
  Fata tibi, sed non otia Vergilii.
Quod nisi castra fores regum sectatus, & aulam,
  Dum simul hos dextra, consilioque juvas,
Carmina tunc magni poteras æquare Maronis,
  Ut nunc ingenii pondere, sic numero.

De Joanne Cotta.

Qui Musas, Veneremque, Gratiasque
Vis cœtu socias videre in uno,
Hunc unum aureolum legas libellum,
Quo Musæ neque sunt politiores,
Ipsa nec Venus est magis venusta,
Nec gratæ Charites magis; quod ulli
Si fortasse secus videtur, ille
Iratas sibi noverit misello
Camœnas, Veneremque, Gratiasque.

Ad Petrum Bembum.

Historicus, vates, rhetor, celebrat, canit, implet
  Gesta, ignes, aures, ore, lyra, eloquio.

Ad Andream Naugerium.

Hic Naugerius ille, Martialis
Lascivi petulantiam perosus,
Et musas sine fine prurientes,
Læso cuncta quibus licent pudore,
Non jam virginibus, sed impudicis,
At castas voluit suas Camœnas
Hic Naugerius esse, sicque amores

Can-

Cantare, ut tenerum colant pudorem.
Hunc ergo pueri, puellulæque
Crebri volvite, quippe Martiale
Nec doctum minus, & magis pudicum.

De M. Antonii Casanovæ.

Dum priscos celebri memoras cum laude Quirites
Laude probas dignum te Casanova pari.

De Antonio Tebaldeo.

Sunt arguta quidem, sed pauca Epigrammata: nescis
Condiri modico fercula multa sale?

De Antonio Mario, ad Lectorem.

Hæc pueri, sed non puerili condita vena,
Perlege digna viro carmina, digna sene:
Virgilioque parem Marii spe concipe Musam,
Non alio Culicem luserat ore Maro.

De Lazaro Bonamico.

Quod nostrum in Latium priscæ revocantur Athenæ,
Quod viget eloquium, carmen, & historia,
Aurea quod studiis redierunt sæcula, totum
Hoc Patavi, debet Lazare terra tibi.

De Jo: Casa Archiepiscopo Beneventano.

Cetera turba Deum cœli tenet aurea templa:
Collibitum est Musis hanc habitare casam.

Ad Honoratum Fascitellum.

Citria mala tuæ, & quot flores Parthenopes, tot
Munditiæ versus sunt Fasitelle tui.

Ad Prosperum Vicecomitem.

Insubrum dum sceptra manu, aspirante tenebant
  Fortuna proceres, anguigerique duces,
Invicta virtute ducum res bellica crevit:
  Nullaque gens Martis clarior arte fuit.
Nunc eadem fortuna rota volvente vetustum
  (Proh scelus) in præceps abstulit imperium.
Hoc generose ducum Prosper de sanguine, Musas
  Exerces, summæ nobilitatis opus.
Hoc, quamvis Fortuna rotam vertatque, ruatque
  Impia, non poterit surripuisse decus.

DESCRIPTIO SENILIS ÆTATIS.

Idem argumentum tractarunt quatuor alii Poëtæ, Frangipanius, Fumanus, Parlistaneus, & incertus Auctor.

Mortis propinquæ nuntia
Pulsat senecta jam fores,
Canaque verticem nive
Conspergit: & frontis cutem
Crispat, profundos imprimens
Sulcos: & aridas genas
Pallore vestit buxeo:
Usumque minuens aurium
Vocis meatus obstruit:
Jugique luminum elicit
A fonte lippitudinem:
Unamque palpebram alteri
Jungit tenaci glutine:
Muccoque nares rancidas
Damnat perenni, & pulypo
Affligit usque: dentium
Ex ore vallum decutit
Balbo: salivam profluam

Derivat in barbam cavo
Graveolentis animæ de ſpecu.
Jam conſueto munere
Effeta noſtri corporis
Pars nulla fungitur ſatis.
Cæcutiunt enim vitro
Nunc deſtituta lumina.
Vox rauca: nec guſtus dapes
Selectiores appetit.
Omneſque concutit tremor
Artus: gravedo longius,
Nec tuſſis abſcedit comes
Moleſta: anhelitus frequens
Ab intimo hauſtus pectore
Jamjam receſſurum monet
Ægre retentum ſpiritum.
Quid ergo? an idcirco, trahit
Originem qui cælitus,
Divinus ille, ille, igneus
Vigor receſſit, intimis
Quem mi medullis inſerit
Cœleſtis aura ſpiritus?
Non illa non vis pectoris
Languente languet corpore.
At ſemimortua erigit
Hæc membra mens hæc vivida.
En optimuſque, & maximus
Rector rotundæ machinæ
Dextram labanti porrigit,
Et occidentes corporis
In mente vires ſuſcitat:
Suique amoris fervidos
In corde aculeos inſerit.
Clamore muto pectori
Meo inſuſurrans ad ſuum
Numen vocat, trahit, rapit.
Adſum pater o, adſum tuo
Sacro æſtuans cupidine,

Mor-

Mortalium rerum omnium, &
Ipſius immemor mei,
Solius at memor tui.
Tu dux, pater, rex, & Deus
Pronum, volentem, concito
Curſu advolantem ſuſcipe.
Jam corpus hoc ſibi grave,
Primæque matri debitum,
Quam cernuum in dies magis
Curvo intuetur vertice,
Suis refer primordiis.
At hunc vigentem ſpiritum
Divinitatis ad tuæ
Typum creatum, & dextera
Fictum tua, neceſſitas
Quem nulla mortis opprimet,
Luſtra benigno lumine.
Huic exeunti, terrea
Huic exuenti vincula,
Alas volucres applica,
Ut præpetis aquilæ modo
Suprema tranans nubila,
Humo relicta ſedibus
Tuis, pater, ſe immiſceat,
Tui fruatur perpete
Ut numinis præſentia.

Epinicion Christiani orbis Turcarum claſſe ad Naupactum profligata.

Quiſquis adeſt, imbuta ſacro cui pectora Chriſto,
  Cordaque non ficta relligione calent,
Quamque tener lymphis tinctus luſtralibus infans
  Induit, intrepidus pro pietate mori,
Nunc effuſa pio teſtetur gaudia plauſu,
  Nunc læta ter jo voce triumphe canat,
Nulla dies Chriſtum veneranti lætior orbi
  Solis ab Eoo ſuſtulit amne rotas:

Nunc demum intrepido vitales ducimus auras
  Pectore: nunc demum libera turba ſumus.
Cantet jo pæan merito lætiſſimus orbis:
  Heſperia periit claſſis Eoa manu.
Hactenus invicti celebratus nomine Turca,
  Poſſe malo diſcis vincier ipſe tuo.
Prævalidoque caput mutilatus perfide cornu
  Sentis victrices in tua damna manus.
Ergo miſer tanto frontem ſpoliatus honore
  Attolles truncum qua ratione caput?
Nos igitur ſpoliis populus cumulatus opimis
  Pergamus ſummo ſolvere vota patri.
Ante tamen caſtas purgent jejunia mentes:
  Labeque ſint omni pectora noſtra procul,
Quin agedum Divum ſacris advolvimur aris,
  Votiviſque micant thura Sabæa focis?
Cœlicolum imprimis grates perſolvere regi
  Cura ſit, & tali fundere voce preces.
Omnipotens genitor, ſummi cui ſidera Olympi,
  Humanumque genus, regiaque ima ſubeſt:
Cui chorus æthereus ſervit, menteſque beatæ:
  Qui populos placida juſtus ab arte regis.
Tu gentis delicta tuæ miſeratus, iniquo
  Noſtra jugo prohibes ſubdita colla premi.
Tu tumidam Scythici rabiemve, minaſque tyranni
  Comprimis, atque avidam ſanguinis uſque ſitim.
Egerat extremi vires qui Orientis & Indos,
  Gentis in exitium corda parata tuæ:
Cum conjuratæ noſtras reſcindere claſſes
  Cærula texerunt æquora mille rates.
Immenſum ferus ille animis invaſerat orbem,
  Cui fuerat tellus nulla futura ſatis.
Cujus inexhauſti fuerant pars ultima voti
  Cypria crudeli regna ſubacta jugo.
Jam Vaticani dementes corde ruinas,
  Romanoque rogum ſtruxerat imperio
Ebrius, & dulci fortuna quidlibet audax
  Sperare, & lætis caſibus uſque ferox.

Urbe

Urbe triumphata captivum ducere Tibrim,
  In ſua purpureos addere vincla patres:
Cuique pater geminas rerum permittis habenas
  Pontificem ſolio depoſuiſſe parans.
At tu ſancte parens ſortem miſeratus acerbam,
  Atque adverſa tuo fata propinqua gregi,
Proſpicienſque tuis tantam impendere ruinam,
  Nullus ut humana ſiſtere poſſet ope:
Veſanum invicta minuis virtute furorem,
  Aſſertorque tui ſtrenuus orbis ades.
Nam te auctore pii coëunt in fœdera reges:
  Pectoraque unanimi jungis amica fide:
Communem ut poſcant ſociatis viribus hoſtem,
  Qui viguit noſtra ſeditione diu.
Illinc emicuit noſtræ ſpes prima ſalutis,
  Sola hæc vincendi certa reperta via eſt.
Non humana modo conſpirant agmina, pennis
  Vecta ſed ætherea labitur arce cohors.
Hæc cruce ſignatis animos, vireſque maniplis
  Addidit: incuſſit ſed tibi luna metum.
Luna Parætonii ſignis quæ impreſſa Tyranni
  Non duraturi roboris omen eras.
Namque Deo, ducibuſque Dei, ventiſque ſecundis
  Gens pia lunigerum ſubruit agmen aquis.
Plebs igitur devota tibi, Rex, debita ſolvit
  Munera, quæ meriti eſt pars quotacunque tui.
Tu cape quos pietas aris tibi ſacrat honores,
  Et ſtudioſa tui ſuſcipe corda libens.
Nos nomen, laudeſque tuas celebrabimus, & cum
  Advehit Eoo Phœbus ab orbe diem:
Et medii poſtquam ſpatium eſt emenſus Olympi,
  Cum pars acta, manet pars obeunda viæ.
Nominis alma tui veniens præconia veſper
  Audiet, & medio lucida ſigna polo.
Tu modo ſancte parens felicibus annue cœptis,
  Orſaque divino lumine noſtra rege.
Nunc age læta Dei ſacris operata juventus
  Sumamus genio lætitiæque dies.

Nunc juvet Aſſyrio medicari rore capillos,
Ferreque odoratæ florea ſerta comæ.
Læta corymbifera frontem redimita corona
Tota cohors docili ter pede pulſet humum.
Optima nunc tellus, nunc formoſiſſimus annus,
Preſſa fluunt pleno pinguia muſta lacu.
Dicite jo pæan, & jo ter dicite pæan:
Occidit Ægæis barbara claſſis aquis.
Solenni lux iſta ſacro celebranda quotannis
Nomen ab æterna poſteritate ferat.
Ceſſet opus: tauri repetant præſepia feſſi:
Nec valido cultor pondere lædat humum.
Bellator poſitis veniat manſuetior armis,
Funereæ poſtquam conticuere tubæ.
Turba miniſterio ceſſet laxata remiſſo:
Et ſileant rauco jurgia longa foro.
Ignibus innumeris denſas arcete tenebras,
Ut niteat multa lampade clara dies.
Signaque lætitiæ populis arſura beatis
Expedit innumeras tollere ad aſtra pyras.
Jam tormenta gravi reſonent diſploſa fragore:
Turribus ex altis æra repulſa ſonent.
Vos pueri, innuptæque choros agitate puellæ:
Impediant nitidas florea ſerta comas.
Plauſibus & late vacuus circumſonet aër:
Concordi feriat ſidera voce ſonus.
Dicite jo pæan, & jo ter dicite pæan:
Occiduum ſubiit claſſis Eoa jugum.
Candida Relligio præclaris aucta triumphis
Erigit invicta parta trophæa manu.
Namque ea barbaricas violenta cuſpide pupp
Perculit, & Scythicas ardua fregit opes.
Undique conſpicuis volitat Victoria pennis,
Exultanſque ſuo nomine cuncta replet.
Fama per immenſum laudes diſſeminat orbem,
Noſtrorumque canit fortia facta ducum.
Sed cui non tacitum pertentant gaudia pectus,
Adfuit ut tanti nuntia fama boni?

Excutit ex humeris glaciem pater Apenninus;
Hirſutumque novo veſtit honore caput.
Formoſæ Dryadeſque, cavis & Oreades antris
Ancipites ducunt molliter arte choros.
Explicat Eridanus placidas manſuetior undas,
Cui premit humentes mollis arundo comas.
Turbaque natarum virides ornata capillos
Laſcivuum jactant per vada lenta genu.
Lætitia geſtit Rhodanus: lætuſque Garumna
Heſperium tumidas in mare volvit aquas.
Ipſe magis ſolito fulva ſplendeſcit arena,
Conſpicuoque fluit dives honore Tagus.
Quin etiam Actiaci ſtupuerunt littora ponti,
Undiſona & tanti conſcia ſaxa boni.
Ipſe pater pugnam ſenſit Neptunus ab antro,
Ærea dum motas machina terret aquas:
Et migraſſe ſuas tonitru miratus in oras
Uvida cæruleis extulit ora vadis.
Corpora ut aſpexit vaſtas fluitare per undas,
Milleque disjectas per ſua regna rates,
Sparſa natant ſummis dum fluctibus armamenta,
Dum Scythicus pelagus purpurat omne cruor:
Actiaci [dixit] cedant Auguſte triumphi,
Cumque ſuo mollis femina pulſa proco.
Helleſpontiacam cedat qui navibus oram
Junxerat, exiguæ præda futura manus.
Priſca ſuas taceat laudes plebs Romula, quamvis
Bis Pœno Siculas ſanguine tinxit aquas.
Omnia facta patrum ſileat verboſa vetuſtas:
En premitur titulis gloria priſca novis.
Te quoque magne pater pudeat ne cedere nato
Carole, cui domino ceſſit uterque polus,
Geſtave non pigeat nati majora fateri,
In regnis quotquot geſſeris ipſe meis;
Pars licet illa tibi fuerit non ultima honorum,
Venit ab immenſo quæ tibi parta mari
Tuque age majorum juvenis memoranda tuorum
Vincere ſic titulis nomina perge tuis.

Macte nova virtute, ducum generosa propago,
Præsidium Austriacæ dulce, decusque domus.
Surgit ab Hesperio celebris tua fama cubili,
Et superat rubri littora curva maris.
Te victor colit Hesperius: tibi decolor Indus
Præparat imperiis colla domanda novis.
Vindice te famulas sperat captiva catenas
Hellas & infandum deposuisse jugum.
Sic fatus, valido mox æquora vasta tridente
Impulit: & raucis tempora mersit aquis.
Tum simul Austriacum Nerei turba Joannem
Ingeminat, Triton personat Austriacum.
Austriacum sinuosa sono collisa resultant
Littora, & Austriacum saxa repulsa fremunt.

Hymnus in Christi Natalem diem.

Annua nascentis redeunt solennia Christi,
Dum sacra virgineo pondera ventre fluunt.
Cesset opus: sacrisque vacent exempta labori
Corpora: nam festa luce vacare decet.
Jam pecudes, fessique petant stabula alta juvenci;
Nec valido cultor dente fatiget humum.
Mitescat positis miles mansuetior armis:
Nec raucæ moveant aspera bella tubæ.
Sacra coronatis celebrentur mystica templis:
Urenturque piis thura Sabæa focis.
Hæc est alma dies nascentis conscia Christi
Sanguine tersuri crimina nostra suo.
Singula dum refero, linguis animisque favete,
Cur pius ætherea venerit arce Deus.
Quâ Titan rutilo conscendit in æthera curru
Ridet inexhausto veris honore locus.
Plurimus hic vitreis trepidat pellucidus undis,
Blandaque nectareus murmura rivus habet.
Hic querulis vacuas mulcet concentibus auras
Inter odoratum turba canora nemus.

Per

Per liquidum placidis volitat levis aëra pennis,
  Et florum æternas excitat aura comas:
Educat illa rosas, immortalesque amarantos:
  Et vario nitidum pingit honore solum.
Lactea perpetuis labuntur flumina rivis,
  Flavaque de viridi cortice mella fluunt.
Sponte sua tellus maturis canet aristis:
  Atque arbos nullo poma jubente gerit.
Nec tales olim felicia Gargara messes,
  Nec sata Trinacrii culta tulere soli.
Hæc inter primi vernantia rura parentes
  Ducebant lætos tempus in omne dies.
Nec tristes suberant morbi, nec lenta senectus
  Cogebat tremulo membra movere gradu.
Ipse quoque, æthereum mundi qui temperat arcem,
  Immunes dederat vivere posse necis.
Labificus tanto serpens invidit honori:
  Et tacita struxit callidus arte dolos.
Illius impulsu vetitum male credula pomum
  Obtulit ignaro femina prima viro.
Tum Pater imponens pœnas pro crimine, jura
  Vindicat imperii facta minora sui:
Tunc fortunatis fontes exegit ab oris,
  Et dedit irato talia dicta sono:
Quæ tibi, nostra nisi violasses jussa, perennis
  Adfuerat placido vita tenore fluens,
Nunc brevis, & multo venit ærumnosa labore,
  Ægraque per lethi mille trahenda metus.
Quasque benigna prius tibi terra ferebat inemptas
  Nunc dapibus pretium non leve sudor erit.
At, quæ prima meas temerasti perfida leges,
  Hæc te commissi pœna luenda manet:
Ne prius ex utero conceptus prodeat infans,
  Quam decies curvum luna retexat iter.
Mox paritura graves gemitu testere dolores:
  Ut jucunda minus sit tibi vita nece.
Dixerat hæc Genitor justa correptus ab ira:
  Et jussit triplices scribere dicta Deas.

Hinc

Hinc labor, hinc lacrimæ ſubeunt, hinc curva ſenectus,
  Ægraque conſumens corpora dira lues.
Semotique prius fati vis effera terris
  Incubuit, lentum corripuitque gradum.
Tantum letiferæ poterant contagia culpæ,
  Ut lueret patrum crimina poſteritas.
Primaque poſtremos tangebat culpa nepotes.
  Proh quam læſa ſemel numina magna nocent!
At Deus hanc hominum ſortem miſeratus acerbam,
  Noſque ratus dura conditione premi,
Collectaſque videns vectari in Tartara prædas,
  Quos prius artifici finxerat ipſe manu,
Conſortem ſtatuit natum demittere Olympo,
  Certa ſalus terris quo veniente foret.
Mox ſimulans agili corpus juvenile figura
  Ales ab ætheria labitur arce poli.
Atque ubi virginei ſucceſſit limine tecti,
  Nuntiat æterni maxima juſſa patris.
Hanc ſubit a ſummis demiſſus ſpiritus aſtris:
  Concipit & ſalva virginitate Deum.
Incorrupta pio complentur viſcera fœtu:
  Fœcundi verbum ſeminis inſtar habet.
Clara per obſtantes ſic ſe phœbæa feneſtras
  Fundunt illæſo lumina ſæpe vitro.
Contractam virgo ſic crimine virginis iram
  Expiat, humanum reſtituitque genus.
Cynthia jamque novem curru compleverat orbes,
  Ac prope nocturnos dena movebat equos:
Jamque dies aderat partus celeberrima ſacri:
  Caſtaque divinum membra gravabat onus.
Quem mare, quem tellus, quem non capit arduus æther,
  Auctorem virgo protulit ipſa ſuum.
Nec ſolitos ſenſit partu reſoluta dolores:
  Sed facile æthereum, ſponteque fluxit onus.
Purpura non artus texit, non ſerica veſtis,
  Sed nudam nudo corpore preſſit humum:
Hæc gremio excepit gaudens cœleſtia membra,
  Atque novo fovit gramine molle latus.

Ipſa etiam clari præſepia conſcia partus
  Credibile eſt tantis læta fuiſſe bonis.
Quin & aſellus iners, & pandi vector aratri
  Ante Deum curvo procubuere genu.
Læta hæc prima dies fulſit mortalibus ægris:
  Certior hac mundo cœpit adeſſe ſalus.
Hac igitur meritos templis cumulemus honores:
  Naſcentemque juvet concelebrare Deum.
Chriſte dicata tuo natali ſacra frequenta,
  Atque pias facili concipe mente preces.
Dexter ades: populique tui pius annue votis,
  Cordaque cœleſti lumine noſtra reple.

Ad Pa. Toſcanum Claravallenſem Antiſtitem, in ſequentem Hymnum Præfatio.

Dum nocturna vago volvuntur ſidera curſu,
  Noxque polum fuſcis vecta pererrat equis,
Ceteraque inviſas oblita animalia curas
  Languida jucundo membra ſopore rigant,
Facundi digitis quondam tractata Catulli
  Ipſe ſacros doceo plectra ſubire modos.
Alma ſalutiferæ modulatus gaudia noctis,
  Cui nitido par eſt lumine nulla dies.
Hoc tibi vix calida ſubductum incude Camœna
  Noſtra dicat, magni muneris inſtar, opus.
Forſitan & poſſim non parva dediſſe videri:
  Suntne aliæ, vates quas tibi donet, opes?

Hymnus II. in Chriſti Servatoris Natalem diem.

Huc, huc pergite virgines
Pudicæ, pueri integri, &
Florentem variis comam
  Impedite corollis.
Hunc natalitium diem
Voce pſallite tinnula:
Et puerperium ſacræ

Vir-

Virginis celebrate:
Hæc nam ſola puellulis
E mortalibus, integro
Flore virgineo, ſacri
Mater numinis audit.
Clarum cernitis ut micat
Lumen? advenit, advenit
Celſo ſpiritus æthere
Penna præpete lapſus.
Quo me ſancte rapis tui
Plenum mente nova? juvat
Intus ire per abdita
Puri myſtica partus.
O nox ſplendidior die,
Sole luna beatior
Circumfuſa micantibus
Stellis ora renidens!
Primæ vos tenebræ Deum
Ut orbis mala nubila
Fulgore excuteret ſuo,
Senſiſtis venientem,
Ut olim, Boreas ubi
Arvis horrifer ingruit
Concretas quatiens comas
Atris faucibus efflans
Nives, ſqualida partubus
Tellus orba gemit: jubar
Sol premit nitidum, caput
Septus nubibus atris:
Omnis triſtior it dies;
Torpent flumina: turbidus
Flet aër: brevis evolat
Lux fulgore maligno.
Sic &, primus ubi parens
Uxoris male credulæ
Ceſſit conſiliis, ſtatim
Fervens ira Tonantis,
Acriſque in miſerum furor

Mor-

Mortale incubuit genus:
Ex lux aurea subſtitit
  Paternæ bonitatis:
Tum prædam Cacodæmones
Furvas convehere in domos:
Nulli parcere ferreo
  Mors bacchata flagello.
Sic mœror, lacrimæ, dolor,
Malorumque cohors diu
Vitæ gaudia gentibus
  Invidere beatæ.
Nunc contra veluti levis
Auræ temperie ſolum
Perflat, cum Zephyrus putres
  Glebas ore reſolvens,
Lætis undique partubus
Aucta vernat humus: coma
Sol cinctum rutila caput
  Pulſis nubibus effert:
Omnis lætior it dies:
Rident flumina: limpidus
Aër enitet: aureo
  Lux ſplendore coruſcat.
Sedes haud aliter ſacri
Poſtquam deſeruit poli, &
Puros virginea Deus
  Artus ſumpſit ab alvo:
Vetuſtique hominis nefas
Expunxit novus hic homo:
Et labem putris integra
  Carnis carne piavit:
Mox immenſa benignitas
Supremi enituit Patris:
Effuſis amor inclitus
  Mox prorupit habenis.
Tunc mors mortua concidit:
Pravum deſtituit vigor
Hoſtem: ſervitii jugum

Liber exuit orbis.
Tum Pax, lætaque Fauſtitas,
Culpari & metuens Fides,
Certatim populis cohors
Venit grata bonorum.
Hæc mortalibus attulit
Chriſtus gaudia, deſerens
Ventris clauſtra. Quis huic Deo
Compararier auſit?
Vili ſtramine pauperis
Præſepî jacet, alta qui
Nutu ſidera temperat,
Gades frænat, & Indos.
Divorum ſacer alitum
Naſcenti Domino chorus
Plaudit: incita vocibus
Tellus icta reſultat.
Accurrunt hilari pede
Cuſtodes ovium: Deum
Infantem ſtipulæ rudis
Proni voce ſalutant.
Exemplo monitos juvet
Noctem dicere, clarior
Qua nulla Oceano dies
Lumen extulit almum.
Puellæ, ac pueri integri,
Ite concinite in modum:
Ad voces populi tui
Ades Chriſte ſecundus.
Ut lubentius audiens
Se citarier ad ſuum
Solenne, huc aditum ferat
Placatuſque, faveníque.
Rurſum carmine ſupplici
Puellæ, ac pueri integri
Alternate; ſecundus huc
Chriſte lumina flecte.
Flecte lumina: ſupplicum

Votis annue: qui tuum
Natalem celebrant tui
Affla numinis aura.
Quem mundus mage cælitum
Colat? cui ſua nuncupet
Vota? cuive Arabum ſtrue
Aras ſtipet odorum?
Fauſtas o utinam tuis
Præſtes dux bone ferias:
Addictaſque tibi bona
Soſpites ope gentes:
Ut, quæ nunc timidæ tui
Numinis fragilem colunt
Vitam, perpetis has tuæ
Vitæ munere dones.

De tormentis Domini Jeſu.

Crux Domini pendens libravit in aëre corpus:
Conciſa indignis eſt facies alapis:
Tres clavi fixere pedes, fixere lacertos:
Imbuit os ſacrum ſpongia felle madens:
Texta corona caput ſpinis penetravit acutis:
Vibicibus texit levia membra flagrum:
Sunt Chriſti tormenta, ſalus, & vita piorum:
Crux, alapæ, clavi, ſpongia. flagra, rubi.

Ad Henricum III. Gallorum Regem, dum ejus è Sarmatia adventus expeteretur.

Per bella dextræ mutua civicæ
Ruentis o ſpes unica patriæ,
Virtute defunctis create
Regibus ac geniture reges,
Henrice: mœſtæ jam nimium diu
Abes parenti, & concilio patrum,
Illiſque quotquot nulla cives
In proprios inimicat ira.

Tuo

Tuo cupitam dux populo bone
Lucem reporta, veris amabilem
Horam reducens: nunc aquosa
Sævit hiems premimurque nube.
Audax, Iberi trans maris æquora
Visendus orbis, quem studio, novus,
Allexit, auri, vel talentis
Cura inhians, nimis & cupido
Avara gazæ, navita Atlantico
Deprensus alto, cum rabies Noti
Luctatur in fratres, & imo
Astra ferens pelago lacessit,
Gemella vultu lumina pallido
Poscens, ut amplas ominibus preces
Admiscet, æternos supinis
Dum manibus superos adorat:
Sic te requirit Gallia, Sarmatis
Quem terra dulci distinet a domo
Experta prudentis sagacem
Sensum animi, validumque robur:
Simulque claris orta parentibus,
Et culta doctis artibus indoles
Quid posset: exemplisque facta
Ut veterum stimulent avorum.
Supremus at non arbiter annuit,
Diu per arva ut perpetua nive
Damnata regnes, jura reddens
Danubium prope flumen ortis:
Supplex alumnum sed repetit suum
Soluta crines Gallia lugubres:
Tu supplicis votis iniquas
Rumpe moras reditu secundo.
Ad regna pridem debita, Rex, tibi
Ades: furentes & populi impetus
Contunde, vesanumque Martem,
Qui miseras furiavit urbes.
Informe leges edomuit nefas:
Dum pœna vindex, & placidæ silent

Dum

Dum pacis artes: una mentes
Atra ciet furiis Erinnys.
Hinc alma terras funera Galliæ
Exoſa liquit cum ſocia Fide
Aſtræa: pollutis nefanda,
Relligio, Pietaſque, cæde
Conceſſit agris, protinus, heu nefas,
Audax Enyo, tum Superûm ferox
Contemtus, & Cupido avara
Sanguinis in ſcelus omne dextras
Obarmat. Ecquid dura nefarium
Refugit ætas? quid rabidus furor
Reliquit intactum? unde dextras
Continuit ſitiens metalli
Fulvi cupido? quas fera non manus
Evertit aras? quis ſolidas videns
Arceſque labentes, & urbes
Temperet a lacrimis? Sed omnem
In te reponit Gallia ſpem ſuæ
Salutis: æſtu corda tumentia,
Fluctuſque compones, & orbem
Conſtitues vacuum duellis.
Cuſtode rerum te validis furor
Audax habenis ora dabit: ſcelus,
Et triſtis armorum tumultus,
Terga dabunt inimica paci.

Ad Paulum Toſcanum.

Veris nuntius aurei
Lætas planities verſicoloribus
Jam diſtinguit honoribus
Jucundo Zephyrus flamine temperans
Auras: jam genitalia
Fœcundat vegetis ſemina partubus:
Ut nec fertilibus comæ
Deſint arboribus, garrula nec cohors

Hinc abſit volucrum, modos
    Fingentum tenui gutture tinnulos.
Rami floribus & novis,
    Culmis luxurians & teneris ſeges,
Quantumvis avidi, bona
    Spe lactans animos agricolæ fovet.
Intractabilis aſperi
    Nuper planities æquoris, horridis
Conjurata Aquilonibus
    Dum ſæviret hiems, nunc cupido lucri,
Ad commercia, navitæ
    Tutum pandit iter: canitie caput
Montes exonerant, novo
    Pingentes varium gramine verticem.
Sic certum variat ſtatis
    Annum temporibus provida mens Dei.
Inſtruxit quoque talibus
    Prudens ille hominum pectora motibus,
Ut grata vice tetrica
    Alternent placido ſeria cum joco.
Indefeſſa laboribus
    Nulli perpetuis vis manet: igneus
Titan cornipedes licet
    Ardentes ſtimulet non patiens moræ;
Quamvis flumina Nereo,
    Æterno latices vortice miſceant.
Haud mortalibus hic vigor
    Humaniſve tenor mentibus additus.
Clararum ſatur artium,
    Æternoque animus nectare marcidus
Cœleſtis ſapientiæ,
    Cum defeſſus hebet mentis acumine,
Mox teſtudinis aureæ
    Torpentem Aonides munere recreant.
Dulces Pieridum modi,
    Quanquam difficili bile Dieſpiter,
Succenſus tumet, igneas,
    Queis nimboſa furens nubila dividit,

Dextræ

Dextræ decutiunt faces,
    Turbatiſque redit luminibus nitor:
Et ſidunt furiæ, quibus
    Terras, atque fretum turbat, & æthera,
Et Ditis penetralia.
    Non ſiquid Calabram tacti Heliconidum
Oeſtro luſimus ad fidem,
    Vultu deſpicies turgidus aſpero,
O Toſcane decus meum,
    Solus digna meæ materies lyræ.
Nam ſe tota vovet tibi,
    Qualiſcunque quidem, debilis ingenî
Noſtri vena: nec auguri
    Ulla eſt Latoidæ pagina gratior,
Pauli quæ titulum gerit.
    Quod dulcem quatio pollice barbiton,
Nec me Terpſichore choris
    Poſtremum Lyricis annumerat, tui
Totum muneris eſt, favens
    Muſis qui apta meis ſufficis otia.

Ad Cæciliam Mediceam.

Ille & beati cardine ſub novo
Plagas repoſtas ætheris Indicas
    Viſurus, inde vel lapillos,
        Vel ſolidi petiturus auri
Fulvos acervos, cum Borea Notum
Deprœliantes, ac pelagi trucem
    Iramque, fluctuſque, impetumque,
        Et tumidæ rabiem procellæ
Tentabit audax & temerarius.
In lintre remex fluminea, tibi
    Qui ſtemma, virtutem, & relictos
        Innumeris ab avis honores,
Inſigne formæ qui in viridi decus
Ævo renidens, ingenium ſuis

Et majus annis ſperat apte
Diſpoſitis reſonare nervis.
Sed quis ſororum nunc Heliconidum
Afflata ſacro pectora numine
Permeſſio tinctus liquore,
Abſque nota ſceleris nefandi,
Nervos, & artem non tibi dedicet?
Novoque virgo tacta cupidine
Ut copioſis e viretis
Pollice præcipuos honores
Geſtamen æquævo juveni metit,
Laudum tuarum de cumulo legens
Inſigniores, flore frontem
Impediat tibi non caduco?
Narrans ut alto ſpiritus æthere
Beatus almi ex artificis manu
Delapſus in campos amœnæ
Venerit Inſubriæ feraces,
Lambri ad fluenta argentea lucidi:
Qui præter omnes angulus Italos
Arriſit: heroinæ & artus
Duxerit ex utero, ſecundis
Quæ ſola cunctas Auſonias nurus
Æquaret alti dotibus ingenî,
Formæque Naſcentem benigno
Lumine Mercurius, Venuſque
Spectavit, & te diva potens Cypri
Excepit ulnis, lumina lucidum
Fulgentia, ardenteſque malas
Terque quaterque ſuaviata.
Hinc ille fulgor purpureis genis,
Hinc ille claris luminibus decor,
Hic ſideris purum micantis,
Ille roſæ potior nitore.
Mox ora ſolvit [tunc Amor annuit,
Chariſque nodum ſolvere neſcia]
Mortalium nulli, ſed uni
Sis ſpecie mihi tu ſecunda.

Impu-

Impune nullus tam nitidos queat
Spectare ocellos: excubet in genis
Istis Cupido: Gratiæque
Sint comites tibi, sit Venustas.
Nullusque cultus dedeceat, liges
Simplexve flavam munditiis comam
Nodo, per oras sparsum odoris
Seu recrees humerum capillis,
Prodire seu te compositis juvet,
Mirentur omnes: seu dare brachia
Sit cura ludentem jocosa
Virginibus nitidis chorea:
Aut voce amanda reddere si modos,
Quos aurea testudine dividas,
Audita cunctis & stuporem
Incutias, placidamque curam.
His desinentem Cyprigenam nepos
Atlantis excepit citharæ sciens,
Catusque facunda silentes
Flectere voce Erebi colonos.
Suada præsens nectere aheneo
Jugo, efficaci nectaris ebrias
Liquore mentes, in decoris
Usque tuis sedeat labellis.
Jam nunc sonoram barbiton, & tibi
Jungenda nervis carmina, jam modos
Dabo canoros, Lambri aquosum
Queis valeas inhibere cursum,
Ad quos decentes ancipites choros
Udo frequentent Naiades pede:
Quos hauriant Panes acutis
Auribus, hircipedesque Fauni.
Sed quo meus me Cæciliæ rapis
Devotus ardor? parce, procaciter
Oracla recludens Deorum,
Magna levi tenuare plectro.

Ad Viventium Rubionem medicum, pro Soteriis.

Hic vivos mihi limpido
    Rores fonte puer ſtrenuus, hic merum
Parca depropera manu,
    Et mundæ Cereris liba: juvat reum
Voti cælicolûm bono
    Immenſoque ſacrum ſolvere debitum
Regi: funde capacibus
    Vernantem calathis cum viola roſam.
Suſpendiſſe virentia
    Sacro ſerta tholo nunc decet, ac pias
Inde melliſ odoribus
    Aras extruere. O qui vaga fulgidi
Orbis lumina temperas,
    En votiva tibi cantica ſoſpites
Ad curvæ ſtrepitum fidis,
    Promiſſi memores reddimus antea
Suſcepti, arida cum febris
    Artus indomitis carperet ignibus,
Ac turpis macies caput
    Defixum tremulo conficeret thoro.
Quam pæne Elyſium nemus
    Umbrarumque domos Mercurialium,
Et te vidimus, incliti
    Vates Dardanidæ, quem medium frequens
Gentis vulgus habet piæ,
    Extantemque humeris ſuſpicit arduis.
Sedes at tibi proximas
    Glebæ rarus honos occupat Appulæ:
Quo non plenius aureo
    Pulsavit Latiam pectine barbiton
Ullus: cuique decus fides
    Cedunt Æoliæ, plectraque Lesbia.
Felices animæ, quibus
    Æther purpureo lumine largior

Splen-

Splendet; fors etiam chori
    Veſtri parva forem pars: mea ni Deus
Jamiam ſtamina luridæ
    Diſcindentem acie cuſpidis Atropon
Dextra corripiens moras
    Ævi protraheret: ſcilicet invidæ
Ne vis præriperet necis
    Quod nuper Solymis carmen ad Italos
Deduxi numeros, pio
    Sic vati facilis conſuluit, catum
Te miſcere potentibus
    Demittens, Rubio, pocula pharmacis.
Quo non ditior artium
    Alter, queis Stagiræ civis in abditos
Naturæ penetrat ſinus.
    Quicquid docta ſacris præcipuum premit
Scriptis Græcia, ſedulus
    Conſervas memori corde reconditum.
Sed non carminibus minus
    Gaudes: ſola tibi carmina poſſumus
Donare: hoc precium ſalus
    Præſtanti capiet munere reddita.
Chartis non ego te meis
    Intactum patiar: nec meritis tuis
Obſtabit taciturnitas.
    Nobis ſiquid ineſt artis, & ingenî,
Si quid Melpomene juvat,
    Vivet longa tuo gratia muneri.

Ad Veſpaſianum Marinum.

Velox Armenium tigris in aſperum
Non ſic orba ſuis pignoribus ruit,
Fervens quam pietas præcipiti gradu, &
        Iræ miſtus agit dolor.
Nec Mauri peditis dextera tam cito
Trans finem calamos expedit impetu,

Quam nobis profugo vita suam brevis
Ad metam pede labitur.
Implacabilium stamina sed licet
Parcarum renuant, cui Charites favent
Vates trans positum ducere limitem
Vitam perpetuo valet.
Quod nec divitiæ, quas Arabum legit
Fortunata soli gens gravidi sinu,
Gemmarumve potest vorticibus rubri
Ponti quicquid inæstuat.
Ignotis nec avis quæ regionibus,
Qua currus proprius sol rutilos agit,
Auri pondera gens vectat Iberica
Duris nata laboribus.
Non vulgi indocilis sollicitus favor
Certans immeritis tollere honoribus
Indignos, rabido dente notans, velut
Præscribunt furiæ, bonos.
Non præstare potest gloria bellicæ
Virtutis: validi vivat Achillei
Quamvis fama loquax vertice sidera
Sublimi feriens adhuc.
Quamvis nec taceant sæcula filium
Audacem Veneris, non tamen hoc manus
Fecerunt avidæ sanguinis: at dedit
Felix Pegasidum favor:
Dura Pegasides cuspide vindicant
Fati præcipitis, munere destinant
Cantûs quem celebris cunque superstitem:
Seu claros memoret duces,
Seu laudanda gerens commoda venerit.
Musis materies: o ter, & amplius
Felix cui resonam tendere contigit
Vatis barbiton incliti.
Ergo grata tuis insere Pallados
Interdum studiis otia virginum
Illis, Vespasiane, æqua negotiis
Quæ te sollicitum tenent.

Quem

Quem nunc intima prorſus penetralia,
Naturæque ſinus implicitos juvat
Rimari, penituſque inſatiabilem
Nullus jam labor occupat.
Atqui ſæva Deûm fulmina dextera
Haud ſemper genitor diſcutit ignea,
Sed quam Latoides pectine temperat
Mulcetur citharæ modis.
Mavors quinetiam pulvere Thracio
Informes acies deſerit, ac feras
Haſtarum ſegetes, atque animum modis
Oblectat lyricis trucem.
Perſtant aſſiduis nulla laboribus,
Non ipſis ſuperis, pectora: ſed viget
In tempus ſtudium, quod ſpatiis breves
Alternis variant vices.
Sic olim ſoboles regia Pelei,
Poſtquam dextra ferox ſanguine Troico
Ubertim incaluit, pollice mox fides
Pertentans agili, refert
Heroum celebri carmine fortium
Exhauſta ancipiti bella periculo:
Ipſum quæ docuit Theſſalici ferus
Vates incola Pelii.

Ad Reginam Chriſtianiſſ. Regis Matrem, Galliæ pacatricem.

Regina, ſacri non juvenis modo,
Avita juſtis imperiis tenet
Qui regna maternis regenda
Non ſine conſiliis: habenas
Seu colligat, ſeu laxet: ab ultima
Sed quotquot ora Maſſalici freti
Ad littoris fines Britanni
Urbibus innumeris ſuperbum
Solum frequentant undique gentium,
Benigna mater: exitialibus

Quas

Quas invicem armis ſævientes
Fœdere non ſemel impetratæ
Pacis ligaſti: quæ indomitis jugum
Cervicibus mire excutientium
Frenans furorem inſanientes
Imperiis populos coërces.
Quæ dona ſolvet, marmora quæ tibi
Pacata ponet Gallia? quos tuis
Amica Muſis conſecrabit
Turba pares meritis honores?
Quæ gens, quis ordo, quæ plaga Galliæ,
Quis ſexus, ætas quæ tibi ſe neget
Debere, quod ſpirant duelli
Anxia corda metu ſoluta?
Delubra, pridem quæ poſuit pia
Cœli colonis relligio patrum,
Exhauſit at nuper nepotum
Acris opum ſitis, & Deorum
Contemtus, eheu, dum ſtolidus furor
In dedicatas ſævit imagines,
Germanicæ ne quid relinquat
Perfidiæ ſceleriſve inauſum,
Quod nunc ruinam non trepidant, preces
Quod conſuetas æthereo patri
Fas eſt litari, quod Sabæos
Ara frequens adolet vapores,
Regina totum muneris eſt tui.
Tu nunc vetuſtis pectora ritibus
Antiſtitum ſacrata paſſim
Enſe fodi prohibes profano:
Vitæque cenſus ſufficis annuos,
Quos ante dirus præripuit latro,
Myſteriis dum ſacroſanctis
Nec ſegetes neque vina linquit:
Pluſquam efferatæ frena licentiæ,
Qua ſævit hoſtis barbarus, iniicis.
Sibique prædæ deſtinantem
Gallica templa ferum relegas

Cœli perosum numina Teutonem,
Miscere flammis omnia cui foret
Lusus, nefanda quem cruentum
Per scelus omne rapit libido.
Tibi maritus debet, adulteri
Erepta quando militis e manu
Colit cubile nupta castum
Jam sobolem paritura certam.
Secura virgo consiliis tuis
Intacta servat gaudia nunc suo
Sponso: Deoque consecratum
Sacra puella colit pudorem.
Quæ Martis inter bellica classica
Dudum silebant, cum potior foret
Injuria æquo, nunc coërcent
Jura nefas ope restituta
Tua, & sagaci mentis acumine,
Quod corpore est in femineo tibi
Virile, condignam probatque
Progeniem Medicum te avorum.
Nam subditis quod tu populis paris
Secura totis viribus otia,
Exosa quod duella, pacis
Artibus imperitas, avitum
Hoc ceteris præ laudibus obtines:
Hoc ipse Cosmus maximus, hoc sagax
Laurentius florentis urbis
Nomineque, imperioque habenas
Rexit, quibus non inferior tua
Virtute, major sed titulis, pie
Cognata decertare ferro
Signa vetas, monitis amicis
Mulcens tumentes viribus, ebria
Placansque Martis corda cupidine:
Ut mollis imber prœliantes
Æolios juvenes refringit.
Nam quid malorum, te sine, Gallia
Non pertulisset, cum segetes equus

(Ceu

(Ceu prata tonderet) novellas,
Spem miseri meteret coloni,
Famemque nostris urbibus annuam
Indiceret? cum lanigerum pecus,
Matresque plus lupis timendus
Cum vitulis laniaret hostis?
Sed quis malorum mille nocentium
Narret figuras? quis lacrimas, graves
Et Galliæ mœstæ ejulatus
Carminibus numeret trecentis?
Nunc ipsa grata quæ in melius vice
Regina mutas, auspiciis tuis
Pro luctibus risum, serena
Gaudia pro gemitu reportans,
Agrosque reddens frugibus uberes,
Et sacra templis, jusque suum foro,
Et conjuges viris, colono
Spemque bonam pecudesque abact.
Gymnasiorum, quæ situs indecens
Jamiam occuparat, restituis decus:
Et nuper artes quæ jacebant
Nunc docilis repetit juventa.
Tu namque doctas insolito feri
Martis tumultu Sequanicis plagis
In Thespium montem fugatas
Cum Clario revocas sorores.
Non, fronde quamvis Mercurialibus
Viris dicatâ nomina duceret,
Parensque dici litterarum
Promeritus fuerit tuorum
Laurens avorum grande decus, sacra
Lauro revinctis frontibus adfuit
Præsentius numen, piorum
Te columen, Catharina, vatum
Vates foventem præmia nec manent
Caduca: sed dum merget Iberico
Sol gurgite axem, dumque Eoo
Cardine iter releget diurnum,

Qua-

Quacumque currus ille agitat, decus
Musis amici nominis, & tuos
Per ora diffundent honores
Dispositis fidibus Camœnæ:
Dicentque clara te Medicum domo,
Quæ ab usque Athenis ducat originem,
Novæ editam luci in virenti
Margine lene fluentis Arni,
Urbem secantis gentis amabilem
Etruscæ ocellum, quæ gremio tuam
Puertiam fovit, Minerva
Dum studio Charitesque alumnam
Formant pudico, & dant sapientiæ
Cœlestis oris par decus, & graves
Mores, vel invitus necesse
Quos habeat celebrare Livor.
Formæ quibus tot, pectoris & bonis
Puer medullis regius intimis
Exarsit, & mœrenti ab Arno
Vexit ovans patrias in oras.
Pulchræ parentem quem sobolis fera
Heu falce præceps abstulit Atropos,
Quot Galliæ funesta bella,
Quot miseras paritura clades!
At ille nulli flebilior licet
Abrupta sensit stamina quam tibi,
Tuque ægra langueres acerbo
Parte tui viduata fato:
Tamen malorum fluctibus integræ
Non ille mentis succubuit vigor,
Constantis aut infracta cessit
Vis animi, Medicum propago
Qua sævientis pertulit impetus
Et sortis omnes instabilis vices.
Sed ipsa pectus imminenti
Obiicis impavidum procellæ,
Quæ fluctuantis dum freta Galliæ
Multos per annos miscuit, omnibus

Ipsa

Ipsa artibus, natis tueris
Sceptra tuis soliumque avitum:
Detrudere illos quo temeraria
Vi moliuntur aulibus æmulæ
Gentes Giganteis, parato
Ipsa animo nisi restitisses.
Non, Musa, non hæc nænia gaudis,
Obducta tractans ulcera, convenit.
Nunc conticesce, vel jocoso
Lætitiam modulare versu.

Ad Gilbertum Genebrardum Theologum, & linguæ sanctæ Regium professorem.

Gens prisca vatum, Cynthius annuit
Quibus Diones jugera libero
Gressu pererrare, haud caducos
Dum capiti legerent honores,
Seu forte digno pectine fortium
Pectus virorum non timidum mori
Cantabat, aut partos honores
Ancipitis mala per duelli:
Seu parva jungens carmina tibiæ
Pugnata dixit prœlia noctibus,
Formæ decentis dum caducum
Laude decus celebrat perenni:
Quidquid canebat, Gratia dummodo
Cultis faveret carminibus, Deûm
Æquare sortem se, beatis
Carius hoc Arabumque gazis
Habebat unum: pauperiem malam
Ac dura vitæ incommoda negligens,
Si fonte nunc artus salubri,
Nunc gelido recrearet antro.
Hac ipse vana captus imagine
Ementientis nec solidi boni
Per Thespias olim salebras,
Ardua vel juga per Palatî

Musas sequebar, dum tenet Appulæ
Stupor camœnæ, neç juvenem satis
Firmum & sequacem grata haberet
Compede me Venus impeditum.
Donec Calypsûs illecebris diu
Capto, marinæque hospitio Deæ
Sic desidenti, ut mente prorsus
Immemori patria excidisset:
(Non illa duris rupibus aspera
Domus, sagacis quâlis Ulyssei,
Felicitate sed perenni
Patria Christicolis fruenda)
Cyllenius ceu missus ab æthere
Turpem veternum sensibus excutis,
Viroque dignas Christiano
Mente jubes agitare curas.
Nam non caducæ cum sapientiæ
Captum viderem te studiis, tuæ
Menti, pium quotcumque possit
Artibus ingenium beari,
Abesse nullam; protinus intimis
Exarsit ingens visceribus pudor:
Horasque deflevi profanis
Tot studiis male collocatas.
Quid culta produnt carmina, pectoris
Morbum furentis præter? & impia
Quid dæmonum (haud enim Deorum)
Nomina tot, nisi sentientem
De trino & uno non bene numine?
Quid fabulæ, & præconia principum
Conficta, nonne mentiendi
Vatibus esse negant pudorem?
Ast o beatum cœlitus insitam
Quisquis superne partem animæ erigens
Deum intuetur, eque sacris
Noscitat hunc, Genebrarde, chartis.
Quascunque Moses ore prius Dei
Promptis notavit legibus, & lyræ

Davi-

Davidicæ, atque oraculorum,
Enthea quæ cecinere corda
Vatum piorum, pervigil eruit
Senſa e tenebris myſtica: nec ſatis
Aut Græca ducens aut Latina
Quod terat aſſiduo labore,
Ipſa Hebreorum ſacra volumina
Verſare quærit, fontibus hauriens,
Haud e lacunis: quo recenti
Ipſe opifex homini dediſſet
Sermone linguam ſolvere nil prius
Voce eloquutam: particulam luti
Cum ſpiritûs ſui ſupremus
Ipſe parens animavit aurâ.
His omne, deinceps addere quod Deus
Decrevit ævum, me ſtudiis juvet
Dicare, virtuti tuæ dum
Me ſimilem, Genebrarde, fingo.

Ad Gul. Lovatium Theologum.

Summi parentis præcipuum decus
Mortale cœlo concilians genus,
Quos me remotos in receſſus
Relligio rapis inſolentem?
Jam noſtra juſto plus tulit impotens
Virtutis ætas neſcia lucidæ,
Damnoſa florentis juventæ
Cum titulos Venus occuparet.
Ergo veternum ſenſibus expedit
Contaminatis excutere improbum:
Vigor per auras expeditæ ut
Mentis eat petiturus arces
Cœli beatas, æſtuat, æſtuat
Sacra edoceri ſpiritus orgia:
Jamiamque cœleſtis vagari
Mens trepidat Sophiæ per hortos:

Illic

Illic perennes educat aureo
Fons imbre, dulci in gramine, flosculos,
Quos nec malignum adurit astrum,
Vis madidi neque difflat Austri:
Gratus tepenti sed Zephyrus fovet
Auras nitentes flamine temperans:
Nam veris æternum virentis
Conspicuo locus ille honore
Viget beatus: quo domitrix fero
Mucrone carpens omnia, luridis
Mors quæque prosternens sagittis,
Frustra aditum petulans retentat.
O quis recessus dux mihi ad abditos
Monstret benigno munere semitam:
Mortalibusque non frequenti
Limina trita solo recludat!
Jam te, potentis cui facilis Dei
Patere jussit cuncta benignitas,
Virtusque, Lovati, parata
Ingenii studio vigentis,
Cunctis statutum est artibus insequi
Nullis parato parcere viribus,
Si tempus exsomni labore
Forte queam reparare lapsum.
Quod fessa si vestigia vertice
Firmare sacro, si dabitur sitim
Sedare cœlesti liquore,
Atque avidas recreare fauces,
Jam tum popelli despiciam rudis
Qui corda inanes sollicitant metus:
Nec fata ducentes sorores
Stamina ut accelerant timebo.

Ad Gerardum Vaxim.

Duplicis Vaxi fidicen Thaliæ,
Ore seu Grajam ad citharam rotundo

Perſonans, priſcis canis invidendum
Carmen Achivis,
Seu laboratis epigramma chartis
Inſerens ſparſum Latiali aceto,
Dulce ridenti ſimilis timendum
Stringis acumen,
Seu per audacis numeros Thaliæ
Verba devolvens operoſa nervis
Pangis, & manes Calabri poëtæ
Deripis Orco.
Non vides quanto moveas periclo
Plectra? cum Mavors ferus, & flagello
Ferreo Bellona ruat per agros,
Quaſſet & urbes
Galliæ, lævis maleque ominoſis
Conditas urbes avibus: ſceleſtus
Cum ſuis letum ſtruat, heu nefas heu,
Civibus hoſtis.
Omnis en ſævo furiata bello
Et ſenex ætas ruit, & juventus:
Civicæ immanis populos procellæ
Abripit æſtus.
Quiſquis & ferrum jugulo caduci
Patris infando tepefecit ictu
Ille ſublimis ferit Aſtra diro
Lætus honore.
Quippe fraterno maduiſſe dulce eſt
Sanguine: at punctum tulit omne, caſtum
Qui ſacerdotis violavit atra
Cuſpide guttur.
Jamque crateras, tripodaſque ludus
Eſt penetrali rapuiſſe templo:
Virginis ſacræ violaſſe laus eſt
Summa pudorem.
Siccine infames reparare terras
Miſſa gens tetrum ad ſcelus eluendum
Cœlitus, pulchræ cooperta velo
Relligionis,

Corrigis nostri vitiosa sæcli?
Sicque labentem pietatis omnem
Erigis cultum? viane hæc Olympi
Ducit in oras?
Qui regis mundum Pater, & corusco
Impios vindex jacularis igne,
Mitte jam telum trifidum: nefandam
Prorue turbam.
Cernis en, quantis tua gens procellis
Mergimur jamjam, nisi tu secundus
Arceas gentis miseræ imminentem
Vertice cladem.

Ad Jo: Poterium, Terrassium.

Divûm parenti Dardanius puer
Cœleste nectar marmorea manu
Miscere præfectus, caducæ
Damna parum metuens senectæ,
Frænat citatos fluminibus vagis
Pigro meatus frigore vinciens:
Et cogit humores fluentes
Durius Oebaliis metallis.
Jungit sonoris ille Aquilonibus
Fœdus furenti flamine personans
Terras procellosumque pontum,
Sæva parans ratibus pericla.
Immittit in fœtas penetrabile
Sidus malignum planities gelu,
Et collium gratos honores,
Atque comas nemorum perurit.
Mortalibus quin exitiabile
Desævit astrum corporibus; gelu
Nunc membra tentat: nunc oberrans
Horror habet glacialis ossa.
Veternus omnes occupat: & silet
Ardor remissus nunc operum: sat est

Si luculentus nunc nivoſi
Vim Boreæ prohibet caminus.
Vaxis tamen nos imperioſior
Jubet reſumpta ſepoſita chely
Aptare virtutes Poteri
Ad citharæ numeros jocoſæ.
Sed plectra voci conſona dum ſuæ
Movere nervis diſpoſitis paro,
En uſque diſcordes repugnant
Apta fides ſociare verba.
Contraxit ipſas ſcilicet aſperi
Vis ſæva chordas frigoris, & gelu
Pervaſit in dextram: micantque
Segnius articuli rigentes.
Non invocatus Pieridum favor
Præſto eſt roganti: nec Clarius deus
Reſpondet: hunc Muſaſque amœna
Rura tenent tepidique colles.
Ergo, Poteri, carmine nobili
Dicemus olim ſtemma tuæ domus
Illuſtre, gentileſque miſſos
Innumeris ab avis honores,
Nec non vetuſtum ſplendidius tuo
Fulgore ut ornes ipſe novo genus:
Virtus ut annos, indoleſque
Spem cupidi ſuperet parentis.
Aſt illa prorſus materies gravi
Sonanda plectro, quam faciles tibi
Primo Camœnæ ſint ab ævo
Artibus egregiis polito.

Ad Gerard. Vaxim, ſuadens Davidicos Pſalmos illi carmine exprimendos.

Commune Phœbi pignus, & aureas
Nectunt decenti quæ violâ comas,
Teſtudo Muſarum, beati
Sæpe manu tremefacta Vaxis:

Sepo-

Sepone, quæ nunc pectora vellicant,
Quæ delicatis ignibus ustulant
Nymphæ Camœnas, feriata
Idaliis numeris quiesce.
Justa datum plus parte Cupidini est:
Flammas Gerardi posteritas leget:
Viventque commissi calores
Vaxiados fidibus puellæ.
Nam plectra tantum doctaque cultaque
Semper moveri est turpe humili sono:
Ingens, laboriosa chartis
Materies venit inserenda.
David decoram fatidicus tibi
Prætendit amplo carmine lauream,
Artemque, nervosque, impetumque,
Haud minor Aonio poëta,
Virtute major, qua duplici duo
Vatis meretur nomine nomina,
Et fata recludens futura,
Pieridumque agitatus œstro.
Huc ergo, veræ dextera quo vocat
Te laudis aura, huc perge volens, Deo
Juvante: teque Christiani
Finge parem titulo poëtæ.

Ad Laurentium Toscanum patruelem meum.

Ne, Laurens, cupidum plus nimio tibi
Pectus sollicitent divitiæ, tuis
Auri attentus acervos
Dum natis properas pater.
Quamvis non Arabum gens opulentior
Te baccis cumulet divitis Indiæ:
Et differta laboret
Gazis arca tuis minor:
Non quales deceat postgenitis opes
Dimittens, vacuâ cum steterit colo

Olim Parca, premetque
Lethi dira neceſſitas.
At mentes potius ſunt ſtudiis rudes
Formandæ ingenuis, dogmataque auribus
Inſtillanda tenellis
Cœleſtis ſapientiæ.
Nam torno facili raſile cum recens
Vas prodit, nimium ſcilicet intereſt
Nardo hunc divite tingas,
Tetri fæcibus an gari.
Hunc cenſum teneræ ſedulus, hunc para
Theſaurum ſoboli, quem nequeat mala
Regum auferre libido,
Nec ſortis rapiant vices.

Ad Pe. Benedictum.

Indictus ergo carminibus queas
Abire noſtris? nec ſibi pagina
Præſcribet ulla dulce Petri
Nomen adhuc, meritoſque honores?
Non cura ſolers hoc meruit, rude
Qua pectus annis in teneris meum
Sermone formaſti, artibuſque
Egregiis utriuſque linguæ.
Nec plus aquoſæ ſemifero Deæ
Proles magiſtro debuit: Orphei
Linus nec accuratiore
Ingenium ſtudio refinxit.
Quamquam potentes edocuit modos
Fluctus recurvare in caput: & cavis
Audita truncis, & ferarum
Carmina quæ traherent cohortem;
Finxit recentum queis hominum feros
Ritus, canoræ fila movens lyræ,
Vates beatus: quippe votis
Rite ſuis dociles modorum

Sor-

Sortitus aures. Haud ita virginum
Mentes amicas hæc ſtudiis ferunt
Fœcunda prolis ſæcla dirum
Omne nefas animo moventis.
Nunc indecoras, vis Genii ſui
Quoſcumque ad undam Pieridum rapit,
Tractamus artes: nunc honores
Theſſalicæ periere frondi.
At ſiquod inter perpetuas mali
Ævi tenebras lumen amabile
Solertis ingenî refulget,
(Quale tuum Benedicte, claris
Reconditarum dotibus artium
Inſigne) præſens numen habebitur
Mihi illud, accedetque noſtris
Materies operoſa chartis.

Ad P. G. Vaxim.

Strophe I.

Vaxi, qui montis bifidi aërio
Conſides cacumine, per varios
Vectus labores, dum celebri invigilas
Gloriæ: longo meritos ſtudio
Nunc colligis fructus abunde,
Percipieſque magis,
Ubi ruperit ſevera
Stamina Parca manu,
Metamque laudati tibi
Siſtet ævi, At ipſe more
Debilis atque paluſtris avis
Stagna perſtrepentis, &
Circa lacus pervoli-
cantis, & raucum gementis.

Antistrophe 1.

Te volatu subsequor haud facili
Alitem Phœbi procul auricomi,
Te, cujus udo gutture nectarea
Fingitur vox, quæ potis est hominum
Mulcere mentes ac Deorum.
Barbitos Aonii
Tibi vatis attributa est,
Pollice quem stupuit
Dirce retentantem modis
Grandibus nervos sonantes.
Ille ruit veluti fluvius,
Arva qui vicina
Undis tegit vertice
Montis excelso volutus.

Epod. 1.

Gleba sed quem protulit Appuliæ
Vatem Latini carminis,
Hic. gelidus veluti
Argenteis qui vorticibus trepidat
Per nemus fons, irrigatque
Gramine, floribus atque auricomis
Depicta prata. sic fluit.
Te carminis Ausonii
Nunc participemque simul video
Grajæ Camœnæ: sæculi
O dulce præsentis decus, &
Clara laus urbis, patriique soli:
Prima Musis cura duplex.

Strophe 2.

Ergo qui colles, colis, & gelidum
'am nemus Cyrrhæ, Venerisque t

Hor-

Horto cacumen non procul a viridi,
Fert ubi reſponſa ſui genito-
ris fulminatoris, draconis
Terrigenæ domitor,
Pede non firmo ſatis dum,
Me arduum iter Lyrici
Labore Dircæi gravi
Subleva ſenſim ſequentem,
Cruraque neſcia verticis, in
Quo ſacer ſedet latex,
Certo gradu dirige:
Ac jugo me ſiſte ſummo.

Antiſtrophe 2.

Atque da fatis procul a miſeri
Subtrahi vulgi: celeri celebrem
Quem Fama ſupremas Jovis uſque domos
Evehit pennâ, beat atque polo,
Non ille ceu torpens adulter,
Solus in eximiis,
Aliis Trojam vocatis,
Qui domibus jacuit,
Deſes manebit ac iners:
Laudis at flagrans amore,
Curriculo celer ut ſonipes
Fertur amplo gloriæ
Succenſus ardore, quo
Pone ceteros relinquat;

Epod. 2.

Ille ſic laudum ſtimulis agitur,
Audax pericla perpeti
Ardua: namque feri
Certaminis mox eluit egregium
Palma ſudorem. eque falso
Redit adorea mox nectareum.

Ta-

Talis paternas impiger
Sedes pede qui tetigit:
Cujus vi Acheronta labos, Stygii
Perrupit & atra Jovis
In regna, mercatusque domos
Cœlitum: quem posteritas celebrat,
Sed nec ullus assequetur.

Strophe 3.

Nescit at vulgi malesana rudis
Mens, in atris ancipites tenebris.
Nam virginis quid significent choreæ
Noctilucæ, quæ ambiguum per iter
Nunc cæca fertur, nunc renidens:
Quæque agili pariter
Pede pulsant, hanc sequuta
Lumina noctivaga,
Convexa cœli: nuntiet
Quid Canis sidus malignum.
Haud aliter quoque contigit his,
Qui se acuto culmine
Consistere existimant;
Quem novem colunt sorores.

Antistrophe 3.

Qui putant & Cyprigenæ virides
Se recessus jam penetrasse Deæ.
Ast ipsa portas non aperit temere
Diva: sed siquis bene promeruit,
Fert ille sudatos honores.
Qui validum Æacidem, &
Cecinit Trojæ duellum
Nobile, talis erat.
Atqui sororum Hyantidum
Sacra frigenti, ac remisso
Qui studio celebrant, veculi

Ut

Ut molossi belva
Rictus inertes fugit,
Sic eos vano labore

Epod. 3.

Se aucupantes gloria destituit.
Quis nempe nequicquam cupit
Nomina protrahere
Suprema post fata, atque rogi cinerem,
Juppiter nisi superne
Adsit amicus, & adsit studium,
Cui durus it comes labor?
Hasta, gladioque ferox
Nympha Oceanitide progenitus,
Semel quievit ut virûm
A cædibus, tunc Æmoniam
Barbiton curas quatit attenuans
Ipse vates, ipse miles.

Prosopopœja Adriani Turnebi ad Academiam Parisiensem.

Quid juvat infestis liventia tundere palmis
Pectora? quid sparsas dilaniare comas?
Tristia quid tremulas rumpunt suspiria voces,
Imbre rigante genas, imbre rigante sinus?
Quo cultus abiere tui? cur squalida mœres?
Fundis & in sævos irrita verba Deos?
O mihi quæ dulci fueras, Academia, vitâ
Carior, atque animi sedula cura mei.
Excute sollicita conceptos mente dolores:
Et nimium longis fletibus adde modum.
Non semper mœstas ducit Philomela querelas,
Nec soror æterno carmine luget Ityn.
Memnona Thaumantis, nec cærula mater Achillem,
Orphea nec semper Calliopea gemit.

Sic

Sic ubi densa diu texerunt nubila solem,
 Ille iterum puro lucidus orbe redit.
Jam nihil est tibi me cur lamenteris ademptum,
 Cui steterat vacua Parca severa colo.
Fata manent omnes, & inevitabilis hora,
 Non expectato quæ venit atra pede.
Nam quæ dispensant mortalia fila sorores
 Non exorato pollice pensa trahunt:
Quippe semel quæ concordi cecinere tenore
 Hæc stabilis rerum terminus usque probat.
Non si natus erat Phœbo Rhodopejus Orpheus
 Reppulit auricomi fata parentis ope:
Prona licet patrio cohiberet flumina cantu,
 Mulceret rigidis aspera corda feris:
Ausus & ire viam viventibus inconcessam
 Lurida Threiciis moverit antra modis.
Sed quamvis tetigi vix limina prima senectæ,
 Cum mersere meum tristia fata caput:
Attamen intrepida morientia lumina mente
 Fatiferæ telum sustinuere Deæ.
Scilicet egelidos animus cum linqueret artus,
 Solamen menti dulce Camœna fuit:
Ingeniique mei partus, quibus esse superstes
 Ipse mihi, & fama vincere fata queo:
Præterea dulces, cum cara conjuge, nati,
 Actaque inoffenso vita serena gradu.
Non ego Calvini volvens monimenta nefandi
 Dispersi in populos dira venena rudes.
Nec dulci patriæ, nec templis impius hostis
 Armavi rigidas in sua fata manus.
Sunt etiam nostræ non parva levamina menti,
 Quod mea non Stygias umbra subivit aquas.
Lurida non errant nostri per littora manes:
 Nec sudata ferox exigit æra Charon.
Nec me Cerbereus triplici latratus hiatu
 Tartarei regis territat ante fores.
Innumerove trahens sinuosa volumine terga
 Hydra minax cæcos arcet adire lares.

Non

Non ego Sisyphii summo de vertice montis
    Irritus in præceps saxa voluta peto.
Nec Phlegethonteo ferventes gurgite lymphas
    In cava fallaci vasa labore fero.
Non mihi Lethæas fugientia poma per undas,
    In mediove fugax quæritur amne liquor.
Porrective novem campi per jugera lati
    Intima inexpletus viscera vultur edit.
Nec patior diri sævos Ixionis orbes,
    Versatus rapidæ vinctus ab axe rotæ.
Aspera Tisiphone brevibus torquata colubris
    Non quatit in nostrum torta flagella caput.
Nec fera Titanum metuo discrimina, nec me
    Conclusum æterno carcere Corys habet.
Virutem non ille locus, mentesve beatas.
    Nec capiunt manes impia regna pios.
Ipsa mori immeritis virtus pia regna recludens
    Nobile semoto tramite tentat iter:
Vulgares procul hæc cœtus fugientibus alis,
    Lucidaque affectans sidera temnit humum.
Huc rediit, fragiles ubi liber spiritus artus
    Exuit: hic solida prosperitate fruor.
Hinc video septum septenis orbibus orbem,
    Astraque conspicuis lucida vecta rotis.
Intueorque vago lustrantem signa meatu,
    Sidera qui mundum per duodena regit.
Et circunfusas densa caligine terras,
    Et quanta exiguum nocte prematur opus.
Denique cuncta latent vestros quæ numina visus,
    Illa patent oculis conspicienda meis.
Ergo agite indignos de me compescite luctus:
    Ut mala constanti vestra leventur ope.
Scilicet humanos mens est infusa per artus,
    Ut fortis valido pectore tela ferat.
Cordaque difficiles animis superantia casus
    Inclita perpetuæ laudis honore vigent.
Parva licet, longo crescit jactura dolore,
    Et male perpessum fortius urget onus.

De-

Denique flere aliquid nullo reparabile luctu,
Est animi nimium desipientis opus.

Ad Hieronymum Fracastorium.

Qui Fracastorium titulo fortasse negabit,
Quem vati tribuit pagina nostra, parem,
Aut non Pieriam gustaverit, ille Marone
Quæ dempto nulli vena secunda fluit:
Aut si gustarit, nec mecum sentiat, ille
Jam penitus gustu, judicioque caret.

Ad Angelum Politianum.

Barbariem hic Italis princeps exegit ab oris,
Cùm vox in Latio nulla Latina foret.
Idem pannosas, & olentes rura Camœnas
Jussit in antiquis pergere munditiis.
Italiæ & Musis debent, Ciceroque, Maroque:
Huic Musæ, & Phœbus debet, & Italia.

De Jacobo Sadoleto Episcopo Carpentoractensi.

Molsa velut teneri, sancti ut Cortesius oris,
Tertius es Mutinæ tu Sadolete nitor.
Tertius haud tamen ipse gradu, nec tempore: quando
Vos studiis ætas una eademque dedit:
Illorumque licet neutrum Mutina ipsa tulisset,
Ampla satis patriæ caussa nitoris eras.

De Aonio Paleario.

Aonio Aonides Grajos promsere lepôres,
Et quascumque vetus protulit Hellas opes.
Aonio Latiæ tinxerunt melle Camœnæ
Verba ligata modis, verba soluta modis:
Quæ nec longa dies, nec (quæ scelerata cremasti
Aonii corpus) perdere flamma potest.

De

De Julio Camillo.

Te, Latiæ, Tuſcæque Lyræ laus prima Camille,
Monſtroſi ingentiſque repertor clare Theatri,
Illa cuï cedunt ſeptem miracula mundi,
Garrula quæ tumido jactat ſermone vetuſtas,
Biſquinam nondum explentem trieterida, acerbum
Abſtulit heu fatum: & vetuit mortalibus ægris
Indoctæ mentis denſas arcere tenebras.

De Hippolyto Capilupo.

Non ſatis heroo eſt ſuperas quòd Mantua verſu,
  Ni Calabræ parias æmula plectra lyræ?

De Jacobo Bonfadio.

Haud minus intumuit nuper Benacus alumni
  Bonfadii, ac Muſis culte Catulle tuis.
Bis tamen infelix: rapuit nam Roma Catullum;
  Bonfadium letho das ſcelerate Ligur.
Genua Bonfadium quamvis, & Roma Catullum
  Abſtulerint; doctos non rapuere modos.

De Paulo Manutio, ad Lectores.

Creditis hunc ſolùm ſtudiis clareſcere Tullî?
  Virgilio Paulum cernitis ecce parem.

De Petro Myrteo.

Matris Acidaliæ deducens nomina myrto,
  Petrus Acidalio tincta lepôre canit.

De Gabriele Faërno.

Calliope legeret numeros cùm forte Faërni,
  Emerſitne mari Comicus Afer? ait.

De

De Lælio Capilupo.

Quæ tibi non tellus cedat tam divite vatum
  Proventu, innumeris Mantua sola ferax?
Utque alios sileam, quorum tibi fonte perenni
  Vena fluit, Minci fertiliorque vadis:
Quis neget hoc mirum, reliquis ex urbibus unum
  Nullam, Vergilios te genuisse duos?

Ad Jo: Poterum.

Quæ tibi munditiis simplex Elegia, Potere,
  Venit inornatas irreligata comas,
Deseruit nuper scopulosi flumina Loti
  Nuntia Toscano missa jubente tibi.
Si confecit iter fortassis lenta: movere
  Non potuit claudos ocyus illa pedes.
Neglecti fuerit quæ cultus caussa rogabis:
  Posset ut infidas tutior ire vias.
Qualiscumque quidem, nec fallunt omina vatem,
  Adfuit hæc animo grata, Potere, tuo.
Hoc sperare tuæ me candor mentis, & illa
  Ingenua facies simplicitate jubet.
Atque animos nodo qui nostros perpete vinxit
  Par Genius, studio dedita Musa pari:
Et dulci alloquio longos fallentia soles
  Tempora, ducta simul quæ meminisse juvat.
His ego, quam dextra cornice, aut oscine corvo,
  Certius, & liquidis auguror auspiciis,
Ante rotas pelago mergendas solis Eoo,
  Quam nostra exciderit pectore Musa tuo.
Illa jocos oblita, animi argumenta sereni,
  Ingemit, heu, nostrum flebile discidium.
Quin funesta tuo digressu, & Vaxis alumni
  Amissum queritur terra Cadurca decus.
Cernimus arboreæ turpatos frondis honores,
  Graminaque in mœsto decubuisse solo:

Tur-

Turbatis Lotum triſtem decurrere lymphis,
  Pampineas colles depoſuiſſe comas.
Nempe ſimul comites vobiſcum abſcedere Muſas,
  Et Charites profugo vidit abire gradu.
Atque ſibi reliquum nugas nil præter inanes,
  Atque graves voces, barbariemque meram.
O potius ſociis per ſæva pericula ituris
  Additus, & veſtri pars quotacumque forem,
Quam ſic ingratus pariter Phœboque, mihique
  Incolerem mœſtum mœſtior ipſe ſolum.
Forſitan unanimis comes haud indignus amicis
  Mœnia viſiſſem juncta, Garumna, tibi.
Te nunc Tectoſagum colerem lux rara ſenatus
  Teraſſi, generis digna corona tui.
O pater haud virtute tibi ſortite ſecundum,
  Spem patriæ natum, ſpemque decuſque domus,
Sed quid vota juvat jactare tot irrita Cauris?
  Difficili ſpatio diſſita terra vetat:
Et prohibet bacchata gravi Bellona flagello,
  Quæ quatit, heu, Gallæ ditia rura plagæ.
Infelix quæ civili colliſa duello
  Mœſta gemit telis vulnera facta ſuis.
Scilicet hoc patriæ fortes in funera dextræ,
  Quæ foditis ferro viſcera veſtra truci,
Inſanæ cupiiſtis, ut illa invicta, diuque
  Formido populis Gallia finitimis,
Extera quam numquam fregerunt bella, ruinam
  Ipſa ſibi acciret viribus uſa ſuis.
Nec tamen armorum furor, & vis effera Martis
  Officiunt ſtudiis, culte Potere, tuis.
Pallados aſſiduus vigilas in munera noctes,
  Doctaque Pegaſeo pectora fonte rigas.
Hinc tibi Celtarum claras diffuſa per urbes
  Inſomnis merces fama laboris erit.
Nec diverſa manent Lotæum præmia cycnum,
  Qui pars eſt animæ dimidiata tuæ:
Quique Garumnæas vocali pectine ripas
  Perſonat, & liquidas verſu inhibente vias.

Subdere plura libet: ſed languida dextra, volentem,
  Deſtituit, ſummum deproperatque, Vale.

Ad Cadurcum; de M. Chavveto Præſide Toloſano.

Terra corymbifero multum dilecta Lyæo,
  Urbs & Aquitani pulcher ocelle ſoli:
Quam Lotus hinc illinc ſinuoſo flumine lambit:
  Cincta racemiferis ad latus omne jugis:
Vaſconico vicina, Petracorio, atque Ruteno,
  Contigua Arverno, Lemovicumque ſolo:
Cedere Palladiæ tantum dignata Toloſæ,
  Sic tamen, exiguo vincat ut illa gradu:
Quam foris alma Ceres, Bacchuſque opulentat, Apollo
  Intus, & Aonio juncta Minerva choro.
Felix ſorte tua: inſtructus niſi fraudibus hoſtis
  Mœnibus inſultet nocte dieque tuis.
Artibus aſt artes, vim viribus ipſa repellis
  Flore potens juvenum, conſilioque ſenum.
Sic tu ſæpe duces manibus poſt terga retortis,
  Et figenda ſacris poſtibus arma refers.
At non perpetui armorum, bellique tumultus
  Impediunt artes, terra Cadurca, tuas.
Jam neque templa ſacro cultu, ſanctiſve tribunal
  Legibus, aut docta pulpita voce carent.
Nam tibi ſe reddit nuper tua cura Roaldus,
  Et deſiderium, nunc tibi clarus honor.
Romanæ lux hiſtoriæ, juriſque Roaldus,
  Deliciæ Charitum, Pieridumque decus.
Nec tibi Gregorius ſtudioſæ norma juventæ,
  Utque ævo Vaxis, ſic gravis arte, deeſt:
Tres doctrina illis numero nec diſpare, quorum
  Juſtinianeus prodiit arte liber.
Cetera quid referam, numeroſo plurima verſu
  Quæ tibi Chavveti plectra ſonora canunt?
Chauveti, auguſtæ quem curia celſa Toloſæ
  Suſpicit, & quo ſe præſide jactet habet.

Cu-

Cujus, ut hoſpitii breve munus prodiga penſet,
  Te nunc æterno carmine Muſa beat.
Muſa cothurnati numeros quæ ſæpe Maronis
  Exprimit, & Calabram provocat arte lyram:
Condiat ut grato Chavveti ſeria ludo,
  Jucundis curas decipiatque modis.
Pro quibus æterno devinxit amore Cadurcum,
  Chavveti ut ſemper nomen, & omen amet.
Quam non contentus modo ſimplice laudis honore
  Ornare, antiquis urbibus æquiparat.
Grande quidem meritum, quod nulla obliteret ætas,
  Laudati ornari laude lyraque viri:
Majus eo tamen eſt meritum, bene multa precatur
  Civibus ad ſummum vox quod amica Deum:
Nam ſacræ leges ſi ſunt, qui præſidet illis
  Ille ſacerdotis non levis inſtar habet.
Cujus nulla cadant pia vota caduca Cadurco:
  Urbs ſit ut in longos ſalva futura dies.
Talia ſunt veteres ſoliti non irrita patres
  Ad ſibi præſentem fundere vota Deum.
Sic natis Abraham, natis benedixit Jacob:
  Proſpera quæ proli vota fuere ſuæ.
Nec dubitanda fides, quin Præſidis omnia tanti
  Ad ſuperos pondus ſint habitura ſuum.
Gaudeat ut quondam votis non uſa caducis,
  Chavveti, a gravibus tuta Ducona malis.
Sic vetus Alcides Telamonis in arce receptus
  Reddidit hoſpitii præmia magna ſui.
Nam fuit antiquis qui mos, ſervavit & illum,
  Ut bona verba ſuis diceret hoſpitibus.
Cumque puer natus Telamonius hoſpite tanto
  Tunc præſente foret, non ſine mente Deûm:
Sit proavis ſimilis virtute, & viribus infans:
  Dixit: & a læva fulva volavit avis.
Alitis auſpicium placuit: puer alitis Ajax
  Nomine teſtatur vota probata ſuo.
Sed tamen eventus tandem magis illa probavit,
  Non ullum plagis corpore dante locum.

Herculis indiſtrictus erat fortiſſimus Ajax
Votis, & factis in ſua vota ratis.
Indiſtricta pii votis precibuſque Cadurcum
Chavveti (ſi non omine fallor) erit.

Elegia.

Colle ſub aprico, qua ſe viridiſſima curvo
Æquora ſummittit vallis in ampla jugo,
Silva vetus fagis, & denſa conſita quercu
Summovet intonſi torrida tela Dei.
In medio ſpecus exeſo cava pumice pendet,
Et molli tellus muſco adoperta viret.
Impediunt frutices aditus: ederæque vagantur
Flexipedes intus liberiore gradu.
Fons latices ſcabra manantes undique topho
Excipit: arguto murmurat unda ſono:
Huc illucque vagis ſerpens anfractibus unda
Gramineam tenui gurgite rorat humum.
Frondibus hinc denſum nemus, illinc muſica flabra
Indicunt rapidis æſtibus exilium.
Hac ego dum ſpatior nemorali ſolus in umbra,
Et tacito mecum pectore multa loquor:
Blanda fatigato curis, æſtuque, ſoporem
Perſuadet leni murmure lympha crepans.
Ergo ubi decubui muſcoſo feſſus in antro,
Occupat irriguus languida membra ſopor.
Mira canam, ſed vera canam, quæ ſomnia menti
Obverſata animum detinuere meum.
Tunc mihi compoſito cultiſſima femina vultu
Venit, Apollinea fronde revincta caput.
Veſtis erat pictis variata coloribus, almam
Quot Zephyrus verno tempore pingit humum.
Mille modis poſitos partim diſtincta capillos,
Partim neglectas irreligata comas.
Alba reluctantes cohibebat vitta papillas,
Radebat longo ſyrmate palla ſolum.

Cui

Cui non greſſus erat, non cultus, non color unus:
  Grataque ſe variis intulit ipſa modis.
Quoque magis mirere, illi non parva decoris
  Gratia contemtus ipſe decoris erat,
Sive gravi paſſu veſtigia lenta trahebat,
  Majeſtas lentos eſt comitata gradus.
Seu celeri jaculo vel turbinis ocyor alis
  Emicat, intacta eſt mollis arena pede.
Quin etiam claudo, memini, veſtigia greſſu
  Moverat a vitio gratior ipſa ſuo.
Mox ubi mirantis variæ ſpectacula formæ
  Ornatu ſenſit lumina capta novo,
His ſtupidi ſenſus ea vocibus interrupit:
  Nectareus roſeo fluxit ab ore ſonus.
Qui tibi molle (inquit) dubia formidine pectus
  Pertentant, vanos excute mente metus.
Non hic, quem timeas, cultus, non forma, nec ætas:
  Lætitiæ, paciſque omnia plena vides.
Sum Dea, quæ dulcis nuper tibi læta juventæ
  Tempora florenti detinui ſtudio:
Quæ multis vano tentata labore Poëſis
  Quos libuit claro laudis honore beo.
His ego te excepi venientem in luminis oras
  Ulnis, hoc fovi membra tenella ſinu.
Balbaque Pegaſeo diffudi nectare labra:
  Diſtinxique rudes in ſua verba ſonos.
Mox etiam chordis indoctæ diſſona vocis
  Correxi, & ſegnes inſtitui digitos:
Ut præſigne feras, ſeu forti pectine nervos,
  Seu tenui malis increpuiſſe, decus.
Pro quibus officiis quos nunc ingratus honores,
  Quæ mihi pro claro nomine dona refers?
Scilicet ingenium ſtudiis avertere noſtris,
  Et potes Aonios deſeruiſſe choros.
Vix ea deſierat, cum frondes omne caducas
  Inſonuit ſtrepitu decutiente nemus.
Mox procul humana ſpecies auguſtior almæ
  Virginis ambroſium fudit ab ore jubar:

Ac vera inceſſu patuit Dea, purius auro,
  Et cultu gemmis ſplendidiore micans.
Utque ſoror radiis fraternis cærula cedit,
  Sic prior illa novæ eſt victa nitore Deæ.
Ergo (ait) incautos æternis callida nectes
  Illecebris, dulces docta Poëſi dolos?
Et juvenum mentes lactabis perfida, vanum
  Pro ſolidæ oſtentans laudis honore decus?
Non erat hoc nimium, quod ver tibi prodigus ævi
  Imputat, & primæ tempora militiæ,
Iſtius niſi ſervitio imperioſa maligno,
  Perpetuoque jugo ſubdita colla premas?
Nec tamen evinces: nam duris colla catenis
  Solvimus: excuſſo nunc petet aſtra jugo.
Ut Sophiæ deinceps vigeat cœleſtis amator,
  Et cedat ſtudio Muſa profana pio.
Dixerat: illa Deæ dictis pudefacta ſeveræ
  Evolat in rapidi turbinis acta modum.
Sacra mihi æthereo Sapientia perculit œſtro
  Pectus & æterno torruit igne jecur.
Quæ ſimul ex oculis liquidas ſublata per auras,
  Diſcuſſuſque meo corpore ſomnus abit.

Ad Paulum Toſcanum.

Cum perſæpe animo meo volutem
Quo te, Paule meum decus, meorum
O auctor, columenque commodorum,
Donem munere: quid potiſſimum, ne
Ingrati videar notam ſubire,
Obtuliſſe queam: nihil pote unquam
Mi ſuccurrere, quod tibi dicetur,
Obſervantiæ ut id perenne noſtræ
Eſſet mnemoſynon: tibin' beato
Donem divitias? at ipſe me ultro
Beaſtique opibus tuis beaſque.
Mittam carmina? mittere hæc poëtam

Fas

Fas eſt: ſæpius hæc & ipſe miſi:
Sed nonne hæc tua ſunt, tuo parata
Aere jam tibi ſumptibuſque largis,
Quibus me, teneris ab uſque, claris
Curaſti ſtudiis probe expoliri?
Reſtat ſolum animus: tibi at dicatus
Hic pridem fuerat, tuuſque totus.
Quis ergo ſupereſt, niſi ut putemur
Ingrati? at nihil hoc mage indecorum:
Hanc ergo ut maculam caveamus, ipſa
Quamquam nunc tua ſunt, fuere & olim,
Opes, muſam, animum tibi dicamus.

Ad Lectorem.

Carmina ſi tantum laudas facunda Catulli,
  Vel perfuſa pari ſi qua lepore madent:
Et ſi faſtidis vatem, quem protulit alta
  Bilbilis Heſperio proxima terra freto:
Pone precor chartas, levis eſt jactura, jocoſas:
  Non mea ſubducti eſt Muſa ſupercilii.
At ſi Borbonios, ſi volvis amice Marullos,
  Non adeo ſunt hæc deteriora: lege.

Ad Jo: Auratum.

Quod tu, ſive Epico tonas cothurno,
Sive aptas Elegis leves amores,
Seu ſales Epigrammatum jocoſos
Promis, ſeu numeroſiora plectro
Jungis verba, tibi ſecundat orſa
Cyrrhæus, nec Hyantiæ ſorores
Ulli dexterius favent poëtæ,
Hoc cum Mæonide tibi, & Marone,
Et cum Callimacho, & ſimul Tibullo,
Cum civi Calabroque, Lesbioque
Commune eſt, aliiſque cum trecentis.
Sed quod Gallia quotquot eruditos

Fecundo ediderit ſinu poëtas
Acceptos referat tibi, tua omnes
Hos induſtria finxerit, laboſque,
Aurate, hoc proprium eſt, tuumque totum,
Qui poëmata, qui facis poëtas.

Ad M. Antonium Muretum.

Certamen, Murete, novum: te Gallia civem
  Aſſerit hinc, illinc terra Latina ſuum.
Quem nunc implentem Romana Palatia voce
  Eloquii priſcum reſtituente decus
Attonitus ſtupuit poſt ter ſibi ſæcula quina
  Tibris, inauditos dum bibit aure ſonos.
Te mea Roma ſuis cum nuper civibus ultro
  Annumerat, gaudens talia verba dedit:
Terra mihi tales Lemovix dum mittat alumnos,
  Nil moror Arpinum, municipeſque ſuos.

Ad Laurentium Toſcanum allegoria.

Arbor beata, diis amica, ſurculis
Duobus aucta floridis tenellulis,
Non flaccidis, non languidis, ſed vividis,
Sed maſculis, ſed quos amica ſiderum
Benignitas, cœlique temperies ubi
Grata educarit, & virenti accreverit
Vigore adultos, hinc & inde brachia
Frondoſa pandent uſque ſiccitudinis
Expertia: & Tuſcam columnam, innititur
Noſtræ vetuſtum cui domus faſtigium,
Silvæ inſtar hinc & hinc inumbrabunt ſuis
Ramis: at illis inſidebit fulminis
Ales miniſtra, & armiger ſummi Jovis
(Res monſtruoſa, & omnium præter fidem
Sed vera) claves unguibus quæ argenteas
Geſtat recurvis, clauſtra regiæ quibus
Reſerat Deorum, & auream cœli domum,

Fortunet iſtam duplicem propaginem
Cœleſtis aura numinis: nec torridum
Adurat aſtrum, peſtilenti aut ſpiritu
Venenet Auſter, quin amico lumine
Phœbuſque luſtret, mollis imberque educet:
Lætis onuſti ut fructibus lætæ tibi
Dulcis ſenectæ condiant feſtos dies.

Ad Violantem Peregam, Laurentii T. uxorem.

Eſt Laurus arbos omnium pulcherrima,
Indecidivæ quæ decus ſervat comæ.
Hoc deeſt ſed illi [ut eſt nihil mortalium
Uſque abſolutum] floribus non pullulat.
Juncta ergo Lauro ipſa es viola florum decus:
Tuoque munere ipſa Laurus florida eſt.
At queis carebas ipſa contra fructibus,
Illos benigna Laurus impertit tibi.
O ſancti amoris inclitum miraculum!
An hoc pote eſſe quid magis mirabile?
Fructifera viola eſt, eſtque Laurus florida.

Ad Petrum Benedictum.

Auſonii exemplum eloquii Benedicte fuiſti,
Sed linguæ doctor tu mihi Cecropiæ.
At demum Hebræam nunc te monitore capeſſo;
Exemplum, monitor, doctor & ipſe mihi es.

Ad Octavianum Citadinum, Canonicum D. Petri Romæ.

Si Citadine tibi quantum debere fatemur,
Tantum a me tibi, perſolvier ipſe velis,
Quamvis fortunaſque tibi, ingeniumque, animamque
Largiar, ipſe nihil perſolviſſe putem.

Ad Franciſcum Citadinum Caſtrenſem Epiſcopum.

Tunc etiam Præſul, dudum qui noſtra Thalia
Hæſit at an doctus an vocitere pius:
Tene putas noſtris intextum vivere chartis
Poſſe? quis huic Muſæ plus tribuiſſe queat?
Quæ Lethes ſi funereas perrumperes leges
Poſſit, & a longa poſteritate legi;
Non tunc ingenio vivent tua nomina noſtro,
Sed genio vivent Carmina noſtra tuo.

Ad Cæſarem Tuſcanum.

Cæſar nec ſtudiis mihi, nec ævo
Diſpar, ſanguine juncte, juncte longo
Uſu, juncte animoque, corculoque,
Et quidem teneris id uſque ab annis:
Sub uno quibus & magiſtro uterque
Vitam duximus, & domo ſub una,
Cum nos menſulaque una, lectuluſque
Unus exciperet. Sed id deeſſe,
Id demum poterat ſatis videri
Diſpar: quando ſacræ mihi dicari
Vitæ contigerat, tibi profanam
Sectari: ergo foret tibi una cauſſa
Ne diſcriminis & mihi, ecce noſtrum
Exemplum ſequeris: Deo dicaris.
Ergo quid ſimile eſt magis, gemellum,
Conjunctumve magis, magis quid unum?
Cui ſuit Pyladi cuive Oreſti
Quam nobis melius beatiuſve?

Ad Antonium De-la-rue, Quæſtorem Regium.

Antoni, ſua quem virtus, & principe dignæ
Mentis ad illuſtrem vis tulit alta gradum:

Tu

Tu facis, ampla tuis meritis dum præmia confert,
Lumina Fortunæ ne quis abesse putet.
Hanc tamen haud verear posthac ego dicere cæcam,
Dona nisi accumulans uberiora datis,
Inque dies veluti crescit tua vivida virtus
Inque dies, tibi opes augeat, atque decus.

Ad Jacobum Corbinellum, cum Dantis librum de lingua vernacula edidisset.

Ut vili atque rudi sub arundine prima saporum
Gloria, prima dapum, sacchara tecta latent:
Non modo quicquid apes per Hymettia rura laborant,
Sed valeant epulas quæ superare Deûm:
Sic vili, atque rudi sermonis cortice Dantes
Doctis sensa viris quam placitura tegit!
Corbinelle tibi hæc debetur gratia: tu das
Mellaque quod gustu vincat, & ambrosiam.

Ad Balthassarem Tolsam Mathematicum nulli secundum.

Non nos fortunæve bonis, formave decora,
Vanave quo nimium pectora honore calent,
Non cursuve pedum, validæ vel robore dextræ,
Distamus sola sed ratione feris.
Hoc ipse ingenii solertis acumine Tolsa
Præstas: hæ tibi opes, hæc tibi forma, hic honos.
Hac igitur. qua cuncta viris animantia cedunt,
Est tibi fas reliquos vincere laude viros.

Ad Martialem Campanum, qui a sicariis in subjectum stagnum dejectus manibus, pedibusque quadrupes constrictus, Dei miraculo sospes evasit.

In scelus ultoris quantæ sint numinis iræ,
Innocuæ quantus sit pietatis amor,

Edi-

Innumera antiquæ ſuperans miracula famæ
  Edita res nuper prodigioſa docet.
Dum Campane tibi cœlo terraque negata
  (Quis credat?) ſub aquis mira reperta ſalus.
Nec tamen hoc viſum ſummo ſatis eſſe parenti
  Pæne quod amiſſa dat tibi luce frui:
Sed magis ipſe probet quo ſe pietatis amantem,
  Præmia dat votis uberiora tuis.
Facti clara ſui longum monimenta per ævum
  Dum jubet Auratæ plectra ſonare lyræ.
Sic te, corpus aquas, oblivia mergere famam
  Dum vetat, a gemina vindicat ille nece.

Ad Petrum Antonium Jacominum.

Hic ubi tecta ſecans bifido diſcrimine pontum
  Latus in Arct um Sequana volvit aquas,
Ut neque Tyrrheni ſuſpirem Tibridis amnem,
  Nec deſiderio macerer Arne tui,
Tu Jacomine facis: Romanos ipſe lepores
  Sufficis, & quicquid Tuſcia culta ſapit.

Ad Antonium Datum.

Galla exercetur tua cum facundia lingua,
  Parriſia in media crederis eſſe ſatus.
Sed patrio quoties promis ſermone lepores,
  Te Florentino de genitore probas.
Si Gallogræcos priſci dixere Quirites,
  Quis Tuſcogallum te vetet eſſe mihi?

De Jo: Poterio.

Quis novus hic radiat formæ præſtantis ephebus,
  Levia cui fulgent tempora? numquid Amor?
Altera tela faces atque altera tela pharetram
  Ferret: an eſt Phœbus? non gerit iſte chelyn.

Anne coloratis remeavit victor ab Indis
 Bacchus? Baſſaridum non agit iſte choros.
Doctus eques, doctuſve pedes prorumpere in hoſtem
 Aut geminus Caſtor, Caſtoris aut geminus?
Non hic fertur equo, non cæſtu innectitur armos.
 Idæus terris an puer ipſe redit?
Hæret inexpleto ſemper comes ille Tonanti.
 Num nam Hermes? talos non habet hic volucres.
An Pallas ſeſe juvenili obnubit amictu?
 Non haſtam, horrificam Gorgonave iſte gerit.
Quem tandem ipſe vocem? procerum de ſtirpe Poterum,
 Octo qui dotes unus habet superûm.

De Virgine Mantuana.

Poſtquam virgo ſuas raptori cedere vires.
 Et periiſſe omnem perdita ſenſit opem;
Incorrupta tuo tu Mincî flumine membra,
 Tu ſine labe animum ſuſcipe ſumme Parens:
Dixit: & audaci ſeſe fortiſſima ſaltu
 In Mincî rapidas præcipitavit aquas,
Quantumvis te Roma ſuam, Lucretia, jactet,
 Sitque tuum celebri nomen in ore frequens:
Pulchrum eſt ereptum ferro penſare pudorem:
 Pulchrius eſt ſalva virginitate mori.

De Cæcilia Medicæá virgine.

Hanc faciem, hos oculos, hæc labra, hæc lactea colla
 Quis tam conſpicuo pingit honore? Venus.
Quiſve comas tenues flaventi interlinit auro, &
 Dat fidibus vocem jungere? Deligena.
Quis grave, quicquid agat, quoquo veſtigia movit
 Dat decus, hanc furtim quod ſequitur? Charites.
Quis face ſuccendit flagrantia ſidera, quiſve
 Arcum illic, illic ſpicula condit? Amor.
Et, quæ tam tenerum complet ſapientia pectus,
 Quis dedit hanc? ſummi filia tota patris.

Quis

Quis mellita fluunt roseis quæ verba labellis
  Eloquio tingit divite? Mercurius.
Quis tibi non cedat, propriis quam dotibus augent,
  Hermes, Pallas, Amor, Gratia, Apollo, Venus?

Aliud.

Sive ego Cæciliæ perlustro lumine crines,
  Implicitum nectunt aurea vincla animum:
Sive genas Pario fulgentes marmore, & ostro
  Purius, accendit flammea vis animum.
Seu risu ventos, tempestatesque serenat,
  Dulcis alit miserum spes, refovetque animum.
Seu cœleste vagos radiantes vibrat ocellos,
  Mille modis fodiunt ignea tela animum.
Seu liquidas auras cantu demulcet, & aures,
  Perfundit suavi nectare vox animum.
Seu roseis citharam digitis pertentat eburnam,
  Concentus captum ducit in astra animum.
Implicat, urit, alit, pungit, demulcet, inescat,
  Crine, genis, risu, lumine, voce, manu.

Ad Aloysium Crocejus Medicum.

Temporibus fuerat quæ contemtissima priscis
  Crux sceleratorum pœna nefanda virûm,
Hac postquam eversum Divûm parer optimus orbem
  Sustulit, humanum restituitque genus,
Æternum nostræ servat monimenta salutis,
  Majorique nihil mundus honore colit.
Est Cruce parta salus animis: qui corpora servas,
  Jure salutifera de Cruce nomen habes.

Ad Guilielmum Lovatium, Theologum, cum ad eum, Psalmum, Miserere, a nobis versum mitteremus.

En, Guillelme, melos Jessæi nobile vatis,
  Expressit Latiis quod mea Musa modis.

In-

Inventis (dices) glandem quis donat ariſtis,
  Fert latices, Bromius cum generoſus adeſt?
Ipſe Caledonium nobis præſtare poëtam,
  Et fateor Phœbo dexteriore frui:
Qui tamen interpres non curat fidus haberi,
  Dum nimis eloquio conſulit, & numeris.
Nos ſic exigua dicamur ſerpere vena,
  Me penes ut conſtet relligioſa fides.

Ad Carolum Urbinum pictorum noſtri ſæculi facile principem.

Carole, cui pictas ars eſt animare figuras,
  Sponte cui rerum cedit amica parens:
Ipſe tibi Michaël artis miracula ceſſit,
  Quo vagus imprimis Arnus honore tumet.
Ipſe venuſtatem dedit ingens fama Metauri,
  Ætatis Raphaël altera palma ſuæ.
Hæc tibi, quæ priſci laudes offuſcat Apellis,
  Rara licet, non eſt gloria prima tamen:
Sed major, quod livor abeſt, quod pectore faſtus,
  Quod Phœbo, & Muſis pectora ſacra colis:
Denique pictorum quos ſæcula cuncta tulerunt,
  Virtutes quod habes, Carole, non vitia.

Ad Gerardum Vaxim.

Non perjuria Gallici furoris,
Infectæque manus pio cruore,
Nec me Sarmaticæ plagæ tumultus,
Nec claſſes Venetæque, Turcicæque,
Nec res præteritæ magis futuris
Habent ſollicitum, Gerarde Vaxi,
Sed præſentibus utor: & ſerena
Et mente exigere ambio quieta
Quotquot lanificæ mihi ſorores
Vitæ conſtituunt nitere ſoles.
Hæc ætas mihi ſola computetur,

Ho-

Horas sive bonas teram libellis,
Sive inter lepidos jocer sodales,
Quorum tu potior, mihique primus;
Seu potus recinam chely jocosa,
Diligo otia negligentiamque,
Ac ipsam quoque, Vaxi, negligenter.

Ad Psittacum.

Omnia nota tibi diversum gesta per orbem,
  Historiæque omnes: omnia nota tibi.
Quicquid Grammaticæ cathedræ, Dialectica quicquid
  Turba, sophique docent, omnia nota tibi.
Quot cœlo radient ignes, quæ sidera mundum
  Mortalesque regant, omnia nota tibi.
Discursusque vagi lunæ, vis maxima solis
  Ut superet terras, omnia nota tibi.
Præcipue quicquid perplexa volumina legum,
  Consultive premunt, omnia nota tibi.
Quod tua permolitur Scopelæo, Psittace, conjux,
  Scis etiam, cum sint omnia nota tibi.

In Imaginem Vaxis male pictam.

Tentantem cera Vaxæos ducere vultus
  Pictorem vidit Phœbus, & indoluit.
Immortale decus mortalis reddere posset
  Ne manus, offusis sic vetuit tenebris.

Idem.

Tam bene quæ potuit multorum effingere vultus
  Tam male cur Vaxis reddidit ora manus?
Artificis facile est opus excusare sinistrum,
  Ars etenim Vaxin reddere nulla potest.

De

De statua Rhetoris.

Perſpicuos latices gelidi quæ fontis imago
  Servat, in hac Phlyari Rethoris ora vides:
Quamvis marmorea eſt, quamvis perfunditur undis,
  Non tamen eſt ipſo Rhetore frigidior.

Ad Vaxim.

Cur tam ſæpe teris greſſu longinqua frequenti,
  O Vaxis, Scopeli limina cauſſidici?
Nam lis nulla tibi: quæ ſi foret, haud tamen ullum
  Exigat externi præſidium eloquii.
Nec tibi conditio tam vilis, tamve beata
  Eſt Scopelo, idcirco rex ſit ut ille tuus.
Vos nec amicitiæ tam ſtricto vincula nodo
  Ulla premunt, tanti ut ſit tibi ſervitium.
Linea ſed neque vos tam proxima ſanguinis arctat,
  Quæ tam ſollicitum poſtulet officium.
Sed Scopeli eſt conjux ſcitâ lautiſſima formâ:
  Hæc movet: o Vaxi, es officioſus homo.

Menſe Januario.

Phryx puer agglomerat canas ex axe pruinas
  Marmorea cogens frigora pigra manu:
Ignibus algorem, curas diſſolve Lyæo,
  Colloquio noctes, otia falle libris.

Dictum Catonis in Hellvonem.

Fecundum tabulis pater ſupremis,
Et magnum tibi prædium reliquit,
Undis quod mare cærulis flagellat.
Hoc tu menſe nec integro voraſti.
O ingens barathrum gulæ, quod agrum
Abſorbes, mare vix quod alluebat!

De Venere, ac Cupidine.

Læsa sui est Cypris medicata cuspide nati,
  Oscula dum fallax insidiosa daret.
Ergo Deæ postquam pupugit præcordia virus,
  Sensit & a flammis incaluisse novis:
Ilicet iratæ gremium temerarius ille
  Deseruit, celerem corripuitque fugam.
At Venus exiliens, pœnas dabis improbe (dixit)
  Infesto profugi mox pede terga premit.
Anxius ille locum nunc hunc, nunc eligit illum;
  Tutaque nulla satis visa latebra diu.
Flammeolis demum Glyceres successit ocellis:
  Et poterat nullo tutior esse loco.
Hic latet: hinc, solitam dediscat ne puer artem,
  Spicula non dubia mittit acuta manu.

De Scopelo & Psittaco.

Par patria ambobus, par ætas, par studiorum
  Est ratio, titulo gaudet uterque pari.
Par fastus, par ambitio, res denique cunctæ,
  Excepta uxorum conditione, pares.
Nam Scopelus duxit gracilem, sed duxit obesam
  Psittacus, hic tumidam possidet, is timidam.
Comptius hac nihil est, nihil est incomptius illa:
  Hæc hebenum facies, ast ebur illa refert.
Uxorem subigi scit Psittacus ipse, sinitque,
  Nil Scopelo est timidum, zelotypumve magis.
Sic timet hic omnes, is nullos, stultus uterque:
  Quid mage consimile est? quid mage dissimile?

Ad Callistratum.

Quod mihi longinquo clauduntur lemmata tractu,
  Et superat leges ferme Epigramma suas,

Hoc

Hoc unum exagitas vitium, reprehenditur unum,
  Hoc ſolum crimen, ſed capitale, vocas.
Quam bene cum Muſis agitur, Calliſtrate, noſtris,
  Si macula hæc verſus inficit una meos!
Hoc tu ſi ex animo loqueris, ſi vera fateris,
  Non eſt qui laudet carmina noſtra magis.

Ad Nympham Vaxis.

Nympha, cui dulces venienti in luminis oras
  Affulſit læto ſidere blanda Venus:
Quo vagus in primis jactat ſe Lotus honore,
  Et tumet Ogygio grata Ducona Deo.
Fortunata bonis, raræ cum munere formæ
  Dant tibi certatim quæ Charis atque Venus.
Fortunata magis, docti quod pectora Vaxis
  Arbitrio verſas imperioſa tuo;
Et merito, fueris tanti cum digna poëtæ
  Et jecur, & doctas ſollicitare manus.
Tantum ne tumidi veniant in pectora faſtus,
  Sævaque laudatæ tædia dictet Amor.
Difficiles odioſa fugant faſtidia vates:
  Ut teneas, cupido gaudia nulla nega.

De Nævia.

Hæc ſperata manent ſtipendia, ſæve Cupido,
  Quemlibet, in caſtris qui meret æra tuis?
Quî fit, ut ingenium mutarit Nævia mite,
  Ingenii poſtquam eſt munere clara mei?
Scilicet illa meo ſumpſit de carmine faſtus,
  Ac docuit noſter ſeſe ut amaret amor.
Cumque foret quondam ſemet quoque judice vilis,
  Ingenio facta eſt nunc pretioſa meo:
Utque mihi placita eſt, tunc eſt ſibi cepta placere;
  Nota parum fuerat num prius ipſa ſibi?
Quod volui prodeſſe nocet: ſpes unde ſalutis
  Venerat, exitio prima reperta via eſt.

Nec placuiſſe nocet, quantum laudaſſe: juvaret
  Vel laudaſſe minus, vel placuiſſe minus.
Plector ob officium: tractarer lenius, eſſet
  Si minus in nobis officioſus amor.
Attamen, Idalii quæ regna potentia temnis
  Numinis, o nullum paſſa puella jugum,
Spicula ne demum læſæ experiare Camœnæ,
  Eſſe nimis vari parce proterva tuo.
Nil ubi proficiam precibus, nec laudibus ullis,
  Confugere alterius cogar ad artis opem.

In Virutianum.

Cur, malum, titulum tibi poëtæ
Uſurpare lubet, Virutiane?
Non tu carmina, ſed cacationum
Effutis ſegetem febriculoſam,
Quam ternæ tibi, non novem ſorores
Dictarunt, Erebi, haud Jovis propago.
Nil eſt cum numeris tibi, ac nitore,
Omnis te refugit cohors leporum,
Chorus te Charitum fugit, venuſtas
Averſatur, & elegantiarum
Candor perpetuo fluens tenore:
Unum ſed tamen hoc habes poëtæ,
Nullus inficias quod ire poſſit:
Eſt vatum furor: hinc poëta certe es,
Sed cunctis furioſior poëtis.

Ad Lectorem.

Quantum carminibus noſtris abſcedit honoris!
  Argutis ſalibus gloria quanta perit!
Quod mea quos ſalſo perſtringit acumine Muſa
  Involuit fictis ſedula nominibus.
Quos ſi germano deſcribat nomine, ſi fas
  Sit nec perſonis parcere, nec vitiis,

Mul-

Multa insulsa vocas, & multa incondita, porro
  Quæ sale, quæ culto sparsa lepore putes.
Nomina prome igitur positis ambagibus (inquis)
  Confesso veniam, lector amice, dabis:
Non tanti est placuisse tibi, ut mox vera loquuto
  Hæ laudes gravibus stent inimicitiis.

Ad Ponticum Poëtam.

Condicis cœnam: promitto, Pontice: quæris
  Fercula quæ nostræ sint mage grata gulæ?
Me non salmo capit, mihi non carissima cordi est
  Lampetra, librarum nec mihi carpa trium.
Sed neque Bajanis moror haud liventia testis
  Ostrea Burdegalæ littore missa tibi.
Nec mihi ponatur perdix servatus ab ungue
  Accipitris, canis aut raptus ab ore lepus.
Scire cupis nostrum quæ condimenta palatum
  Irritent? unum est, Pontice: nil recites.

Ad Deum Opt. max. cum recens sacris initiatus essem, precatio.

Summe opifex, elementa sacræ molimine dextræ,
  Quique poli certo signa tenore regis:
Effrænemque vago nostram qui errore juventam
  Corrigis, & recto tramite dexter agis:
Quamquam cæca tuo flexi vestigia ductu,
  Subduxi erroris memet ut ipse jugo:
Ne tamen, o correpta Pater ne fræna remitte:
  Strenuus infirmum sed latus usque tege.
Namque ferox in nos hostis crudele retentat
  Servitium: assueta nectit & arte dolos.
Utque lupus clusis septos ab ovilibus agnos
  Obsidet, arma furens undique sæva movet.
Ergo aut perpetuo mea sis tutela, vel hostis
  Hinc averte truces tempus in omne minas.

Dialogismus cum Cupidine.

Dic age, ſæve puer, qui lumine captus utroque
Spicula tam certa mittis acuta manu?
CV. Stulte, quid appellas cæcum, formoſa Nealcè
Purpureis ſi me vultibus uſque gerit?
Ipſaque ſidereos oculos mihi commodat ultro,
Ictibus ut certis pectora veſtra petam?

De Cupidine.

Cur ſolet imparibus numeris gaudere Cupido?
Anne quod ut cæcus, ſit quoque claudus Amor?

Ad Næviam.

Ni te plus amo quam meos ocellos.
Aut carum mage ſi quid eſt ocellis,
Iratos videam tuos ocellos
Nobis, Nævia, nec quies miſello
Sit mi, ſed penitis flagrem medullis.
Auri me jaculis ferus Cupido,
At te culpide plumbea laceſſat.

De Cupidine.

Sæpe tener blanda dixit mihi voce Cupido,
Fac ut ames, ego dux certus amantis ero.
At mihi cor fuerat telis penetrabile nullis,
Et mens certa vagi ſpernere juſſa Dei.
Ille reluctantem ſperans ulciſcier, arcu
Contento minitans me in fera bella vocat,
Cui tamen haud prodeſt plenam vacuaſſe pharetram:
Aſperius ferro nam mihi pectus erat.
Hinc puer exarſit miſtus ira, atque pudore,
Cumque ſua abiiciens irrita tela face,

Pro-

Protinus in celerem vertit ſeſe ipſe ſagittam,
  Et mea tranſacto pectore corda ſubit:
Nunc nullà miſer arte queo mea caſtra tueri,
  Hoſtis enim capta victor in arce ſedet.

Ad Næviam.

Quæ tibi conſpicuis collegi ſedulus hortis
  Florea ſerta novi pignora veris habes:
His te ne pigeat tenues compſiſſe capillos,
  Ut nitidum vario ſpiret odore caput.
Hic conferta vides ridenti lilia acantho,
  Caltha nitet rubeis lutea miſta roſis.
Viderit has aliquis circum tua tempora, dicet
  Ardorem teneris ſurripuiſſe genis.
Nec tamen, ah, nimium formæ ne crede fugaci,
  Hæc te dona monent quam breve forma bonum.

Tumulus Heſychi Epicurei.

Supplicibus fuerat votis quod ſæpe precatus,
  Heſychus hac, placida morte, quieſcit humo.
Cui cordi ſecura quies, dulceſque receſſus,
  Lætaque tranquillo vita tenore fluens,
Et cui perpetuo nullis mens anxia curis,
  Unica ſed curis cura vacare fuit.

Ad Gallum.

Deperit efflictim quod te tua Candida, noli
  Hac propter nimium, Galle, placere tibi.
Parce aliquando datis ſuperaddere munera donis,
  Igneus in gelidas ardor abibit aquas.
Diligit ex vero, non propter munera dantem,
  Sed propter dantem munera quiſquis amat.

De Merone multibibo.

Dum Mero ferventi decumberet hemitritæo,
Æſtibus & flagrans ureret ora ſitis,
Sic verbis ægrum medicus ſolatur amicis:
Prima erit ardentem tollere cura ſitim,
Qua ſimul extincta morbi vis ſæva faceſſet.
Rettulit is fracto talia verba ſono:
Tu modo de venis populantes exige flammas:
Ut ſitis hinc abeat, ſit meus iſte labor.

Ad Nympham Vaxis.

Beryllos, Adamantas, Jaſpidas, ac Hyacinthos,
Indorum baccas, ſardonychas, ſmaragdos,
Quolibet hæc inventa ſinu, quocumque profundo
Eruta Vaxis habet, Nympha beata, tuus.
Scire cupis latebris tantas quibus occulat ille
Divitias? harum pars quoque magna tua eſt.
Quas tibi dat nullo perituras tempore gemmas,
Non gerit has Vaxis dextera, Muſa gerit.

De Lucretia C.

Quàm bene Romanæ veteris Lucretia nomen
Sortita eſt, quam ſic dotibus una refert!
Hoc uno differt: illi poſt ultima fata
Venit ſerus honos, hanc ſua vita probat.

De Vaxis memoria.

Scripta oculo vix noſtra ſemel properante notavit,
Condita cum memori pectore Vaxis habet.
Multus inoffenſa recitat quæ voce, nec ullis
Credita jam poſſent tutius eſſe libris:
Quin hæc marte ſuo poterat ſcripſiſſe videri,
Ni quateret cultam doctius ille chelyn.

In Decianum.

Semper honorificos humeris indutus amictus
  Infers ingenti te, Deciane, gradu.
Usque, adeo, ut quisquis primum te viderit, ille
  Quantumvis pretii te putet esse virum.
Atque hoc si taceas : sed quando silentia rumpis,
  Ingenium prodit rustica lingua rude.
His igitur cultus vel moribus indue dignos,
  Cultibus his mores vel, Deciane, pares.

Tumulus coqui.

Hic dum forte cani fugienti fervidus instat,
  Altius impresso se necat ipse veru.
Illud credibile est aliquam rexisse sororum
  Eumenidum, & miseri pectus adisse coqui,
Tartarei imperio Regis, cum forte deesset
  Qui coqueret Stygio fercula nigra Jovi.

Ad Horatium Candidum Laudensem.

Ecquis, Candide, non stupescit, ecquis
Culti carminis Atticos lepores,
Ac sales sapidos, jocosque molles,
Et raros nitidissimi colores
Sermonis, tibi quæ potens Camœna
Largita est sinubus benigna plenis,
Cum sis vel titulo satis disertus?
Flacco persimilem docet te Horati
Nomen perspicuæque puritatis
Quod sint carmina Candidus vocaris:
At nomen patriæ feracis omen
Quis Laudis neget esse sempiternæ?

Ad Cinnam.

Mollia quod tenui currunt mihi carmina filo,
Et meus in gyro ſtat breviore labos,
At tua conſtrictis aſſurgit Muſa cothurnis,
Grandia vel paribus detonat arma modis,
Cedimus: atque tibi ſane ſit gloria major,
Dum tua mirentur, ſed mea, Cinna, legant.

De Virgilio.

Virgilium cœlo Phœbus demiſit, ut eſſet
Mæoniam poſſet qui ſuperare tubam,
Se vinci ut ſenſit, tunc æmulus ipſe canorum
Ante diem Stygio merſit in amne caput.

Ad Celerem.

Quæ clamoſa tibi feſſas circuntonat aures,
Læderis uxoris garrulitate tuæ.
Atque aliqua quæris linguam cohibere loquacem,
Mutaque ſi fieri qua ratione queat:
Huic medicina malo non eſt præſentior ulla,
Auris quam fuerit ſi tibi ſurda, Celer.

Tumulus Thaddæi Zucheri pictoris.

Natura artifices Zucheri mirata figuras,
Oraque diſtinctos reddere viſa ſonos,
Præproperata jubens abrumpere licia Parcas,
Mortales vetuit ſe ſuperare manus.

Alius.

Effigies animata, decus, monogramma, colores,
Omniparæ factis æmula ſigna deæ,
Et quicquid vivis confert pictura figuris
Hoc tumulo, Zucheri qui tegit oſſa, latent.

Alius

Alius.

Hic ſitus eſt pictor Zucherus, quem livida fata
Poſt hiemes ſeptem, ſenaque luſtra necant.
Heu nimium ingeniis brevis ætas, rara ſenectus:
Sic Atropos, quæ ſunt optima, prima rapit.

Alius.

Hoc ſub marmore pictor ille notus,
Tota qui periit dolente Roma,
Velox ingenio, manuque felix
Decumbit Zucherus, perempta qui dum
Vitæ corpora reddit inquietus,
Multis quam dederat reliquit ipſe.

De Artemide puella Mediolanenſi.

Artemis æthereas vixdum prolata ſub auras
Purpureo ridens hauſerat ore diem,
Numina cum partum ſtuduerunt cuncta recentem
Certatim propriis accumulare bonis.
Principio triplices ſe promiſero ſorores
Ducturas facili ſtamina longa manu.
Divitias, generiſque decus mox regia Juno
Pollicita eſt, fauſtas conjugiique faces.
Riſit, & infantem teneris amplexa lacertis
Dixit, eris forma par mihi ſola, Venus.
Gratia divinos oculis afflavit honores,
Tinctaque nectareo verba lepore dedit.
Contulit ingenii cœleſtis munera Pallas:
In partem aſcivit turba novena chori.
Cuncta ſibi prærepta videns tunc Delia dixit,
Cum dare non poſſim cetera, nomen habe.

Imitatum ex Sulp. Apollinari.

Geſta ducis Phrygii flammis devoverat auctor,
Extremam prohibent dum fera fata manum.

Sed

Sed Tuccæ, Varique vetat pia cura: patrono
Cæſare Romanæ vivitis hiſtoriæ.
Quam timuit ſævæ ſibi per diſcrimina flammæ
Ilios antiquo plus ſupereſſe rogo!

Ad Ponticum.

Si ſapiam, noſtros ne te vivente libellos
Emittam in populum, Pontice, ſæpe mones:
Ne notet innumeris tua nos cenſura lituris,
Indicio & pateant plurima menda tuo.
Accipio, cupioque tibi parere monenti:
Sed jam tempus erat, Pontice, noſtra legi.

Tumulus Laurentii Toſcani Epiſc. Lodeven.

Si virtus, pietaſque mori, ac prudentia poſſent,
Debuerant, Laurens, te moriente mori.

In Calvum Jocus.

Quòd non æra reus pariter tibi ſolvit, & actor,
Nec tibi fallaci proditur arte cliens.
Mandative gregis non glubis vellera paſtor
Nomine, ſed factis, interiuſque lupus:
Nec dira cumulans ſceleratam cæde rapinam
Fucatæ nomen relligionis habes:
Nec vano generis priſci tumefactus honore
Mortales temnis cœlicolumque choros:
Denique quod decorat noſtris rariſſima ſæclis
Te probitas, recti ſimplicitaſque comes:
Non tamen uſque cares mendo: nam Calve poëta es:
Hæc labes mores inficit una tuos.
Quam potes hoc purges vitium, quantumlibet unum:
Neſcio quid tamen eſt grande poëta mali.

Ad Plusium.

Jure sodalitii nobis, & sanguine junctum
  Mutua te centum, Plusie, sæpe rogo.
Tu consanguineum, veterem tu spernis amicum,
  Atque preces rigida concipis aure meas.
Insuper & quereris nimium nos esse molestos,
  Obvius occurram quo tibi cumque loco.
Hoc ago, ut exhibeas illud quandoque mole
  Quod nec cognato, Plusie, nec socio.

Ad Gerardum Vaxim.

Mirabare modo, diserte Vaxi,
Qua Calvus ratione se poëtam
Dicat, carmine nobilis nec uno:
Solvet Technion hoc, Gerarde, qui cum
Caussas non agat, est tamen patronus.

Ad Cupidinem.

Quæ tibi, Amor, fulvum produxit vena metallum,
  Quo dominæ exornas lactea colla meæ?
Quæ manus accrevit operosis aurea fusis
  Stamina, dividuas texuit unde comas?
Quæ tibi Acidalios aluere rosaria flores,
  Sedulus ingenuas inficis unde genas?
Quæ tibi non tactas gesserunt arva pruinas,
  Ora quibus dubio mista colore nitent?
Qui tibi felices misere corallia fluctus,
  Quæ niveas gemmas lucida concha dedit,
Verba quibus, moveant ipsis quæ incendia Divis,
  Nunc cohibet, blando nunc movet apta sono?
Unde petis lætos spatiosæ frontis honores,
  Quæ facies cœli cum sine nube micat?
Quod sidus nitidis afflavit lumen ocellis,
  Ut mihi cor flammis ureret, atque gelu?

Ad Auram.

Suavis aura, quæ aureos cincinnulos
Solare nunc ad lumen explicans, Deo
Demin nitorem, nuncque ventilans vagis
Hinc inde gyris mille nodis implicas,
Mihique mille vinculis cor alligas,
Medulla nulla jam ossibus meis inest,
Fibrisque sanguis nullus est vitalibus.
Quem non acuto sæva percurras gelu.
Cerno ut coruscas flatibus tuis comas
Cervice læva vel micare dextera:
Si vero ocellos conspicor licentius,
Qua lance vitam librat, & meam necem,
Qualis Medusæ Maurus aspectu senex,
Tum vera prorsus reddor obtutu silex.

Ad Ponticum.

Pontice subsannas nostros, ridesque libellos,
  Nil etiam nobis stultius esse putas,
Qui non desistam perituris tradere chartis
  Carmina Tellenis aridiora jocis.
At tibi quantumvis sapiens, magnusque videris,
  Martia Mæonio qui pede bella tonas:
Cujus olent seros vigilata poëmata lychnos,
  Ac ægre longo tempore crescit opus.
Sed tibi quam nullis caput est medicabile succis,
  Quam nihil in toto pectore cordis habes!
Nam mea fac nullo victura Epigrammata sæclo,
  Quæ tamen assiduus lector ubique terit,
Parva foret nostris, levis & jactura libellis,
  Proveniunt nulla qui mihi sæpe mora.
Scripta sed innumeros tua desudata per annos
  Vel tineas pascent, vel pia thura tegent.

Ad

Ad Musas.

Istos pollice non laborioso
Tritos, sed tamen haud ineleganti,
(Si verum ingenui ferunt sodales)
En vobis calamos dico, Camœnæ,
Appendoque sacra poëta lauro,
Accensis veneratus ante vestrum
Numen Castaliæ focis sorores.
Nunc nostris faciles adeste votis.
Si vos a teneris sequutus annis
Sum vestris operatus usque sacris,
Si haud indebita, nec meis honores
Majores meritis precor rependi,
Summos post cineres, rogumque mutum
Nomen mi' maneat perenne chartis.

Ad Cinnam.

Obvius est quoties aliquis tibi Cinna potentum,
  Cui struat aggestas uncta culina dapes,
Optatam ut captes per mille pericula cœnam,
  Assiduus lateri jungeris usque comes
Ingeris inque aures fallax mendacia mille,
  Ut videare aliquid sic recitasse novi.
Scisque quot Ægeum complerit navibus æquor,
  Ut reparet lapsas hostis Eous opes.
Et quantas contra vires ferat Itala virtus.
  Et socium jungens robur Ibera manus.
Scis Gallus populos qua fregerit arte rebelles,
  Dum statuit firma sceptra gerenda manu.
Cuncta licet noris diversum gesta per orbem,
  Cœnandum noris dum tibi, Cinna, domi.

Tumulus Monsalei ducis Galli.

Pro patria, Rēge, & summi pro lege parentis
  Occidit intrepido pectore Monsaleus.
Unica caussa necis reliquorum pulchra sepulchris
  Scribatur: triplici gaudeat hic titulo.

De Felice Ursina Columna.

Humanis quicquid rebus natura creatrix
  Præclarum dederat, quicquid & eximium,
Id vero Romam reliquis ex urbibus unam
  Selegit, cujus conderet omne sinu.
Quicquid magna parens Romanæ contulit urbi,
  Hoc tribuit, Felix, Roma beata tibi.

Ad Næviam.

Serta comas inserta tuas ut, Nævia, comant,
  Hic, age, frondis honos sit tibi frontis onus.
Floribus implexis ut munera justa rependas,
  Floridus amplexus fac mihi colla liget.
Cingens flore comam, tingens mihi rore labella,
  Vera metes veris sic bona dona tui.

Scurræ jocus.

Turbida convulsum tempestas sævit in æquor:
  Urgetur vario fessa carina Noto.
Sulphureus flammns concepit pulvis ab igne
  Æthereo: duplex instat utrinque malum.
Hic fera flamma necem, ast illinc maris ira minatur:
  Non potuit solitos scurra tenere jocos.
Elixus quicunque mori vult, migret in undas:
  Hic maneas quisquis tostus abire cupis.

De eadem.

Mobilis auratos diffuderat aura capillos,
  Innumeris gaudens implicuiſſe modis;
Et vaga ſcintillis ardebant lumina crebris,
  Nunc nimis, heu, miſero lumina parca mihi:
Is color in vultu, qui ſpem promitteret ægro,
  Aut erat, aut certe viſus ineſſe mihi eſt:
Nil mortale ſonans accentus vocis: at ipſe
  Inceſſus veram prodidit eſſe deam:
Quid mirum, fuerant cui mollia ſemper amori
  Pectora, ſi ſubitis ignibus eſca fui?

In Apoſtatas, quos vocant.

Miris expoſita eſt patrum piorum
Nunc gens ludibriis: in hanc faceti
Vibrant ſcommata ſalsa, quos poëtas
Calvini ſchola nutrit, & Luteri.
Nec tantum ſtomachum movet mihi (acrem
Quamvis id ſtomachum movet) beatæ,
Sanctæ, ſacrificæ, piæ, eruditæ
Gentis opprobrium, nefanda quantum hæc
Impudentia, quod quibus cucullus
Olim tegmen erat, cuculliones
Irrident Monachos, aguntque diris;
Quæ ſi vota tamen cadent ſecunda,
Illud præterea precamur, uno
Cenſeri numero cuculliones
Non quot ſunt modo, ſed quot & fuerunt.

De Catone Uticenſi.

Dum Cato fortunæ rectas ſuccumbere partes,
  Jamdudumque urbis vincere fata videt,
Vita procul diſcede, potes dum libera: vixi,
  Dum vixi, patriæ; nunc mihi (ait) morior.

Tumulus adolescentis armorum, & literarum laude insignis: fratris est Prosopopœja.

O nostræ spes fluxa domus, florentibus annis
  Præcipiti Clothus frater adempte colo.
Quo decus abscessit formæ, sperataque duplex
  Gloria belligeri Martis, & arte togæ?
O utinam velut hæc mœroris pignora nostri,
  Sic scalpi possent in tumulo lacrimæ.
Testetur tamen hoc sæclis breve carmen, adempto
  Te mihi dimidium vix superesse mei.

Ad Lunam, votum pro Jola.

Dum Gallæ nocturna petit formosus Jolas
  Limina, cor cæco tostus ab igne puer:
Huic tutum, mediæ per opaca silentia noctis,
  Alma tuus splendor Luna ministret iter.
Sic Aurora, tuis quoties amplexibus hæret
  Endymion, lentis tarda vehatur equis.

Amatorum inconstantia.

Sidera sunt oculi, speculum frons, purpura malæ,
  Electrum crines, dens ebur, ora favi,
Cinnama labra, nives cervices, mala papillæ,
  Cum placita est cupido culta puella viro:
Hæc ubi displicuit, flaccescunt ubera, cervix
  Lurida fit, labris spurca mephitis olet,
Fel sunt ora, hebenum dens, stantes angue capilli,
  Plumbum mala, cinis frons, oculi tenebræ.

Ad rura, ubi erat Nævia.

Flores beatæ dulce telluris decus,
Quibus puella molle reclinat latus,
Puella cordis lene tormentum mei:

Val-

Vallis canoros illius captans ſonos,
Servas tenelli quæ pedis veſtigia:
Arbuſta, quorum dum coquit Titan ſata,
Excludit ictus ſpiſſa fervidos coma:
Liguſtra miſta ſuaveolenti amaraco:
Comata ſilva sol vagus quam verberans
Penetrare telis irritus tentat ſuis:
Suavis ora: rivule undis vitreis
Vultum nitentem, & aſtra tingens lucida,
Claraque eorum luce purius micans:
Ut ipſe veſtris æmulus tangor bonis!
Jam nulla vobis ſaxa, nulla erunt juga,
Ardere quæ non ignibus diſcant meis.

Ad Næviam.

Aſpectu liquefacta tuo mea lumina manant,
Quale repercuſſæ ſole tepente nives.
Ut ſcopus a telis per inane fugacibus, ictus
Excipiunt oculis pectora noſtra tuis.
Afflatu mea vita tuo vaneſcit in auras,
Ut Boreæ nebulas diſſipat aura leves.
Sol, jaculum, ventus, perſtringit, tranſigit, aufert,
Igne, acie, flabro, lumina, corque, animam.

De Philomuſo.

Poſſidet inſignem facie Philomuſus amicam,
Cui nitido nullus corpore nævus ineſt.
Verum nulla juvat tam pulchrum gratia corpus,
Nec Venus: exanimem, marmoreamque putes.
Vis dicam quam te ſanum Philomuſe putemus?
Stultior hic flammis Pygmalionis amor.

De Cupidine marmoreo ad fontem poſito.

Adjectum fonti puerum qui retur Amorem,
Temperet ut calidas frigida lympha faces,
Fallitur: ille calor non his extinguitur undis:
Neptunum in mediis uſtulat ille vadis:

Affitus at fonti latices hinc haurit, amantum
  Luminibus lacrimas ſufficiant ut aquæ.

Ad Næviam.

Te jurante mihi furtivæ munera noctis,
  Credideram verbis pondus ineſſe tuis:
Et lætæ capiens vix mentis gaudia, ſolem
  Orabam celeri conderet axe diem.
Adfuit ut demum nox fulvo optatior auro,
  Nocte tuum petimus, ſpeque jubente larem.
Inveni rigido ſuffultos obiice poſtes:
  Combibit & lacrimas janua ſurda meas.
Hæc eſt pacta fides? quid te fallacius una
  Eſſe poteſt? recipis Nævia, nec recipis.

In Tymbogerontem.

Non facit ad proprias conſulti formula lites:
  Si numeres, vendit jura, latuſque locat.
Ægrotis medicus loculos & corpora purgat,
  Aſt adhibet morbo pharmaca nulla ſuo.
Abſtinet expoſitæ mercator mercis ab uſu
  Proventu cupiens uberiore frui.
Sic quoque Tymbogeron formoſa conjuge numquam
  Utitur, aſt aliis ipſe ſubinde locat.

De lacrimis Næviæ.

Nuper cum tenera mea puella
Cum quiddam improbius procax maneret,
Acri percita corculum dolore
Torvis intuita eſt diu me ocellis,
Triſtes mox lacrimæ genas rigarunt.
Ejuſque os roſeum fuit repente,
Qualis vere novo eſt imago cœli,
Mollis cum cadit imber, atque eodem
Momento radiis fugat ſerenis

Phœbus nubila, tunc velut querelæ
Dulces Cecropiæ volucris auras
Demulcent viridi arbore insidentis,
Sic tum lacrimulis tener Cupido
Immersus tepidis madebat alas,
Claro lumine sicque gestiebat:
Accensam & face luminum sagittam
Tingens rore, rosas per, & ligustra
Qui cursu placidus levi fluebat,
Mox telo mihi corda temperato
Figebat tenues bibens medullas.

Ad Amantes.

Nullus amans posthac vereare Cupidinis arma,
Ne fodiant pectus ignea tela tuum.
In nos exhausit totam ferus ille pharetram.
In vulnus superest nulla sagitta novum.
Jamque illi volucres, alio ne transeat, alas
Pectoris exussit fervida flamma mei.

De Archiepiscopo Narbonensi Simone Vigoræo.

Quicumque es veterum pietate imbutus avorum,
Pectora cui vera relligione calent:
Cui non armarint sceleratam dogmata dextram,
Dogmata quæ serpens evomit ore vetus:
Fer pia tura focis, & summo vota parenti,
Gaudia quo mentis testificere piæ.
Ecce Vigoræo meriti cumulantur honores,
Cingit honoratas infula sacra comas.
Digna refert tandem facundæ præmia linguæ,
Qua stetit in tanta seditione fides.
Desidia fueras pastorum lapsa priorum,
Gallia: nunc hujus sedulitate viges.

Ad Cupidinem.

Esse quid hoc dicam, quod eodem tempore pectus
  Constringis glacie, atque ignibus uris, Amor?
Ac simul accensa nobis spe concita fervent,
  Atque eadem gelido corda pavore micant?
Anne parum id fuerat, tot si contraria amantum
  Pectoribus vigeant tempore quæque suo,
Ni facias, ubi dulcedo est, spes, atque voluptas
  Hic sit amarities, sit metus, atque dolor?
Respondit puer Arcitenens: via nulla salutis,
  Hæc si disjunctim sentiat ullus amans.
Usque adeo mea sunt lethalia munera, si non
  Alterutrum sese temperet alterutro.
Singula quæ fuerant mortem allatura, vicissim
  Si pugnent, vestræ caussa salutis erunt.

Ad Næviam.

O, cui non minor est crudeli in pectore fastus,
  Quam sit in exacto corpore forma decens:
Quæ mihi das æstu glaciem, das frigore flammas,
  Speque metum dubia, spemque timore foves.
Cum tibi, quæ fulvo radiat fulgentior auro,
  Reddiderit canam pigra senecta comam,
Fluxerit in rugas ubi frontis splendor aniles,
  Cui nunc Assyrium cedere possit ebur,
Et quæ nunc geminos imitantur lumina soles
  Presserit informi cana favilla situ,
Teque aliam prorsus speculo mirabere mœrens,
  Effundes mœsto talia verba sono:
Quæ miseram stimulat non tempestiva voluntas,
  Cur prius hanc anni non habuere rudes?
Aut hanc non repetit mentem juvenilior ætas?
  Mens mihi tunc aberat, nunc mihi vultus abest.

Ad Tabellam, in qua Nævia erat effiᴄta.

Artis Apellææ felix quæ munere reddis
  Effigiem vitæ, picta tabella, meæ.
Quæ veluti veros offers in imagine vultus,
  Sic dominæ mores, ingeniumque refers.
Uris enim quoties in te mea lumina verti,
  Aſperior cum ſis, frigidiorque nive.
Sicque pios in me fallax defigis ocellos,
  Ut videare malis indoluiſſe meis.
Hinc ego ſupplicibus te verbis ſtultus adoro,
  Ipſa meas ſurda concipis aure preces.
Hoc uno differs, tua quod licet ora tueri,
  Quæ rigida ex oculis ſubtrahit illa meis.

De Barbatilla catella, cujus tumulum lepidiſſimo Phaleucio boneſtavit Jo: Auratus.

Barbatilla bonæ dulciſſima Magdalenæ
  Cura, ſub exigua mole catella jacet.
Cui vivæ illecebras, & fercula grata, jocoſque,
  At dedit extinctæ cum tumulo lacrimas.
Neu ſolus Procyon ſummis honor additus aſtris
  Nominis æterni laude ſuperbus eat:
Ad cœlum lepido catulam vult Aurea verſu
  Muſa vocet, ſuperet quo ſua fama rogos.
Ut veluti cunctas vincebat viva catellas,
  Mortua ſic reliquas vincat honore feras.

De Craſſi effigie.

Cauſſidicum indocti depinxit dextera Craſſum
  Artificis, quo non craſſior alter erat.
Nec licet effigiem reddat pictura, tabellæ
  Multa tamen pictæ conſona Craſſus habet.
Denique picturæ eſt facies non æmula Craſſi,
  Picturæ ſimilis Craſſus at ipſe ſuæ eſt.

Ad Germanum.

Hunc tibi Toſcanus donat Germane libellum,
Quem ſibi fatidicus David habere dedit:
Hebreo ut poſſis Muſas de fonte cadentes
Noſcere, ſinceræ relligionis opus.
Canticaque ut faleris omnique carentia fuco
Sint non fucatæ pignus amicitiæ.

In Planum.

Dum multo perfuſa mero convivia fervent,
De jure eſt ſermo ſemper ineptus ais:
Sed, Plane, tu quicquid facias, quicquidve loquaris,
Uvidus, & ſiccus ſemper ineptus eris.

De Pſeudiatro.

Pſeudiater letho lethalior hic jacet: ante
Impia mors, tollens hunc modo, facta pia eſt.

De Cadurco ad Pe. Gerardum Vaxim,

Quam bene conſuluit terræ natura Cadurcæ,
Quæ ſic innumeris dotibus una viget!
Inprimis quicunque cupit vitare calores,
Non alio poterit tutior eſſe loco.
Mœnia namque urbis circumdata montibus altis
Flammigeri ſpernunt undique tela Dei.
Sed non illa minus tectis arcentur ab altis,
Flatque per anguſtas aura benigna vias
Omnia ſed vincunt generoſi munera Bacchi,
Quæ nive cella frequens frigidiora tenet,
Cur ſed enim, pleno cui favit Copia cornu,
Defectu gelidæ terra laborat aquæ?
Illud magna parens providit, dona Lyæi
Tam bona fontanis ne jugulentur aquis.

Ad Henricum Valesium tunc Poloniæ Regem designatum.

Dat Fortuna tibi regnum, nec computat annos,
Parta sed invicta clara trophæa manu.

Ad eundem.

Prima tibi vixdum sunt limina tacta juventæ,
Æquat inextinctos gloria dives avos:
Parva loquor: quodcumque viris, quos fortibus armis
Græcia præstantes protulit, & Latium,
Contulit assiduos virtus spectata per annos,
Hoc tribuit totum prima juventa tibi.
Nec satis est: Fortuna comes virtutis honores
Accumulat, nec se vincat ut illa sinit.
Quæ tibi nunc animi pignus tulit, Henrice, regnum,
Atque dolet meritis hoc minus esse tuis.
Mox annis matura tuis ubi venerit ætas,
Destinat Eoos, Hesperiosque tibi.

De Fronte, oculis, & labris Cæciliæ Medices.

Frons tua non frons est, speculum sed, cujus amantum
Audaces oculos lumine cæcat Amor.
Atque oculi non sunt oculi, sed sidera quorum
Pectora flammatis ignibus urit amor.
Labraque non labra, at sunt dulcia cinnama, succis
Quorum nectareis basia condit Amor.
Sic speculum, astra, & cinnama. lumina, corda, palatum
Absumunt radiis, igne, liquore suo.

Ex Italico Bembi.

Aërias querulis mulcet concentibus auras,
Nascentemque diem multa salutat avis.
Suspirat blando fugientem murmure Chlorin
Arboreas Zephyrus concutiente comas.

Alma,

Alma Venus placido perfundit lumine terras,
Et genitale fretum, ſidereamque domum.
Canitiem pectens antiqui conjugis Eos
Suſcitat e molli languida membra toro.
Excitor ut ſolem, cum ſole oriente, ſalutem,
Victa magis radius lumina cujus habet:
Illum namque, polo cui cedunt ſidera toto,
Mox hujus video cedere luminibus.

Votum Paci.

Hos tibi Palladia decerptos arbore ramos,
Quos viridis grato pondere bacca premit,
Atque has flaventes, Cerealia munera, ariſtas
Dedicat effuſas Gallia ſciſſa comas.
Tu face diſcordes coëant in fœdera gentes,
Quas nunc inſanus traxit in arma furor.
Te cupiunt, Pax alma, genus mortale, Deique,
Mars etiam tanto ſanguine feſſus amat.

Ex Etruſco Franc. Mar. Molsæ.

Collibus amiſſos jam ver reparabat honores,
Ornabatque novo gramine molle ſolum:
Atque coronato ſpirabat vertice odores,
Quos tener a terra divite mittit Arabs:
Cum naſcente die violas in ſerta Lycoris,
Purpureiſque legens lilia juncta roſis,
Hæc, ait, ardoris fuerint tibi præmia fidi,
Hiſque tuas jamiam cingimus ecce comas,
Hæc ubi nectareis effudit dicta labellis,
Impediit noſtrum flore decente caput.
Quæque manus crines, eadem mihi corda revinxit,
Nulla precor ſolvat quæ mihi vincla dies.
Illa igitur dilecta meis plus ſemper ocellis,
Hærebit tepido pectore ſola mihi.

Idem

Idem alio interprete.

Ver tepidum apricos vestibat gramine colles,
  Lætaque pingebat prata colore novo:
Spirabatque comis bene olentibus undique odores,
  Quos dat Arabs suavi terra benigna sinu,
Cum redeunte die carpens mihi sedula acanthos,
  Purpureasque rosas ungue, Lycoris ait.
Hos mea dextra legit flores tibi præmia amoris,
  Jamque iisdem crines impedit ecce tuos.
Hæc ubi vita mea est roseo dulce ore loquuta,
  Tempora mî circum florida serta dedit.
Sicque meos placido sensus devinxit amore,
  Ut cupiam nullam me soluisse diem.
Quod superest igitur vitæ, mihi sola sedebit
  Mente immota, oculis carior usque meis.

Idem.

Colles supinos undique, & æquora
Ver floridum ornabat novis coloribus:
Comasque cinctum suave olenti amaraco
Spirabat optimos odores vertice.
Cum adhuc recenti rore sparsos flosculos
Suo Lycoris ungue carpens sedula,
Mihi inquit: Hos tui amoris præmia
Lego, & tuos jamjam ipsa crines implico.
Ubi hæc loquuta dulce, circum tempora
Dedit corollas; sicque grato vinculo
Mentem revinxit, ut mihi nil gratius.
Quare meo numquam ipsa de corde effluet,
Et solam amabo, & sola curæ erit mihi,
Solamque suspirabo amore perditus.

Ad Næviam.

Aspectu quoties in me defixa benigno
  Ora tenes oculis insidiosa meis,

Ac.

Accedo ut narrem qualis mihi flamma medullas
  Absumat tenues, quotque quibusque modis.
Protinus, heu, misero turbatos vertis ocellos,
  Spes timor unde mihi, vitaque, morsque venit.
Hinc perculsa micant trepido mihi corda pavore,
  Muta silet gelido lingua retenta metu.
Qui calet, huic animo desunt sua verba: fateri
  Qui potuit flammas, uritur igne levi.

In Atimum Parodia ex Catullo.

Atimus ille, quem videtis, hospitum
Ait fuisse proxenos sacerrimus:
Neque ullius latronis improbas manus
Nequisse præterire, sive per diem
Opus sit harpagare, sive noctibus.
Et hoc negat tui accolas Avenio
Negare pontis, & fluenta Rhodani,
Lotumque flumen, horridos Lemovicas,
Trucem utriusque Gallici & sinum freti:
Ubi iste post disertus, antea fuit
Scholæ magister: atque candidas super
Nates calente sibilum edidit flagro.
Vadose Sequana, & frequens Lutetia,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Refert Atimus: ultima ex origine
Tua inquit ampla permeasse pulpita,
Tuisque pectus imbuisse dogmatis:
Et inde mentis impotentia scholæ
Dedisse jura, læva sive dextera
Rogaret æra, sive utramque nummulis
Crumena dives incidisset in manum.
Neque ulla vota Plagiariis Deis
Sibi esse facta, venit ut Lutetia
Novissima hunc ad usque turbidum Lotum.
Sed hæc prius fuere: nunc libidine
Calet furente: seque dedicat tibi,
Amica fœtida, atque amica fœtidi.

De Hermogene peſſimo poeta.

Quæritis, Hermogenes qua ſit ratione poëta,
  Cui de virginibus non favet ulla novem?
Cui ſterile ingenium, cui turbida vena, leporum
  Quem fugit & Charitum laudis amica cohors:
Cui nec candor adeſt, refugit quem pura venuſtas,
  Deſtituunt numeri, deſtituuntque pedes,
Et quicquid ſæclis commendat culta futuris
  Carmina Parcarum non ſubitura colos.
Quis tamen hic, vacua nullus cui nummus in arca,
  Quin dici poſſit jure poëta, neget?

Genethliacon Pauli Toſcani infantis, ad Laurentium Toſcanum ejus patrem.

Laure, decus lauri, Toſcanæ laurea gentis,
  Aurea Laurentum ſtemmate progenies:
Cujus inextinctæ longo virtutis ab ævo
  Gloria ab invidiæ fulmine tuta viret.
Te genitali alvo generoſum ſemen Janthis
  Concipiens, patris nomine caſta beat.
Nunc tibi, Paule puer, ducentes penſa ſorores
  Stamina Phryxæo vellere longa neant.
Ut facie matrem, referas ſic mente parentem:
  Quin faciem, & mores fingat uterque parens.
Vir colat ingenium, formam optet femina: natum
  Sic decet e lauro, ſic decet e viola.

In Planum.

Nomen honoratum prætendis tectus ab omni
  Infamis macula criminis, atque doli.
Corpore te jactas, ignave, *καλόντε μέγαντε*:
  At tibi ſub vaſto mus elephante latet.
Tene putas ſummis digitis Cicerona tenere,
  Qui mera rura crepas, barbariemque meram?

Con-

Consulti titulum jactas: prudentia juris,
Stulte, nec in somnis est tibi visa semel.
Non sapiens, nec homo es, nec doctus: sed simulacrum
Falsum hominis, docti, vel sapientis habes.

Genethliacon Lucioli Toscani.

Lucis Luciolus recens in alma
Venit lumina, lucidumque solis
Jubar purpureo aspicit renidens
Ore, quo patriæ decusque frontis,
Et matris facies nitet venusta.
Nunc partum aureolum, bonæ Camœnæ,
Vos vestro ambrosio sinu fovete:
Et Parnasside roscidum labellum
Irrorate lacu: tenella membra
Grato spargite Gratiæ liquore,
Et vestris caput impedite sertis,
Putris quæ caries, situsque priscus
Frustra morsibus irritis lacessunt.
Paulus cernitis ut tener sereno
Spectat lumine, noscitatque fratrem?
Blanditurque suisque majus annis
Effert ingenium? Editi beato
Nati sidere, patrui voluptas
Magni, curaque dulcis, inclitæque
Spes haud fluxa domus, benigna vobis
Fila lanificæ neant sorores,
Annos ut simul, arduamque avorum
Virtutem superetis, atque honores.

In discessum Jo: Poteri, & Gerardi Vaxis.

Musæ, quæ comites meo Potero
Itis, & comites meo Gerardo,
Solitudinis, ac mei doloris
Ecquid vos piget, ægritudinisque?
Dum sodalitio, ah miser, miserque,

Tam

Tam dulci viduatus acri in horas
Cura differor, & gravi dolore
Æger diſcrucior fere peroſus
Vitam. Sed tamen o bonæ Camœnæ
Fauſtis greſſibus ite, & auſpicatis,
Et patrocinio pio, ac fideli
Per tam difficile, atque ſenticoſum
Iter candidulos meos ſodales
Tutos ſiſtite: ſævientiumque
Arcete inſidias procul latronum,
Duris ingenuum latus tuentes
A mucronibus: ac meis favete
Votis, quæ tacito anxius labello
Suſpendi, capiti utriuſque caro
Formidans: male: divitis Toloſæ
Cum muros peterent acuta belli
Per diſcrimina, civicoſque motus.
At vos interea bonum Poterum,
Et tractare fides catum Gerardum
Toſcani memores magis magiſque
In dies facite: improbo dolori
Ut ſolatiolum piis tabellis
Præſtent: ac lepida adlocutione
Abſtergant lacrimas meis ocellis.

De Henrico Valeſio Gallorum Regis tunc fratre, & Jo: Auſtriaco fratre Regis Hiſpaniarum.

Sunt gemini juvenes noſtri laus unica ſæcli,
  Qui pariter claro Martis honore vigent.
Hic decus eximium Gallis, decus alter Iberis,
  Auſtriacæ columen, Valeſiæque domus.
Regibus ambo ſati, fratres ſunt Regibus ambo,
  Aptior hic terris vincere, at ille mari.
Henricus populos domuit virtute rebelles,
  Dum ſtabilit fratri regia ſceptra ſuo.
Sed Janum extremi vires Orientis, & Indos
  Adria mergentem vidit, & obſtupuit.

Qua-

Qualia facta dabunt, aderit cum fortior ætas,
Cœperunt quando talibus auspiciis?

De Viventio Rubione Medico, ac Poëta.

Quod facis æternis mansura poëmata sæclis,
Quodque affecta tua membra levantur ope.
Hoc commune tibi est ipsi, Viventie, Phœbo,
Cujus sic gemina pollet in arte decus.
Auratam tractare chelyn, tractare potentes
Herbas, hoc Phœbi munere utrumque tuum est.
Utque salutiferis vitam producere succis,
Sic vitam doctis scis dare carminibus.

De Oratore Argivo.

Venerat orator Lacedæmona missus ab Argis,
Cui fuerat fuco candida tincta coma.
Dumque hic ad patres ingenti personat ore,
Intonat & medio fortia verba foro:
Hujus ut advertit capitis mendacia cani
Archidamus patrii gloria rara soli,
An (inquit) cives, ipso qui est vertice mendax,
Illius verum promere lingua potest?

In Planum.

Quod virosa Planus liventi scommata lingua
Vibrat, & in cunctos sæva venena vomit,
Omneque sacrilego nomen temerarius ore
Vellicat, & famæ publicus hostis adest,
Ne scelus esse putes: nam qui male ab omnibus audit,
Cur bene de quoquam cogitet ille loqui?

De Catone Uticensi.

Cum sua strinxisset subiturum viscera ferrum,
Utere, ait, forti vulnere dextra, Cato:

Quid

Quid me ultra vixisse juvet, si vita Catoni
Libera præcisa est, serva decora parum?

In Virianum Pseudopoetam.

Carmina cum recites Musis, nec Apolline digna,
Digna sed æquoreo, Lemnicolave Deo,
Quæ tibi Tartareæ dictant, Viriane, sorores,
Ex quo Lethæo proluis ora lacu:
Excusare putas, quod nata ex tempore jures,
Visque latere brevi crimina tecta mora.
Ut sit vera, tamen caussa est, quam nectis, inanis,
Constaret gratis cum tacuisse tibi.

De Poetis.

Quisquis desidiam, jocumve ducit,
Inertisque opus otii Poësin.
Fallit hunc ratio: nec ille vivos
Ungues rodere scit, suam retexens
Telam, Penelopes modo, inchoatam,
Nec damnare semel probata, rursum
Prorsum vertere centies lituras.
Hæc ducas nihili, præut domanda
Quæ sunt monstra, novum simul prodivit
Rasum pumicibus cavis poëma:
Qua tunc, qua miser æstuatione
Vates afficitur notam severæ
Censuræ subiens! hiulca damnat
Hic, ast ille locos minus patentes,
Quos non percipit, improbat malignus.
Hunc non asperitas juvat, sed alter
Carpit quæ placido fluunt tenore:
Illi verba minus placent, nec istum
Delectant numeri: ergo judicantum
Quot dicax variis cohors palatis
Dissentit, totidem misellus auctor

Mactatur crucibus: quibus licebit
Addas pauperiem, comes quæ adhæret
Numquam dissociabilis Camœnis,
Lascivi & petulantiam popelli
Jocis excipientium dicata
Musis pectora: quæ molesta quanquam
Sunt incommoda, nil tamen poëtæ
Ipso nomine pejus est poëtæ.

De Celere Alchumista.

Versutus fatuo Celer Fabullo
Dum suadet sceleratus Alchumista
Parvo, perfacilique posse sumptu
Plumbeas patinas, probum, ac probatum
Argentum fieri, aureis trecentis
Emunxit stolidum: & fugam capessens
Plumbeas patinas quidem reliquit,
Ast ipsum mage plumbeum Fabullum.

Ad Beatum.

Cum summis opibus cari pia vota parentis
   Nil aliud poscant, docte Beate, tui,
Quam te, Tectosagum ut reddentem jura senatu
   Mirentur proceres, purpureique patres,
Nocturnis pallere libris, pallere diurnis,
   Et studium chartis invigilare tuum,
Quid mirum chartis si te lusisse jocosis,
   Tædia cum peperit seria charta, juvet?

Vale dicimus studiis poeticis.

Procul Camœnæ, abite putidæ procul:
Valete summa Phocidos cacumina:
Valete opaca fontium cubilia:
Valeto cultus hortulus Dioneus:
Jambe præpes, & levis Phaleucie,
Joci lepore tincti, & Attico sale,

Pe-

Pedeſque Muſa flexilis per undecim,
Canens potentis aureum Cupidinis
Brevi, ſonove longiore, flammeum,
Hyantioſque temperatus ad modos,
Graviſque garrulæ vale ſonus lyræ:
Valete culta cuncta Delii metra.
Quibus ſed arte conterenda muſica
Amica dantur affluenter otia,
Ad hos abite, vos eis relinquimus:
Et ad beata vela pandimus freta:
Dei videre ſacra pectus orgia,
Patrumque noſſe docta dicta poſtulat,
Patrum, recluſa corda ſunt quibus fide,
Sacrique luce ſunt rigata flaminis.
At o profana cura mollis otii
Procul Camœnæ abite putidæ procul.

GASPARIS TRISSINI

VICENTINI.

Ad Aloysium Trissinum.

ALoysium pingo: Phœnicem hospes lege
Ingeniorum, amicum Musis, & Palladi.
Unum; Ephebus omnes complexus artes prope.
Pæonia pariter clarus, & Meonia:
Invidit terris parca sed tantum decus,
Nam jubet hunc quinto lustro canere inter Deos.

M. ANTONII TRITONII.

De Victoriâ contra Turcas.

DIlectæ miſeranda Cypri dum funera cernit
Alma Venus, roſeum os lacrimis ſuffuſa decoris,
Ingemit, & liquidum ſingultibus æthera complet.
Sed pater omnipotens celſi Regnator Olympi
Parce malis Erycina, inquit, formoſa, querelis:
Me quoque quos fœtu profudit terra nefando,
Ter ſunt conati æterna depellere ſede,
Arida ter diræ detruſi in viſcera matris.
Pulchrum, nata, tuum vaſtet gens barbara Regnum,
Et mea Cretæam cunabula terreat Idam,
Illyricos penetret ſcopulos, abducat opimam
Bellatrix prædam, & magnum tremefecerit æquor.
Vidiſtin' noſtri ſublimi nube miniſtram
Fulminis in ſaturas infeliceſque volucres
Deſcendentem Aquilam? talis de litore Ibero
Auſtriacus juvenis, tuus, ingens Carole, ſanguis,
Virtutem ob ſummam Cœlo decus addite noſtro,
Fertur in adverſam claſſem majora paternis
Viribus atque animis meditans, huic aurea rident
Sidera, dat curſus Zephyri levis aura ſecundos,
Et placidi hiberno ſubſidunt tempore fluctus.
Monſtra cadent inimica mihi: pars brachia vinclis
Aſſueſcet, piceo pars cæſa vorabitur igne,
Sanguine permixtas proprio pars hauriet undas:

Cyclades è pelago attollent capita admirantes.
At puerum latis victoria conteget alis,
Felicem puerum, Duce quo mihi Gnossia tellus
Tuta satis: tu Diva Paphon, atque alta Cythera,
Juno Samon, Phœbus Pindi juga Pallas, Athenas
Læta colet: posito flavescent secula ferro.
Sic ait, & nutu Stellantem concutit Orbem.

SEBASTIANI TROMBETÆ

CYTHERNENSIS.

Ad Scyrum Durantinum.

MUnera, felle carens, tibi dono carentia felle:
Accipies igitur munera felle carens.

Hippolytæ Balionæ. Tumulus.

Ingenio Pallas, formâ Venus aurea, Juno
Imperio; æternæ me coluere Deæ.
Motus ob id, niveo Ganymedi dempsit honores,
Me rapiens rerum summus ad astra pater:
Cui libata damus roseis carchesia labris;
Propter id æthereo jubila dante choro.
Femineum lætare genus, lætare virile:
Nam tibi fulmineum conciliabo Jovem.

Petri Ricobaldi tumulus.

Relligionis honos sincerus, & inclyta Virtus
Marmore sub Pario stat, Ricobaldus ubi.
Fortunate lapis: tumulo præstantior omni:
Claudis, Volterræ quicquid honoris erat.

JULII ASCANII TUCCII
CREMENSIS.

Duellum Scacchorum.

TEcum militibus geſtio buxeis.
Jam conferre manum, Prætor amabilis,
Quamquam Regibus Indicis
Contendas melius, ſeu
Tu ducas pedites, ſive equites trahas:
Sint omnes nivei, ſintque licet nigri,
Proſternam tabulis tamen
Inſtructas acies, vel
Confundam cuneos, agminaque omnia.
Quis tandem validis curribus obviam
Accedet ſine ſanguine,
Quin ſaltem capiatur?
Rex lætus veniet prælia in ardua,
Et tuto intrepidam tramite conjugem
Ducet non metuens minas,
Ipſos forte nec ictus.
Sic freti domini milite non pigro
Armorum ſubeunt magna pericula:
Imbelleſque cadunt viri,
Et dant fortibus arma.
Si Regina ſuis ſepta cohortibus
In denſas acies ipſa ſuperbiens
Hoſtes per medios viam
Prorumpens faciet, tum

Quid dices? minimum signifer albicans
Conversis pedibus subsidium feret:
Cernes namque meos duces
Punctim tela movere:
Non tantam in Phrygios Æacides ferus
Patravit rutilans arma micantia
Cladem, quando neci dedit
Districto Hectora ferro,
Quantam per niveas gens mea copias
Ingenti strepitu conficiet nigra,
Dum matrona potens suo
Irrumpet peditatu.
Ergo, quando mihi congredier voles
Jam cautus pedites expedies tuos.
Impelles celeres Equos,
Turritas quoque moles.
Bis fusci pedites quattuor impetu
Binis signiferis, atque Elephantibus
Binis, indomitis Equis,
Nec non cum duce fusco,
Invadent alacres castra tua, & viros,
Telluremque tegent militibus tuis:
Et Regina decus feret
Nobis sæpe triumphans.
Tum, Cernite, tuus Rex stupidus fugâ
Conversâ veniam forte meo Duci
Deflexis genibus petet,
Se victum quoque dicet.
Quid? rides ne? putas hæc fore somnia?
Plus centum proceres, crede mihi, graves
Nobis exuvias suas
Victi deseruere.
Hispanus veniat miles, & Æthiops
Ipsi terribiles vel cuneos ferent
Immitis Darii, ab Jove
Artem qui didicerunt.
Vis promptum manibus forte Vicarium?
Aut tecum validum ducere judicem?

Quid

Quid tum? nostra manus premet
Certe albentia castra.
Nam fossi pedites vulneribus fugam
Quærent, si poterunt: Jussus eques meus
Hos mucrone petet, vel hos
Hastâ: denique cedet.
Haud credas, oculis ni videas tuis,
Cunctis quam valeat gens mea præliis,
Dum palmam referunt domum,
Nec non multa trophæa.
Nam campi in medio sæpe capit ducem
Album noster Eques: ponit & exitum
Magnis litibus hostium
Tendens ad nova bella.
Thraso ne videar, qui sibi gloriam
Adscribit nimiam, jam veniant cito
Ad certamen atrox tui:
Nam res verba sequetur:

JO: ANTONII TURCI.

De Hieronyma Columna.

FUlgida nunc terris, & tam speciosa moratur
Quæ facies, præstans sideribus nitidis!
Ipse procul dubio divino semine natam
Credam: mortalis mos, neque forma patet:
Corpore formoso incedit, vultuque venusto,
Junonis dici possit ut illa soror.
Quum contemplatur Cœlos causasque latentes,
Ejus virtutes miror, & ingenium.
Amplius haud poteris primas Tritonia partes:
Jure sibi primum vindicat ista locum.

LECTORI.

Carmina nonnullorum Poëtarum in octava, & nona hujus Operis parte, nescio quo fato, prætermissa, hic addenda mandavimus. Lectorem admonendum esse putavimus de hac re, ne inversione servati hucusque ordinis permotus, nostrum opus, minus apud illum commendationis haberet.

DIOMEDIS SALÆ

BRIXIANI.

De Torquato cui Spinula Epitaph. inscripsit.

TOrquati jacet hic corpus, nomenque sepultum,
  Horum unum extinxit Spinula, mors aliud.
Tune igitur credis laqueos fore vincula Amoris
  Ornite, quos citharæ nectit Hyella tuæ?
Falleris, illa tibi prædicunt improbe lethum,
  Tale tuum nexo gutture funus erit.

Ad Hippolytum Corsinum.

Ver quot habet flores, pisces mare, sidera cœlum,
  Tot simul atque aliis dotibus ipse nites.
Sed quia non dextro meditatur Apolline carmen
  Spinula, virtutes non capit ille tuas,
Ut tamen ingenui des munera Mæcenatis,
  Illc tibi tumulum condidit ante diem.
Ille tibi tumulum vivo? procul omen abesto,
  Nunc Corsine tibi Spinula ait, morere.

MAJO-

MAJORANI SALENTINI.

De Beſſarione Nicæno Cardinali.

VIvens adhuc feci hoc ſepulchrum Corpori
Beſſario, ad Deum remittens ſpiritum.
Me docta genuit Græcia, at honores dedit
Urbs Roma, quæ mihi perpetuo eſt patria.

EUSEBII SARRINI
FLORENTINI.

Conſtantinus Luſtratus.

BAlnea Porſennæ, ſtudio quæſita ſalutis,
Aut ea, quæ cohibet Bajarum littus amœnum,
Non ego depromo, luſtralem proſequor undam,
Qua Conſtantinus, quem Flavia dives avorum
Progenies duxit, mentem renovavit, & artus.
Muſa virum noſti belloque, togâque potentem,
Imperio dignum, cujus pietate trophæo
Se Crucis inclinant Aquilæ, faſceſque Quirini.
Poſtquam Romanus victor conterruit orbem,
Laurigeroſque tulit, populo ſpectante, triumphos,
Et

Et regum gazas, & opes convexit in Urbem,
Quas habet Ægyptus, quas regna Aſiatica mittunt,
Chriſtiadum ſobolem ſpernentem Numina gentis
(Ingens namque Deum auſpiciis felicibus auctum
Credidit imperium) necibus diſperdere tentat.
Hinc furor exacuit gladios, acieſque furentes
Evocat à Stygiis, ſocioſque Acherontis obarmat,
Quos ciet in miſeros, qualis ſtimulatur acutis
Miſſilibus ferus ad Circi ſpectacula taurus.
Haud mors una ſatis. Nova per tormenta neçare
Nititur impietas: Inſontes nomine ſolo,
Quo crucis invictæ inrrepidè vexilla ſequuntur,
Æſtimat eſſe reos. Anni videre trecenti
Jugiter innocuo rorantem ſanguine terram.
Quando ſibi pacem diro ſpondere ſub hoſte
Quiviſſent? Quando ærumnis imponere finem,
Ni Conſtantinus, quem primum habuere Britannum,
Compoſitis rebus vindex aliquando fuiſſet?
Prole tua felix Helene, lectiſſima conjux
Belligeri Chlori, cui natum fœta dediſti,
Qui regeret Latii molem, Diviſque ſubactis,
Chriſticolis daret æterno cum fœdere pacem.
Hic teneris infans, te matre, exugit ab annis
Candidulos mores. Vitiis non laxat habenas,
Blanda voluptatum Siren convellere caſtum
Pectus nequicquam tentat: Munitus abundè
Egregiis monitis prudens inclinat ephebus
In Chriſti legem, nomen quandoque daturus.
Græcis excolitur ſtudiis, pariterque Latinis;
Eloquio præſtat; non verba, ſed aurea tela
Dulcior Hyblæo jaculatur nectare lingua.
Par ſtudiis virtute pari gerit ardua bella:
Militiam ſequitur pubes orientis in oris.
Miſſus in indomitas gentes, populoſque rebelles
Perdomuit ferro. Melius te nemo, Galeri,
Novit, quem juvenis virtus, generoſaque dextra
Flexit ad invidiam. Tentaſti hunc perdere fraude,
Qui tua bella tegit, veluti ſol aureus aſtra

Luce sua fugat. Illius tu Sarmata durum
Per tua transfixum sensisti viscera ferrum;
Atque tuum regem, juvenis virtute fugatis
Barbaricis turmis, vidisti more ferarum
Ire catenatum ad victoris Cæsaris ora.
Hic addo geminos reges, qui florida regna
Gallorum necibus passim, crebrisque rapinis
Vexabant. illos contra processit, & ambos
Vicit, eosque feris in circi objecit arena.
Compellare libet te Maximiane superbe,
Dum vis Herculeus dici, Alcideque videri
Te leporem præstas. Hujus superatus ab armis
Massiliam trepidans fugis, obsidioneque pressus
Desperans trabe te laqueo suspendis ab alta.
Nequicquam innumeros pedites, equitesque paravit
Adversus Ducis invicti Maxentius arma,
Hic mage luxuria, diraque tyrannide notus,
Qualis sanguineus lupus insidiatur ovili,
Divitias, & opes hiat, humanumque cruorem.
Clade Senatores, atque ex omni ordine cives
Sternit, ut ipsorum spoliis ditetur, & auro;
Acrius insontes cruciat, Christumque perosus
Ejus oves mactat. Quid Constantine moraris?
Aspicis Ausoniam quo sit sub cardine rerum?
Indignis oppressa modis gemit inclita Roma.
Scissa veste, comis laceris, lacrimosaque vultu
Poscit opem supplex, Gallis, occurre, relictis,
In te Dardanii spem concepere Penates.
Ne renue, armatas acies promittit Olympus,
Pugnabunt Superi, pugnabit lucidus æther.
Aspice purpureum cœlum, Crucem in aëra cernes
Ex radiis lucis pictam, tituloque notatam
Hoc: Vince, Hoc uno signo certamen inibis.
Nec mora: Dux acies navus componit, & alpes
Transilit incanas nivibus, glacieque rigentes,
Et celer Hesperiam venit, adversasque phalanges
Gressibus obstantes frangit, penetratque Latina
Littora, qua Tibris limosis volvitur undis.

Tu mihi teſtis eris pugnæ Tiberine cruentæ,
Tu, Conſtantino gladium vibrante, tyrannum,
Adverſaſque acies, rupto molimine pontis,
Cæſas vidiſti rubro ſub gurgite mergi.
Ultoremque tuum ſublimem inferre triumphum.
Numinis auxilio plauſit victoria regi:
Gratus at ille Deo ſeductæ Dæmonis arte
Abrogat errores gentis, totumque per orbem
Jus amplexandi legem, documentaque Chriſti
Omnibus impertit poſita formidine pœnæ.
Tum bona Criſticolis avidis ablata rapinis
Reſtitui juſſa, ac ipſis loca publica reddi.
Unde Crucem Cæſar, ſævum qua vicerat hoſtem,
In Labarum vertit, gemmiſque, auroque micante
Eximie ornatam longa defigit in haſta,
Cujus velamen criſpans de vertice pendet.
Hoc fretus ſigno pugnas feliciter explet,
Et jubet hoc unum, haud Aquilas præcedere caſtra.
Ut quoque tergeminos ea crux perferret honores,
Ipſe ſibi ſtatuam media Dux victor in Urbe
Erigit hoc ſignum dextra ſublime tenentem,
Et gerit in galea ſculptum, dum pugnat in hoſtem.
Rumpitur invidia Serpens viroſus Averni,
Atque dolos verſat, divinus ut obruat Heros,
Quem ciet incautum ad crudelia funera. Natum
In primis Criſpum nulli probitate ſecundum
Et lacrimis Helenæ dignum. Licinumque nepotem
Occidi jubet: Hic Fauſta inſidiante necatur.
Utroſque Auguſtus reputarat faſcibus aptos
Imperii; Cæſar fuerat jam lectus uterque.
Perdit & uxorem Fauſtam in ferventibus undis;
Hac nece digna fuit, quam cæca libido peruſſit.
Privignum Criſpum, cujus languebat amore
Detulit ad regem falso velut altera Phædra,
Ac ſi tentaſſet lectum violare paternum.
Hæc male fœdarunt horrenda piacula nomen
Principis egregii jam multa ætate gravati;
Non ſecus, ac lolium infelix, & inutilis herba

Sponte probas inter ſegetes, ac inter ariſtas
Frugiferas oritur, vitiorum prava repentè,
Inter virtutum decora, ac victricia ſigna,
Semina rupère. Hæ maculæ, ut nec menſtrua luna
Plena ſuis caret, obſcurant illuſtria facta.
Tot cædes infandæ qua ratione pientur
Rex a Flaminibus quærit; Num fluminis unda,
Igneve, ſeu lauri ſuffitu, aut ſulphure tetro
Purgentur ſcelera. At fruſtra luſtratio gentis,
Præter quam ſtatuit Chriſtus Jordanis in amne.
Interea iratus ſtellata vibrat ab arce
Sæva flagella Deus, ſi fors Dux ille rediret
Ad mentem. Scabies ex atro bilis oborta
Humore invadit corpus; cutis undique cruſta
Deformi induitur, carnem prurigo laceſſit.
Hanc ſpeciem morbi lepram dixere Latini.
Quid faciet Cæſar? Regni tutela putatur
Majeſtas oris, ſceptro, ac diademate digna,
Ac magis in regem populi conjungit amorem.
Ex aula prodire rubet, premiturque dolore,
Dum videt in ſpeculo vultum, nolletque videri.
Curæ exire jubent, ſpecies turpata latere,
Quæruntur medici, ſi quam conferre ſalutem
Auguſto valeant, ac primam inducere formam.
Docti in haruſpicio ſuaſerunt triſte lavacrum.
(Horreſco referens) puerorum ex ſanguine. Jamque
Exiguæ ſortis pueri in regione, lociſque
Finitimis Latii quæruntur. Matribus aurum,
Donaque lictores Auguſti nomine ſpondent.
At matres palmis deturpant ora, ſolutis
Crinibus, atque ſinum lacrimis manantibus implent,
Cæſaris ante fores veniunt, ululatibus auras
Æthereas feriunt. Argenti, aurique metallo
Non trahimur, clamant, Soboles conceſſa Deorum
Munere divitiæ noſtre ſunt. Senſus inhorret
Imbelles pretio jugulandos prodere natos.
Quæ fera, quæ tygris, quænam violenta leæna
Non catulos alat, & vitam tueatur ab hoſte?
No-

Nosque neci dabimus caram sine crimine prolem?
Quid lactasse juvat, rigidos ut inebriet enses
Innocuus sanguis? Pœnæ renoventur ut alvi?
Felices steriles, matres utcunque beatæ,
Mors quibus in cunis natos sine vulnere ademit.
Si pereant, quis erit tremula adveniente senecta
Præsidium nostrum, quis nos relevabit egentes?
Aut alimenta dabit? Cum mors pulsaverit ædem,
Quis nobis oculos claudet? quis munus obibit
Funeris, & cineres lacrimarum condet in urna?
Si pueri, ac matris naturam sanguis eamdem
Obtinet, ex nostro faciat sibi sanguine Cæsar
Balnea: Dum pueri vivant, nos usque libenter
Offerimus nostram Augusto pro Cæsare vitam.
Hic gemitus matrum illius pervenit ad aures,
Quem necis infantum miseret, miseretque parent·
Queis dedit & nummos, lacrimas solatus obortas
Sic igitur Princeps motus pietate refellit
Consilium dirum, ac mœrens hæc jactat in aula:
Fretus haruspiciis sternam tot cædibus agnos?
Multorum vitam primo sub limine vitæ
Auferri patiar, scabie mundetur ut unus?
Satque manus (fateor) carorum sanguine lavi.
Tingere me rursum puerorum velle cruore?
Si faciam, potero certam sperare salutem?
Undantes matrum lacrimæ, tum stridor ad astra,
Et cruor infantum clamabunt Numinis iram.
Una salus mihi vel facili medicamine detur,
Aut vadam Manes lepra consumptus ad imos.
Has inter querulas voces nox appetit atra,
Quæ mulcet curas, mulcentque silentia somnos:
Ecce senes bini medio sub tempore noctis
Cana fronte, sua quoque majestate verendi
Apparent Regi in somnis splendore micantes,
Quem placido aspiciunt vultu, ac talia fantur.
Quis tam barbaricam tibi Constantine medelam
Consuluit? Quis eam dirus persuasit haruspex?
Quæ te lepra senem cruciat, carnemque lacessit

Indicium morbi præfert ſub corde latentis:
Utraque non medica dextra, non ſanguine puro
Tollitur infantum, eluitur Baptiſmate Chriſti,
Accipe conſilium: Sylveſter in urbe Sacerdos
Chriſticolis præeſt, qui montis Soractis in antro
Nunc latet, ut ſævos hoſtes, gentiſque furorem
Effugiat, donec fœcunda Eccleſia prolis
Concipiat pacem Excetræ cervice reciſa.
Hunc exquire virum, & quicquid tibi juſſerit, exple.
Hæc ubi dixerunt, caput occuluere coruſcam
In nubem, ac gratum thalamus ſpiravit odorem,
Qualem dives Arabs auſtris perflantibus haurit.
His alacer monitis latebras exquirere Cæſar,
Veſtigare ſpecum montis, luſtrare receſſus,
Si fors inveniat, quem non temeraria noctis
Somnia, ſed nitidi produnt Oracula cœli.
Invenit ergo. virum accerſit, nocturnaque viſa
Pandit. At ipſe duas quibus eſt reverentia vultus
Exerit effigies pictas, profertque videndas
Auguſto: Hos geminos, inquit, ſub lucis amictu
Spectaſti in ſomnis Patres, fideique Magiſtros.
Hic prior eſt Petrus tantum ſubvectus, ut inter
Mortales poſitus, collatis Clavibus, arcem
Pandat ad arbitrium cœli, occludatque; ſed alter
Eſt Paulus Gentis Doctor, qui raptus ad aſtra
Arcana audivit non committenda profanis;
Incolumis fies, horum ſi juſſa ſequaris.
Protinus Auguſtus commiſſa piacula ſacro
Chriſtiadum ſtatuit ritu purgare, ſed ante
Luſtralem fontem ſeptem prius ille diebus
Sylveſtro admonitus fletûs ſe proluit imbre,
Structoſque Ægypti currus, inimicaque caſtra
In Mare præcipitat Rubrum, culpæque peractæ
Pœnitet. At precibus cœlos Eccleſia pulſat,
Ut maculas gemina lepræ luat unda ſalubris.
Excitat ergo penes Laterana palatia Romæ,
Exornatque locum in ſphæræ, formamque ſepulchri
Deſuper extenti, ſeptiſque benè undique clauſi,
Per-

Perque gradus molles fenfim itur ad ima locorum,
In medioque folo ex pario ftat marmore crater
Ingens plenus aqua redolenti ex chrifmate mixta.
Ultima lux aderat, cum facro fonte lavandus
Auguftus venit. Famulorum ad munia cœtus
Promptus adeft. Alii fuftentant Cæfaris artus:
Veftimenta trahunt alii; pars altera fervant;
Lintea pars manibus geftat candore nivali,
Sacraque mirantur reliqui myfteria Genti
Ignota. In Triadis divinæ nomine Myftes
Augufti corpus vitalem mergit in undam;
Verbaque dum profert, fplendor (mirabile vifu)
Affulget; Qualis fcena exornata figuris,
Cortina amota, inter lumina mille renidet.
Dux operante Deo mundatur: Bimus ut infans
Exit aquis, lepræ fquamis in vafe relictis.
Non clamyde induitur picta, fed veftibus albis
Prodit: & ipfa fuo confpecto Principe Roma
Lætitia infolita geftit, Soteria vovit;
Crefcit in Urbe fides, Cœli Capitolia plaudunt.
Solibus hic feptem albenti comparet amictu,
Ac pro Chriftigenis leges, decretaque condit.
Qua paret imperium edictis idola refellit,
Unigenamque Dei promulgat ubique colendum,
Quique laceffiffent ejus venerabile nomen
Ad pœnam pofcit: Sacrifque, Deoque vacantes
Immunes fancit, cumulatque favoribus amplis.
Jamque octava dies cœli rutilabat ab axe,
Cum pofitis albis, Petri procedit ad urnam;
Illeque non clamyde ornatus, nitidaque corona
Defignat fpatium templi, arreptoque bidente
Primus humum fodit; egeftæ fuftollit onuftos
Bis fenos humeris cophinos telluris, & æquat
Difcipulos numero, ac tali dignatur honore.
Multaque Cœlicolis diverfas ille per urbes,
Perque loca imperii extruxit pulcherrima templa
Ingenti fumptu, ac donis regalibus auxit.
Sed quibus officiis, & qua pietate colenda

Sit Romana Fides, ac Sponsa obnupta Tonanti
Principibus reliquis præluxit Flavius Heros.

Lacrimæ Beatæ Mariæ Virginis quærentis puerum Jesum.

Alma Dei Mater regum generosa propago
Davidicæ prolis, niveoque pudore decora,
Dicere fert animus fletus, lacrimasque rigantes
Ora, sinusque tuos, amisso pignore Nati.
Te duce si nostram non dedignaris avenam,
Prosequar, atque tibi pangam lacrimabile carmen.
Ingenui pueri Nutritor, & inclita Virgo
Deserere admoniti in somnis te Nazara felix,
(Felix illius lare, qui sine limite regnat)
Arripiunt iter occultè, noctuque recedunt,
Maturantque fugam, decernunt regna Canopi
Tangere, siqua fides adsit, pietasque sub axe
Barbarico detur. Per calles, perque viarum
Arcta meant, quos una regit clementia Patris.
Sedulus at Custos humeris quasi maximus Atlas
Advehit infantem gratum sine pondere pondus,
Alternaque vice hunc Mater sustollit in ulnas,
Ac illi interdum delibanda ubera præbet.
Niliacæ tandem contingunt Isidis oras
Ignoti Herodi meditanti invadere, sævus
Ut lupus, imbelles agnos: Dum cara Tonantis
Exoritur soboles regalis culminis hæres,
Ille sui regni metuens amittere jura
Horribili infantes sugentes ubera matrum
(O furor immanis) molitur perdere clade.
Nobilis interea septem puer egerat annos
Exul in Ægypto: Defuncto jamque tyranno,
Unaque addicto æternis cruciatibus Orci,
Regna Palestinæ, carosque videre Penates
Contendit, propriamque redux vectatur ad Urbem.
Nunc decet egregiam nobis infantis adempti,
Quam pia suspirat mater, describere formam.

Præ-

Præſtabat nitidis oculis, vultuque ſereno,
Atque genis roſeis, quales non Cous Apelles,
Nec minii color expinxit, decor ipſe pudoris
Purpureo tanquam velo contexit utramque,
Ac divinus amor reliquos afflavit honores
In faciem pueri; nam labra rubentia vincunt,
Quæ dives mittit pretioſa corallia Perſis,
Aut mare fert Rubrum. Dentes levore micantes
Credideris totidem poſitas ex ordine gemmas,
Aut ebur exectum, nigris quod fertur ab Indis.
Regia majeſtas puerili effulget in ore,
Flavaque cæſaries longis obducta capillis
Flectitur ad molles humeros non illita fuco.
Rarus & ambroſius ſermo, tum gratia fandi
Attrahit, ut magnes ferrum, torpentia corda.
Talis erat Jeſus bis ſenos vectus ad annos,
Cernere quem cupiunt omnes, cupiuntque parentes,
Amiſſum quærunt; deducunt fletibus horas.
Ad Solymæ templum toto venerabile mundo
Lex vetus urgebat populum remeare quotannis,
Nec ſine muneribus Domino apparere licebat.
Quid puer hic faceret? Legem qui ſolvere neſcit
Proripit ad templi ſe cum genitoribus ædem:
Ille moras tamen illuſtri molitur in urbe,
Nec remeat, nimis incertum qua ſorte remanſit.
Dum præſtolaris, Virgo, tibi veſper Olympo
Evehit humentem noctem; Nox illa doloris
Materiam dedit, hæc niveo dum pectore verſas,
O mihi nox triſtis nigro ſignanda lapillo,
Angoriſque mei conſors, ſed neſcia ſomni
Longior es reliquis, donec lux ſurgat ab ortu,
Ac puerum quæram; ſub nocte exquirere fletûs
Præſidio licet. In teneras cor vulnere tactum
Solvatur lacrimas, qualis nix Sole liqueſcit.
O ego nunc vivam noſtræ ſine præſide vitæ?
Caſta velut turtur prærepto conjuge murmur,
Ac gemitus edam. Hic vultus ad ſidera tollens,
Rex, ait, Omnipotens matris miſerere dolentis!

Te precor augusta Cœli de sede revela
Quid male demerui, quæ tantæ obnoxia curæ
Culpa latet; ciet hæc querulum jactura dolorem:
Haud hæc namque tuo veniunt sine numine Rector;
Sed condenda prius lex, atque Ecclesia gentis,
Sanguine fundanda, illius divina potestas
Insinuanda prius verbo, firmandaque signis,
Et lapsus hominum Nati sunt morte luendi,
Quæ nisi reddideris non est qui talia præstet.
Postea sollicito corde hæc pia Virgo volutat.
Quare te nostris fili subducis ocellis?
Sidereoque tuo aspectu, facieque decora
Nos orbas? Pergrata tui præsentia vultus
Dum mihi subtrahitur, pectus ferientia verba,
Ac melicam vocem, patulas quæ mulceat aures,
Non audire datur. Forsan tu noctis opacæ
Per tenebras erras nullo comitante, domoque
Hospitioque cares, nec quisquam alimenta ministrat.
Quis vel frugalem cœnam instruet, aut tibi lectum
Sternet, ubi teneros somni vapor occupet artus?
Quis tibi calceolos trahet, aut spoliabit amictu?
Aut lotis membris te unguento, oleoque fovebit?
Et vos Aligeri cives, pulcherrima pubes
Æterni Patris, obsequium præbete nivali
Infanti, vobis sit cordi illius egestas.
Aut modo se vestris fortasse obtutibus offert,
Seu Patrem alloquitur, fideique negotia tractat,
Aut genus Abramidum tenebroso carcere trusum
Invisit puer, ac dictis solatur amicis.
Hæc meditabatur, validisque doloribus icta,
Ite meæ lacrimæ, dixit, gremiumque rigate,
Ac sulcate genas: vestrum sitientia nectar
Labra bibant, tali pluvia cor fertile fiet.
Ite, sed objectas vobis discindite moles:
Quid vero obstiterit? Silices, chalybesque rigentes
Vestro mollescunt latice: Ite per ardua tutæ.
Non oculi solum fletus torrente rigentur,
Quin & purpureos oculorum fontibus imbres
Com-

Commiſcere libet, madeant & ſanguine venæ.
Vos igitur lacrimæ ſaltu percurrite campum,
Dulcis amor jubet, amiſſum invenietis amantem.
Jamque aurora diem croceis ſubvecta quadrigis
Vexerat, atque poli convexa fugaverat aſtra,
Cum digreſſa domo Virgo mœſtiſſima carum
Unigenam ex imo ducens ſuſpiria corde
Inter cognatos exquirit, & inter amicos,
Preſſaque curarum mole: In regione viarum
Electum vidiſtis, ait, de millibus unum,
Cujus in ore decor candentia lilia vincit,
Virgineaſque genas infecit purpura regum?
Hæc lamenta dabat: Ternis at ſolibus actis,
Saucia corde petit Solymam, puerumque ſedentem
Inter doctorum cathedras, primoſque magiſtros
Invenit in templo referantem dogmata legis.
Eſt locus exedris ſacra conſeptus in æde,
Lex ubi cornigero Moyſi ſuper ardua Sinæ
Tradita devotæ legitur per Sabbata plebi.
Huc graditur puer, atque loci ſubſellia ſcandit,
Doctrinæque ſuæ præbet ſitientibus hauſtum;
Cur hauſtum dicam? Hic mentis inebriat agrum
Undanti fluvio; qualis dum terra fatiſcit
Æſtibus, arentes campos rigat imbribus æther,
Aut limoſus agros Ægypti Nilus inundat.
Priſcorum vatum audires reſerare figuras,
Seu conferre loca, aut ſenſus aperire latentes,
Deinde ſenum ſpiras, & acuta ſophiſmata verbi
Divini gladio reſecare, ac prorſus inani
Doctrina inſtructos ſapientes ſternere legis;
Non ſecus ac ingens ferro munitus adunco
Turritas aries urbes, ac mœnia quaſſat.
Infantis reſponſa viros in lege peritos
Suſpenſos retinet. Illi mirantur, & ajunt:
Tantane condecorat pueri ſapientia pectus?
Hanc unde exuxit? Quæ namque lycea ſubivit?
Hic decus eſt populi noſtri, ac ſpes altera Judæ:
Aut novus eſt vates, aut cœli venit ab axe.

Pars ſtupet infantis ſpeciem, moreſque ſeniles:
Commendant alii matrem, quæ germine prolis
Jeſſeæ gaudet: felicia viſcera dicunt,
Quæ tulerint natum, quo non ſapientior alter,
Terque beata vocant, quæ filius ubera ſuxit.
  Tunc gemini ſponſi venêre labore viarum
Feſſi, quique prius fiebant angoribus icti,
Invento puero, lacrimis ſua gaudia jungunt;
Corda ſerenantur; quales ſub tempore veris
Omnigenis rident veſtiti floribus agri.
At veneranda parens natum complexa, quid inquit,
Feciſti nobis fili? Te namque dolentes
Vir Cuſtos, & ego mater quæſivimus ambo:
Quæ te ſublatis peperi cruciatibus alvi,
Heu ſine te, fili, pœnis majoribus arctor.
  Filius at contra, Cur noſtra abſentia, dixit,
Cor tibi confregit mater? Tu nempe dediſti
Nobis mortales artus, animamque Tonantis
Munere, cognoſco, ſed Adæ pro crimine dandam.
At natura Dei puerilibus abdita membris
Eſt opus, ut mundo fiat manifeſta labanti;
Meque ſalus hominum quandoque recedere cogit
Abſque tuo imperio, ſed amor diſcedere neſcit.
Dum me quærebas, hæc ſola negotia Patris
Verſabam: Cohibe Genitrix vim mollis amoris,
Parce modo lacrimis, quas noſtra in morte reſerves,
Cum me ſuffixum ligno pendere videbis.
  Dixerat. Hic mater lacrimas abſtergit obortas,
Sol velut imbriferas diſſoluit in æthere nubes,
Ac radiis victor nebulas pervadit opacas,
Cœlumque, edomitis tenebris, pontumque ſerenat.
Poſtea dia Parens infantis corripit almi
Dextram, Joſephus lævam, Solymaque relicta
Tres ibant. ſed erat medius pulcherrimus infans.
Nazareumque larem repetunt, ubi Subditus Illis,
Nempe ſuæ matri, nutritorique fideli
Mitis erat puer: audebuntne tumeſcere putres
Vermiculi? Imperii faſces, ſellamque curulem,
Aut

Aut cupient faſtum, vel inane extendere nomen,
Dum rerum ſe demittit mortalibus Auctor?
Quid reputas bis nonos illum egiſſe per annos
Ignotum, donec triceſima ſurgeret æſtas,
Ac manifeſtaret ſeſe Jordanis ad undam?
Vis dicam? Didicit juſſis parêre parentum.
Proh ſtupor (hic rerum ſeriem brevitate coarcto)
Ille ſubeſt homini, cui ſubjacet orbita mundi,
Obſequiturque Polus, Tellus, ac triſtis Avernus.

Apis Virginea.

Si tibi Virginitas proles ſpecioſa Tonantis,
  Ac pudor eſt cordi, carmina noſtra lege.
Illecebras Cypriæ matris calcare fugaces,
  Aligerique docent frangere tela Dei.
Proferat in terris alter, vel in æquore vaſto
  Imperii fines, congerat alter opes:
Vincere finitimos hoſtes, pugnare viritim
  Qui intrepidè didicit, ſuſpiciendus erit.
Gloria magna duci præda, valloque potiri,
  Aut aciem belli fundere, ſive mori.
Pulchrior eſt homini domita de carne triumphus:
  Miror, quem Veneris non tetigere faces.
Deque rebellanti rara eſt victoria ſenſu,
  Pugnaque cum diro jugiter hoſte manet.
Cui decus Angelicæ vitæ aſſimilare licebit?
  Mater apis ſpecimen Virginitatis habet.
Vivit enim cœlebs, fœtus ſine nixibus edit,
  Reſpuit amplexus, connubiumque fugit.
Nemo coire ſimul vidit, nec habere maritos,
  Et tamen hæc prolem ſuſcipit abſque thoro.
Hinc aucta ſobole antiquas examina gentis
  Deſtituunt ſedes, repperiuntque novas.
Innuba progenies numeroſior intrat in aulam,
  Et graditur, mitis quo terit Agnus iter.
Quæ componit apis croceis ex floribus Hyblæ
  Roſcida mella puto facta pudoris ope.

Otia

Otia rumpit apis solerti intenta labori,
Virgo domi numquam desidiosa manet.
Murmure pergrato stimulare videtur ad arma,
Arma movet cœlebs in Phlegetonta cohors.
Pulchrum decernit pro rege effundere vitam,
Ambit pro Sponsi nomine virgo mori.
Colligit illa thymum, discurrit odora per arva,
Hæc inter flores deliciosa cubat.
Illa situ gaudet mundo, ac redolentibus herbis,
Divini hæc Verbi pulchra vireta petit.
Illa bibit liquidos fontes, rivosque nitentes,
Expetit hæc fontis prosilientis aquas.
Mellitis apis in cellis secura videtur;
Est virgo a blandis sub Lare tuta procis.
Arcet apis fucos, Lenones virgo repellit,
Non Leo virginibus, Leno protervus obest.
Hæc geminos fœtus tacito bis nutrit in anno,
Viribus exiguis prolis amore calet.
Non est virginitas sterilis, sed fœta gemellis,
De cœlo sobolem quærit habere suam.
Lætaque centeno fructu Capitolia cœli
Implet; Connubiis uda repletur humus.
Servandum Numa virginibus Vestalibus ignem,
Quod nihil ex nostro nascitur igne, dedit.
Dat volucres aër; pisces aqua, reptile tellus;
Flamma vorax ignis nil generare valet:
Sed cum virginitas humana prole careret,
Vestæ (erat hæc ignis) jure dicata fuit.
Christicolæ malunt ignem servare puellæ,
Quem non ara calens, sed pia corda fovent.
Quæ Verbo nuptæ vinclo cœlestis amoris,
Lætantur prolem se peperisse Deo.
Inclita Virginitas, te muta elementa verentur,
Obsequiturque tibi quidquid in orbe jacet.
Perfregit Catharina rotas, Christina ligato
Ad collum saxo, tuta natavit aquis.
Lucia consistit, qualis remoratur in unda
Ad remoræ morsum longa carina freti.

Hæ-

Hærentemque ſolo pedibus convellere vires
  Non hominum poſſunt, nec juga multa boum.
Flammas eructet fornax Babylonis ad aſtra,
  Ingenuis pueris ignis obeſſe nequit.
Nullo fornacis meritò læduntur ab æſtu,
  Qui ignorant æſtus o Cytherea tuos.
Quid rogus Agneti nocuit? caſtiſque puellis?
  Ut ros flamma fuit, carbo pyropus erat.
Te coràm, Thecla, immanes jacuere leones,
  Non artus auſi ſcindere dente tuos.
Ingeniique ſui oblitæ, poſitoque furore,
  Lingebant veſtes, virgineoſque pedes.
Luxuriæ cœno Stygias properatis ad umbras,
  Quando virginitas eſt veneranda feris?
Quem mare,quem tellus,quem cœlum,ac pronus Avernus
  Non capit, in gremio contulit illa ſuo.
In fragili ſexu tulit omni robur in ævo,
  Cui potior vita gemma pudoris erat.
Non Collatini intumeat Lucretia conjux
  Laude pudicitiæ, nomen adepta nece.
Quiſquis es hanc unam ſiquo dignaris honore
  Falleris, & cauſam cur reprobetur, agam.
Haud potis efficitur teſtis, qui humana perοſus,
  Principis injuſſu de ſtatione meat.
Se nimium puduit lectum fœdaſſe jugalem,
  Vivere poſt ſtuprum noluit illa diu.
Sangnis adulterium transfixo pectore ferro
  Arguit, & clamat criminis eſſe ream.
Neſcia ſi fuerat ſceleris, ſi mente pudica,
  Cur inſons proprio damna cruore piat?
Corpore vim paſſam, juvene inſidiante procaci,
  Interna aſſenſum mente dediſſe negem?
Femina ſed vanæ ſtimulata cupidine laudis,
  Id ſcelus inflicto vulnere ſponte luit.
Hæc valeat mulier: Chriſti mirere puellas,
  Quæ gemini Sponſo flore pudoris olent.
Elegere mori ferro graſſante tyranni,
  Ne roſeo caderet caſtus ab ore decor.

Ex

Ex his quam referam? Euphrasiæ libet addere factum,
  Accipe qua techna vicerit agna lupum.
Integritas erat egregiæ cum munere formæ,
  Sed mundus lites inter utramque fovet.
Quæ renuit florem ingenui temerare pudoris,
  Ad turpem rapitur prostituenda locum.
Ingreditur miles, tentatque illudere castam,
  Luxuriamque procax exsatiare suam.
Ut solet, accipitre inspecto, trepidare columba,
  Sic ea congressum mœsta puella timet.
Non precibus juvenis, lacrimis non flectitur ullis,
  Sed magis incendit sæva libido rogum.
Quid faceret virgo? effugiet? sed turpe lupanar
  Non sinit: An fiet præda rapacis avis?
Tu Pater ancillæ robur, mentemque dedisti,
  Qua validos hostes vicit inermis ovis.
Consilium versat, quo præstet utroque decore,
  Virgoque virgineos possit adire choros.
Perbenè versatam magica se fingit in arte,
  Miraque carminibus posse ciere suis.
Vertitur ad juvenem, atque in eo discrimine clamat,
  Siste, tibi arcanum, (sed mihi parce) dabo,
Pharmaca sunt nobis irati ad vulnera Martis,
  Hostis hebet gladius, si tua membra linis.
Hæc tibi donabo, nullus te læserit ensis,
  Hæc mea sit merces, ne maculetur honos.
Impiger in bellis hostiliâ tela retundes,
  I celer, atque manus consere, victor eris.
Tu mihi persanctè jures (secretaque pandam)
  Te servare meum velle nivale decus.
Quæ docuit Circe quondam, Medeaque verbis,
  Ac variis herbis ingeniosa, bibi.
Ut memet credas mendacia fingere nolle,
  Quæ dixi in membris experiare meis.
Sistit ad hæc miles, lentatque Cupidinis arcum,
  Membraque non audet tangere sacra Deo.
Gloria militiæ, ut torris restinguitur unda,
  Pressit Avernales militis una faces.

Jam

Jam posito velo mulier denudat eburnum
  Pectus, & ecce micant interiora sinus.
Igne liquat ceram, tenerum linit undique collum,
  Et qua sit cervix ense petenda notat.
Exere nunc gladium, cervicem percute, dixit,
  Pharmaca quid possint nostra videre licet.
(O Amor indormis? Defendere nulla puellam
  Cura tibi superest? teque vidente, cadet?)
Hic stupet, & miles formoso pectore viso,
  Hæret ad hanc speciem, pænè ferire timet.
Hinc cupit, hinc metuit, qualis jactata per æquor
  Iratum puppis, fluctuat ille miser.
Prævalet unus amor belli, in præcordia vires,
  Quas forte infregit fœda libido, vocat.
Tunc capulum stringit gladiator, vibrat & ictum,
  Atque repente truci demetit ense caput.
Talibus illa dolis lascivum elusit amantem,
  Ac retulit Sponso lilia juncta rosis.
Spiritus illimis duplici cum fœnore cœlum
  Sanguinis, ac niveæ virginitatis adit.
Nunc hominis facinus, quo scorti obscœna libido
  Pulsa procul fuerit, Musa referre cupit.
Concipe vernantem naturæ fœtibus hortum,
  Ac variis herbis, arboribusque satum.
Mitia quæque sua pendent ex arbore poma,
  Adde quod omnigenis floribus hortus olet.
Flamina tum recreant Zephyri, placidoque susurro
  Fronde repercussa sibilat aura levis.
Argutæ volucres demulcent aëra cantu,
  Et querulis casum flet Philomela notis.
Perspicuo de fonte latex argenteus illic
  Manat, & in rivos flectitur unda loquax.
Quæ teretes vexat dulci stridiore lapillos,
  Deinde pererrantes herbula potat aquas.
Arboreæ frondes faciem telluris opacant,
  Nec vires ullas Sirius ardor habet.
Hic cœli desunt insecta volantia dono,
  Hic natura dedit prodiga quidquid aves.

Hæc

Hæc loca credideris Daphnen, ſeu Theſſala Tempe,
  Seu magis Elyſios, Heſperidumque lares.
In medio ſcenæ viridantis amoribus aptus
  Cum molli pluma lectus eburnus erat;
Quem roſa, quem violæ ſtipant, & candida circum
  Lilia, quemve Tyri ſtragula picta tegunt.
Quis tot delicias fieri cruciamina credat
  Sæva, quibus Chriſti perderet hoſtis oves?
Corpora non acie ferri jugulare tyrannus,
  Illecebris animas excruciare cupit.
Niliaci juvenis facinus reſtabit in ævum,
  Cui vix lanugo pinxit utraſque genas.
Hunc ſuper inſtructum nudato corpore lectum
  Molliter adſtringunt ſerica lora virum,
Dum jacet, ac metuit florem maculare pudoris,
  Hæc ſecum jactat non ſuperandus eques:
O ſuper ignitam cratem nunc ipſe cubarem,
  Artus, non animam, læderet illa meos.
Durius hoc ſtratum tauro candente Perilli
  Eſt mihi, dum pluma torquet iniqua manus.
Purpura non equidem, aut bombyx, me dira catena,
  Quam faber inferni cuſit in igne, ligat.
Me miſerum, impactos laqueos abrumpere quibo?
  Heu tot deliciæ pocula mortis habent.
Dixerat: Interea verbis armata doloſis
  Adrepit meretrix compta, datura necem;
Quis ſuper hunc lectum, juvenis pulcherrime, dixit,
  Te modo compoſuit? Tene ligavit amor?
Quid ni? Vulcani inſidiis conjectus in aureis
  Retibus eſt Mavors; Vinxit amica Venus.
Ut meus eſſe velis, ſtrinxit te penniger infans;
  Gradivo fies ſævior ergo patre?
Grata loci ſpecies teneros invitat amantes,
  Invitat Genius, prolicit iſte thorus.
Talia dum fatur, juvenem complectitur ulnis,
  Membraque contrectat, ſolicitatque nefas.
Ille nequit manibus, nec calce repellere monſtrum;
  Quonam couſillo turpe cavebit opus?

Tol-

Tollere vult oculos, ut opem deposcat ab alto,
At species scorti non aperire sinit.
Non secus ac visu latitans basiliscus arena,
Femina luminibus, Dæmonis hydra, necat.
Sint oculi clausi, patulas stillabit in aures
Blanda notas Siren, aure venena bibes.
Jam sibi sternit iter jaculatum in viscera telum,
Et repit fervens ima per ossa calor.
Rex æterne poli quid agis? nisi dextra labanti
Occurrat, Stygii victima regis erit.
Ad nova, quæ numquam vidit spectacula Roma,
Vos pugil egregius, Numina magna, vocat.
Plurima dum versat divino percitus igne;
Navus ut Alcides monstra nefanda petit.
Expuit in faciem meretricis dente recisam
Purpuream linguam: lingua medela fuit.
Discite mortales frenare libidinis ignem,
Discite qua scortum vicerit arte pudor.
Dum rapido cursu Titan lustrabit Olympum,
Invicti Herois fama superstes erit.

Elegia in obitu geminorum Fratrum Alexandri, & Petri Strozziorum.

Provocor ad lacrimas, Strozzæ duo lumina gentis
Mors gelida extinxit; Pone Camœna fides.
Prome leves Elegos, lætabile subtrahe carmen,
Aptaque funeribus tristia verba refer.
Heu geminos fratres nulli probitate secundos
Non fato meritos sustulit una dies.
Unus amore duos regeret cum spiritus artus,
Una jure die scandit uterque polum.
Dum rabidus Canis insolitis ardoribus urget,
Terribilis Lachesis fila repente secat.
Cessit Alexander custos virtutis, & æqui,
Actibus, & claro nomine adæquat Avos.
Quas animi dotes? Quas illo in pectore custos
Naturæ Genius non cumulavit opes?

Et genus, & proavos alii mirentur; in armis
Enumerent promptos, quique fuere toga.
Plus ego suſpicio mentis ſine labe nitorem,
Ingenuis animis nulla litura ſubeſt.
Qui fuerat prudens opulenta in pace togatus.
Nec piger in ſævo Marte fuiſſet eques.
Alter erat Petrus Muſarum gratus alumnus,
Candidus eloquio, clarus utraque lyra.
Si caſtas Veneres aveas, verbique leporem,
Explebit Petri limpida vena ſitim.
Aſſiduam ſtudiis non fregere otia mentem,
In qua conſtituit docta Minerva larem.
Ingenium præcox legis ſpes una fuiſſes,
Heu niſi pulsaſſet mors inopina fores.
In facie decor, ac virtus animoſa futuri
Janua (ſic equidem rebar) honoris erat.
Majeſtas, & amor roſeo fulgebat in ore,
Indolis hæc magnæ ſigna fuere tuæ.
Gratus uterque fuit morum gravitate, ſed uno
Tempore perfuſis arbor uterque genis.
Ut geminos veris flores, ridentis ut horti
Lilia, turbo velut, ſors inimica rapit.
Felices animæ, quibus in candore juventæ
Fas eſt Elyſio poſſe virente frui.
Jam bene compleɛtor. cur nobilitatis avitæ
Cornigeris Lunis ſtemmata veſtra micant.
Vos juvat inſtabilem rerum triviſſe figuram,
Aſtra quibus niveum dant meliora locum.
Cœlituum Divum qui Sole fruuntur in æde,
Sub pedibus Lunas deſeruere ſuas.
Veſtra mihi interea liceat divortia flere,
Bina ego perculsus luce carere queror.
Non mihi naufragium narranti barbitos adſit,
Funus ego inſtauro: Sic Libitina jubet.
Si mea vota piis valeant pro Manibus, aræ
Conſortes Agni ſæpe nivalis erunt.

In Italiam Sacram, cujus ſinguli Epiſcopi recenſentur a Ferdinando Ughello Abbate Ciſtercienſi.

Novimus Heſperiam veneratam Numina Divum,
  Thuraque ſacrificis impoſuiſſe focis,
Priſca diu coluit trabeati jura Quirini.
  Quodque tulit pietas, Relligioque Numæ.
Scilicet acquiri belli virtute putavit
  Imperii faſces, ac pietate regi.
Unde Quirinales, Salios, rituſque ſacrorum
  Ordinat: hac durum perdomat arte genus.
His deluſa modis ſteterat Saturnia tellus,
  Dum fleret Stygium ferre coacta jugum.
Sidereos hauſtus divinæ lucis, abactis
  Errorum tenebris, corde renata bibit.
Nulla ſuperſtitio noſtro licet eſſet in ævo,
  Non tamen hæc fuerat nomen adepta ſacrum.
Extulerant alii cives, Patreſque togatos,
  Et quos militiæ vexit ad aſtra labor.
Alter doctrina eximios, linguaque diſertos
  Laudat; Romanas cenſet & alter opes.
Pontificum ſeriem, quos Itala terra per Urbes
  Conſtituit, nulli prodere cura fuit.
Unus Ughellus erat, qui tot molimina ferret,
  Atque typis fato ſub meliore daret.
Hujus ope Auſonios vittato crine micantes
  Ordine quiſque ſuo dinumerabit Avos.
Et genus, & virtus horum, hac ſapientia nutrix
  Indolis egregiæ ſæpe legenda venit.
Quo ſervetur habes ardore, quibuſque paretur
  Moribus, ac ſtudiis, Pontificalis apex;
Sive quid officii non errabunda miniſtris
  Debet Apoſtolicis reddere, diſcet ovis.
Fortunæ luſus quandoque recenſet in illis,
  Et pede quam celeri faſtus, honoſque cadat.
Hic recreare vales, confert dum ſacra profanis,
  Hiſtoria mentem, Lector, utraque tuam.

Perdius, & pernox tabulas, monumenta, libellos
  Trivit, ut hoc ingens perficeretur opus.
Jugiter historiis hæsit, sudavit, & alsit,
  Ac revocavit eos, qui latuere, Patres.
Macte animo Fernande, gradum tibi ponis in astra;
  Gloria post ausis una superstes erit.

De Oraculo Apollinis; nosce te ipsum.

Si calcas rosei limen Apollinis,
Hospes siste pedem; præ foribus lege
Scriptum haud de trivio, quo sapientior
Fias. Non pelagi monstra natantia,
Non pictas volucres, nec pecudum greges,
Herbarumque genus, nec rutilantium
Virtutes lapidum littera continet:
Signare hæc radio lucida sidera,
Metiri bolide & tot freta nautica,
Aut quare unda pari tempore ferveat,
Ac in se refluat, non docet advenam.
Cur nubes Aquilo verrit, & humidus
Auster fert pluvias, cur sata nix fovet,
Ac tantum frutices, atque virentia
Lædit bruma rigens; quamve tonitrua,
Et fulmen trifidum ducit originem,
Non disces. Animum Pythius instruit;
Te (si rite sapis) Noscere præmonet.
Sic Crœsum docuit: Tuque beatior
Illo non opibus, non loculis eris:
Ast uno monito cœlitus edito.
Hæc regem Siculum vox Agathoclea
Effecit memorem stirpis humillimæ:
Cum lautis epulis ille recumberet
Cælatas pateras inter, & aureas
Lances vasa luti sæpius addidit,
Ne forte excideret se figulo satum.
Te rex alloquitur, ponere te modum

Por-

Fortunæ insinuat rebus, & asperis
Frœnare illecebras, lætaque tristibus.
Interdum quatitur cymba furentibus
Cauris, at procul est ille periculis,
Cui census, & opum sit mediocritas.
Pennis Icariis arduus æthera
Scandas, major erit casus in æquora.
Hoc disce, ex humili nemo loco ruit.
Si vis scire Deum, sis tibi conscius,
Si te discutias, si bene ponderes
Quid nostrum valeat fictile. sternere
Te numquam poterunt flabra superbiæ.

Luxuriæ damna, mulierumque exitia recensentur.

Rectius proni numerare quibis
Littoris Ponti steriles arenas,
Quam voluptatis, Venerisque fluxæ
Damna referre.
Audet infrœnis mulier ruinas,
Regiam vino Macedo calescens
Tradidit nutu meretricis igni
Perfidus urbem.
Bella bis quinos Helene per annos
Dardanos inter, Danaosque vidit;
Hujus ob raptam speciem superbum
Ilion arsit.
Quo fuit seclo Venus absque pugna?
Feminæ causa vetus ante Trojæ
Dirutæ bustum fremuere sæva
Prœlia Martis:
Illa sed longo reticentur ævo:
Quid nisi clades muliebris affert
Sexus? ob Chrysen miseranda pestis
Pressit Achivos.
Ceteras forma sileam nivalis
Oris illustres? Jole, Theano,

Phædra, Briſeis necis, ac malorum
Eſca fuerunt.
Hunc amor finem tenet in medullis:
Phyllis immenſi impatiens amoris
Terminat fatum laqueo, migratque
Vulnere Dido.
Quis tua Antoni ſuperavit arma?
Cæſar Auguſtus? Minimè: virile
Pectus infregit Cleopatra Nili
Callida Circe.
Non aqua immiſſo violenter imbre
Obruit terram, genus ac videntum;
Quidquid hic ſidit malè funeravit
Blanda voluptas.
Quanta pro Dina mala ſunt oborta?
Quanta Levitis geminavit uxor?
Multa funeſtæ dedit hæc virorum
Millia cædi.
Impetit ſolum pharetratus infans
Floridam pubem jaculis? Suſanna
Viſa ſub lymphis riguis ſeniles
Repſit in artus.
Haud amor frœno regitur puellæ:
Ebrius quondam Solymæ tyrannus
Polluit menſas, novus ut Thyeſtes
Sanguine Juſti.
Tactus hac Amnon ſcabie ſororem
Arſit infelix, Cinaramque Myrrha,
Ac Nero matrem: Patrat hæc Cupido
Cæcus, & ex lex.
Carnis huc venit petulantis ardor;
Spinthriis Xerxes (ſcelus o piandum)
Dona pro turpi poſito pudore
Præbuit actu.
Nomen, ac cenſus adimit libido,
Frangit & vires, rationis uſum
Sola prævertit, rigidique valvas
Pandit Averni.

Illa

Illa virtutes magè quam Vesevus
Arva devastat, superatque potus
Una Circeos; homines in atra
Monstra reducit.

De mortis figura allegoria.

Lethi quæris imaginem?
Horrebis speciem. Mors sine lumine,
Carne, & sanguine fingitur.
Moles tabificis nititur ossibus,
Quæ velat cutis arida,
Noctisque, ac Erebi lurida filia
A priscis Dea credita,
Vitæ, atque interitus imperium tenet.
Regali diademate
Fulget, quæ populos, regnaque subdidit
Pœnorum, atque Quiritium
Pugnas, ac Danaos stravit, & Ilium.
Utrisque illa oculis caret,
Quæ nullos hominum respicit ordines.
Nec clarum genus eximit,
Una falce secat celsa papavera,
Ac detruncat oluscula:
Reges purpureos æquat egentibus.
Idem ingressus, & exitus
Crœsum, Irumque manet. Non patulas habet
Aures; Surda petentibus,
Nec largis lacrimis, nec prece flectitur.
Fors ipsa est sine sanguine,
Quod consanguineis parcere nesciat?
Fors horret sine carnibus,
Quod fomenta terat sæva libidinum?
Cur os, linguaque deficit,
Effarique nequit? Num quia mors venit
A tergo tacito pede
Nullum voce monens? Ille mori timet,

Quem vitæ male conſciæ
Culpæ diſcruciant: Ducit amabilem,
Quem virtutis adorea,
Ac jactus decorat pulvis Olympicus.
Mors rerum ultima linea
Juſtis eſt facilis trames ad æthera.

In eos, qui ferro deſæviunt, atque in bella ruunt.

In noſtra primus damna quis aſperum
Ferrum profundis ex latebris ſoli
Effodit? aut conflare ſævos
Quis docuit gladios in igne?
Arbuſta, terram, ſaxaque dividat,
Lentaſque vites amputet; In malos
Torpeſcat uſus: Mucro ceſſet
Innocuam jugulare gentem.
Diro metallo qui ruit ad necem
Vere putandus ferreus: Heu viam
Cruoris hauſtu gloriamur
Nos breviorem aperire fato.
Ad arma quæ vos Eumenides vocant?
Ut largus amnes ſanguis inebriet?
Ut arva rubro immergat imbre?
Ac populis viduentur urbes?
Humana turpe in viſcera triſtibus
Sævire bellis. Ille rigens chalybs
In Africæ monſtra, in leones
Fulguret, Armeniaſque tigres.
Non enſe, pugnis priſca laceſcere
Pubes ſolebat: Non dubii furor
Mavortis ardebat, nec orbem
Cladibus imbuerat cruentis.
Plus Indus auri, quam chalybis fodit,
Nec ſæviendi cauſa revellitur,
In aureis conſuevit ipſe
Compedibus retinere ſontes.

Res

Res Punicas, seu bella Quiritium,
Trojæque pugnas qui velit explicet,
Ducesque Grajos, quæve gessit
Prœlia Rex Macedo, revolvat.
Enarret alter Sarmatas, ac Getas,
Trucesque gentes: Laudibus efferam,
Qui ferri egentes haud renident
Casside, vel gladio bipenni.
Pennas, & alas quis dare ponderi
Scabro coëgit, fecit & alitem?
Ut ocius seducat artus,
Mors fera missilibus cietur.
O si recurrant aurea secula,
Accedat & pax, Martia prœlia
Dissolvet, ac sedes Erinnyn
Ad Stygias remeare coget.

Hymnus ad Angelum Custodem.

O qui perpetuas inter Olympi
Sedes cum nivea pube refulges,
Commisso famulo, Dive, salutis
Da post curriculum tangere metam.
Obtutu placido cerne clientem:
Technas, insidias, armaque sæva,
Quæ dux tartareus Marte cruento
Miscet, tu vigili disiice cura.
Quisnam dinumeret quæ mihi Dæmon
Versutus laqueos tendit inermi,
Ut me præcipitem ducat ad Orcum,
Ni tu militiæ munus obires?
Furtim, dum vigilo, me petit hostis,
Si noctu reparem membra sopore,
Me phantasmatibus concutit atris;
Si cœlum cupiam, nixibus obstat.
Heros si lateri promptior adsis,
Nil est quod timeam, nilque pavescam,

Tu

Tu cordi trepido robur adauges,
Arcus, & pharetras conteris hostis.
Vox a lethifero me tua somno
Internis monitis sæpius excit:
Dum nos alloqueris cordis in aure,
Non ictu feriunt aëra verba.
Tu pulsas thalamum pectoris intus,
Ut cordis foribus sponte reclusis
Cœnatum veniat Sponsus, & una
Mecum permaneat nobilis Hospes.
Cum vitæ sciderint stamina Parcæ,
Christi frugifera morte redemptam
Ad cœlos animam, regnaque perfer,
Ut tecum rutila luce fruatur.
Te Custos animæ, te bone miles,
Te pro me vigilem laudis honore,
Votis, & calamo prosequar usque
Dum convexa polus sidera pascet.

De augustissimo Eucharistiæ Sacramento.

Pro dapibus magni pretii Regina Canopi
Romano gemmam dat Cleopatra Duci.
Isthæc ridet Amor, quid majus præbet in escam,
Semet Amor donat; fit cibus ipse Deus.
Quas epulas comedunt nivei super æthera cives,
Quando cibum vitæ vir peregrinus edit?

Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Aspice, sanguineus Christi de corpore sudor
Manat, & exundans currit ad usque solum.
De nece vindictam tellus clamabat Abelis,
Jamque sui Domini tacta cruore silet.
O utinam sterilem cordis nunc irriget hortum,
Ne ferat horrentes amplius ille rubos.

Tunc

Tunc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.

Cladibus Ægyptum pro te, variisque flagellis
Attrivi, ut sospes, perfide Verpe, fores.
Ecce vicem reddis, manibus post terga revinctis,
Artus verberibus scindis, arasque meos.
Sic ego luxuriæ Stygias extinguere duxi
Sanguine, dilapso per mea membra, faces.

Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt super caput ejus.

Terra parens rerum sentes produxit acutos,
Criminis in pœnam cum maledicta fuit.
In te Nate Deo cecidisse hæc pœna videtur,
Cum terebrant frontem spinea serta tuam.
Purpureis rivis compuncto vertice rorant
Vepres, dum servos regius ornat apex.

Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locus.

In manibus regum gemmantia sceptra tenentur,
Cerne, supra dorsum sceptra Redemptor habet.
Ille crucis sceptro succumbit pondere pressus,
Heu nostræ culpæ fasce gravatus erat.
In te perveniens regni, Calvaria sedem
Finxit, ibique suum morte peregit opus.

Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.

Te Judæa procax cœlesti pane tot annis
Pavi; de petra bisque fluenta dedi.
Fel mihi nunc præbes, ac potas guttur aceto,
Sunt mea, dum crucior, labra perusta siti.
Arboris heu vetitæ suspensus in arbore tristi
Esca fellis ego furta piare volo.

Memento mei dum veneris in regnum tuum.

Quando crucis ſceptro penetrabis lucida regna;
  Chriſte, memento mei, dum cruce furta luo.
Nil niſi terrenum rapui, terrenaque ſordent,
  Si rapiam cœlum, fur memorandus ero.

Tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, & obſcuratus eſt Sol.

Ne ſcelus aſpiceret Titan immane Thyeſtis.
  Flammigeros retro protinus egit equos;
Fabula non mendax irarum ſigna dediſſe
  Lumina, crudeli dum nece Vita perit.
Contendunt tenebræ ſoli revelare pudorem
  Chriſti, cum nudus pendet in auge crucis.

Ut conſummaretur, ſcriptura, dixit Sitio.

In cruce, Chriſte, ſitis, dum nos terrena ſitimus,
  O lacrimis valeam te recreare meis.
Has bibe, ſit fletu nullus tibi gratior hauſtus,
  Hunc bibe, torrentem ſanguinis ipſe bibam.

Et inclinato capite emiſit ſpiritum.

Mors fera, ſi ſternis cedros, ſi cædis ariſtas.
  In cruce cur hominem ſegnis adire times?
Te vocat ad pugnam inclinato vertice Chriſtus,
  Perge, tibi cladem morte daturus erit.

Et terra mota eſt; Et petræ ſciſſæ ſunt.

Dum moritur Chriſtus, petræ ſcinduntur, at uni
  Mortales homines, cos ut acuta, rigent.
Concutitur tellus, elementa dolore labaſcunt,
  Sed tua nec minimo lumina rore madent.

Aſpe-

Aſpera ſi fias cautes, cum cautibus ipſis
Duritiem ponat cor, moriente Deo.

Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua.

Jure latus Domini perfodit militis haſta,
Si latus arca fuit, lancea clavis erat:
Sanguis, & unda fluit transfixo pectore Chriſti,
Diluit hæc maculas; ornat & ille genas.

Tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum.

Quid mulier ploras? Dilectum nemo Magiſtrum
Suſtulit: Hunc Stygii reſtituere lacus.
Ergo feres magnum tu ſola cadaver in ulnis?
Aggredere, ipſe dabit vim generoſus Amor.

Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?

Quis lapidis molem removebit ab ore ſepulchri!
Tres ajunt Dominæ, dum monumenta petunt.
Non lapis, excubiæ veſtris conatibus obſtant,
Fulmineo miles vendicat enſe locum.
Omnis erit labor incolumes tranſire per arma,
Pergite, militiæ robora frangit Amor.

De providentia Dei in Eliam Prophetam.

Ingluvie nigræ volucres ſtimulantur, at ipſæ
Eliæ norunt exatiare famem,
Cui gemini corvi de menſâ regis Achabi
Carnes, ac panem quaque tulere die.
Dum fame torquentur populi, Mens Provida vatem
Egregiis dapibus ſufficienter alit.

De

De S. Paulo primo Eremita, cui palma cibum, vestemque præbebat.

Divitias habeat Plutus, petat alter honores,
  Solivagi Pauli non superabit opes.
Hauriat in gemmis alius pretiosa falerna,
  Iste manu è gelidis fontibus hausit aquam.
Pro mensæ illecebris sylvas, mare, & aëra vexas,
  Atque petis Seres pro rutilante toga.
Thebaidis civi, mundi fulgore subacto,
  Pro victu, ac tunica palma sat una fuit.

De SS. Paulo primo Eremita, & Antonio amicè litigantibus in fractione panis, quem corvus attulerat.

Cum duo solivagi vitrei sub margine fontis
  Consistunt, panem corvus in ore gerit.
Hospitis adventu annonam Largitor adauget,
  Panis enim frustum nigra ferebat avis.
Sanctaque lis oritur quis frangere debeat escam,
  Fallere qua senior posset uterque famem.
Paulus ut in lucta prior, utque Antonius hospes,
  Officio mensæ præficiendus erat.
Accipiunt ambo panem, qui frangitur ultro,
  Infractis animis frangitur una Ceres.

De S. Thoma Aquinate Doctore Angelico.

Angelicum Thomæ numquam delebile nomen
  Doctrina illimis, virginitasque dedit.
Illa rigat mentem, hæc fragili de carne triumphat,
  Utrâque in terris Angelus alter erat.
Si populos docuit, Veneris si prœlia vicit,
  Jure duo velant laurea serta comas.

De

De S. Felicitate Martyre, quæ, ut D. Augustinus ait, dum pareret dolebat, sed objecta feris gaudebat.

In partu mulier Felix cruciamina sentit,
Sed trucibus gaudet dilaceranda feris.
Cum parit excruciat natura obnoxia culpæ,
Naturæque Deus, cum laceratur, agit.

De SS. Josepho Sponso, ac Joanne Evangelista utrisque testibus virginitatis B. Mariæ.

Christe tuæ matris juvenili in flore fidelis
Josephus testis virginitatis erat.
Matris at heredem Joannem in morte relinquis,
Ne tua virginea sit sine prole Parens.
Non apti testes fierent, nisi virgo fuisset
Virginis intactæ Matris uterque tuæ.

De S. Benedicto, qui libidine tentatus nudum se inter spinas jactavit.

Per spinas nudos artus Benedicte volutas,
Ut Cyprias reprimas sanguinis imbre faces.
Et laceras carnem, & rorant dumeta cruore,
Mens tamen incolumis sistitur ante Deum.
Pellitur ut clavus clavo, sic vulnere carnis
Sanatur cordis plaga profunda tui.

De SS. Timotheo, & Maura ejus conjuge cruci affixis, in qua novem diebus vivi pendentes se roborabant in fide.

Tim. In cruce Timotheus pendens cum conjuge Maura
Crux, ait, o conjux sternit ad astra viam.
Una in carne duo fuimus, nunc spiritus unus
In cruce nos jungit, jungit & una fides.
Maur. Tunc mulier; Reputo, dixit, ferale tyranni,

Quo

Quo crucior lignum, pro geniale thoro.
Detur utrisque crucem nonis perferre diebus,
Ad quam siderei Regis adegit amor.

De S. Philippo Nerio, cui in morte reperta sunt duo ossa thoracis fracta ex vi Divini amoris.

Dum clausus pulvis nitratus concipit ignem,
Mox valido nisu qua data porta ruit.
Talis amor fuerat flammanti in corde Philippi,
Impete compertum est prosiluisse foras.
Franguntur geminæ costæ thoracis, ut auram
Cor, quod ut Ætna sonans æstuat igne, bibat.

De Templo a Patribus Congregationis Oratorii Divo Philippo Nerio Florentiæ excitando.

Hæc tua dum soboles Templum molitur ad astra,
Magnanimis ausis adde Philippe manum.
Sit tibi pro templo cœlum, cœlique sit instar
In proprio moles ædificanda solo.
Roma tuos artus habeat, Florentia Templum,
Ut cor ibi valeat prompta litare tibi.

De S. Maria Magdalena.

Magdala, quæ fuerant quondam fomenta malorum,
Post habitæ vitæ sunt medicina tuæ.
Lumina, quæ tremulo risu jaculantur amantes,
Sunt modo præ lacrimis vena perennis aquæ.
Ambrosiaque coma juvenum si corda ligasti,
Devincis Christum, ac tergis utrosque pedes.
Quo tibi mos fuerat nardo conspergere membra,
Tu Domini plantas officiosa linis.
Oscula, Fletus, Odor, Crines, quibus ista dolore
Obsequium præbes, sunt holocausta Deo.

De

De S. Laurentio Martyre.

Dum rapidis flammis Laurens depafcitur Heros,
  Ignis in invicto pectore major agit.
Utque minus lumen majori lumine torpet,
  Sic hebet ad fuperos fervida Vefta rogos.
Carbones niveo Martyr fuccenfus amore
  Ut violas reputat, purpureafque rofas.
Ludit ut in fcæna in pœnis; ridenfque tyrannum,
  Affatum præftat mandere corpus, ait.
Cui datur æternis epulis accumbere Divûm,
  Ille voranda libens torrida membra dedit.

De S. Bernardo Abbate Doctore mellifluo.

Qua Bernarde bibis de vena mellea verba?
  Nominis unde tui fama fuperftes olet?
Melle fluit fermo potatus ab ubere Divæ
  Virginis, ac Nardi nomen olentis habes.
Vera tui in fcriptis expreffa videtur imago,
  Hifce, feris, mulces, ac pietate rapis.

De S. Joanne Baptifta, quem Herodes ad petitionem puellæ faltatricis decollavit.

Quid mercedis aves, choreis dum pfaltria ludis?
  Rex quodcumque petas, crede puella, dabit.
Dimidium regni fpondet, renuifque cruorem
  Vatis ut infontis, matre jubente, bibas.
En caput in difco: Si Vox non amplius urget,
  Nunc in adulterium fanguinis unda fremit.

De Nativitate Beatæ Mariæ Virginis.

Cum fpargit flavos aurora per æthera crines,
  Jacobum luctam deferuiffe lego.
Voces lucta refert Patrum Auroræ ufque petentum
  Virgineæ lucem, purpureumque diem.

Dum prodit Virgo, rutilans Aurora videtur,
Quæ Solem fontem luminis una vehit.

De impreſſione ſacrorum Stigmatum, quibus S. Franciſcus ſignatus fuit.

Dum crucis eximio rapitur Franciſcus amore,
Protinus in membris ſtigmata quinque tulit,
Stigmata lethali haud impreſſa Cupidinis igne,
Miſſilibus cœli ſaucius ille fuit.
Quid plagis Chriſti in toto pretioſius orbe?
Hiſce crucis ſponſus condecorandus erat.

De iisdem Stigmatibus S. Franciſci.

Rex bone vulneribus quinis mala noſtra tuliſti,
Quæ priſca modo ſunt aucta tepente fide.
Expedit ergo crucem rurſum perferre trabalem?
Abſit, ad omne nefas mors ſatis una fuit.
Ut renovetur homo, renovantur ſigna ſalutis,
Dum famulum ſignas ſtigmate Chriſte tuo.

De S. Matthæo Apoſtolo, & Evangeliſta.

Ad Chriſti vocem loculos Matthæe relinquis,
Regis ut æterni creditor eſſe queas.
Qui cautè libros rationum condis & æquas,
In tabulis pones rectius acta Dei.
Quique paras epulum Domino, refoveris ab illo,
Ille ſuæ menſæ te recubare facit.

De S Paphnutio Martyre in palma confixo.

Quis tibi victricem Paphnuti auferre valebit
Palmam, qui palmæ in ſtipite fixus obis?
Crux tibi palma fuit, Domini crux palma vocatur,
Palmæ, quam ſcandis, fructus in aſtra datur.
Crux acies ſternit palmaque athleta triumphat,
Tu crucis, & palmæ munera victor habes.

De

De S. Dionysio Areopagita demirante in morte Christi inusitatam Solis Eclipsin.

Ad fidei lumen Chaldæi, Solis ab ortu,
 Pergunt, ut radians sidus in axe vident.
Tuque sub Eclipsi, Dionysi, quomodò lumen
 Imbibis, atque tibi lux sine luce micat?
Sol tibi visibilis rapitur, sed mente refulget
 Lux nova de cœlo, dum stupefactus ais,
Aut Opifex rerum patitur, vel Numine læso
 Sensibilis mundi machina tota ruit.

In festo omnium Sanctorum.

Isthmia nunc valeant, certamina Olympica cedant,
 Vicerunt Sancti regna superba fide,
Hoste vel ex uno superato athleta triumphat,
 Sed tria Christiades castra inimica terunt.
Donantur pugiles olea: Qui temperat orbem
 Præmia militibus dat potiora suis.
Tela, rotas, flammas, sicas, dentesque ferarum
 Hostibus è victis esse trophæa puto.

In die omnium fidelium Defunctorum.

Sidereis Divis externa luce litatum:
 Jure pios Manes lux hodierna colit.
Illi victrici palma lætantur adepta,
 Hi quoque stelliferæ jus regionis habent;
Ære sed obstricti languent in carcere trusi.
 Ac nostram poscunt, ut redimantur, opem.
Munera qui gratis rutila dispensat ab Aula,
 Nos proprio miseris ære juvare ducet.

De B. Andrea Avellino Neapolitano Clerico Regulari.

Deserit Andreas Galilæo in littore cymbam,
 Linquit & Andreas Parthenopæus opes.

Ille ſitim rerum, cum cenſu, auroque careret,
Reſpuit; Hic cœlo dives utrumque fugit.
Ille crucem ſenior conſtanter pertulit unam:
Hic tulit in proprio corpore mille cruces.
Crux ab Avellino avelli nequit; Hæret in illa,
Magnetis ſcopulis hæret ut ipſe calybs.

De eodem, cui noctu ad ægrotum eunti Angelus accenſa face viam illuſtrabat.

Exit Avellinus noctu ægrotantis ad ædem.
Sed timet in tenebris lædere forte pedem.
Angelus ex alto veniens comitatur euntem,
Ac face prælucens pergit, iterque docet.
Ille facem præfert, Hic ſacro exæſtuat igne,
Ac intempeſta nocte rependet opem.
Quantus habendus erit, cui almi famulantur ephebi?
Verè par niveis civibus ille fuit.

De eodem B. Andrea, qui pro defenſione ſacrarum Virginum tria vulnera accepit.

Dum ſobolem caſtam accipitris defendit ab ungue
Andreas, triplex vulnus ab hoſte refert.
Vulnera trina viro non vulnera, trina ſed ora,
Ac totidem teſtes virginitatis erant.
Fit roſa deciduus ſanguis; Sic alba coronant
Lilia victorem conſociata roſis.

De S. Andrea Apoſtolo exultante in cruce.

Non Helenæ amplexus crux eſt, Andrea, putanda
Cui veluti ſponſæ te ſociare cupis.
Crux mala damnatos torquet, cruciatque nocentes;
Unde voluptates, deliciæque crucis?
Num madet ambroſia conſperſa cruore Magiſtri?
Inclita Diſcipulum crux cruciare timet.

De purissima Conceptione B. Mariæ Virginis: Sola ut Ester a lege Assueri Persarum regis eximitur, qui omnes Hebræos una die neci damnaverat; ita Virgo Maria præservatur a lege Originalis culpæ.

Perfidis edicto regis stimulante minacis,
  Una erat Isacidum stirps jugulanda die:
Dum lege eximitur reliquis formosior Ester,
  Audebis Matrem, lege ligare, Dei?
Falleris: in genus obrepat mortale Parentum
  Culpa, quid in nivea Virgine juris habet?

De eadem festivitate. Mariam Virginem in Conceptione ab Originalis culpæ incendio præservatam, ut unam Venerem servandam exclamavit Apelles, cum suam officinam conflagrare audivit.

Igne rapi tabulas insignis ut audit Apelles,
  Ilicet exclamat; Sarta sit una Venus.
Hic bellus dolus expressit quæ gratior esset
  Linea, quodque foret pulchrius artis opus.
Haud secus eximitur, dum flagrat Originis ignis,
  Virgo Parens, culpa ne maculetur Adæ.
Lampade jamque tibi præluxit: carnis abactis
  Illecebris, alios concipe mente rogos.

De S. Thoma Apostolo. Nisi videro in manibus ejus fixuram, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Cur Thoma exquiris latus attrectare Magistri?
  An quia de barathro non remeasse putas?
Cur loca clavorum digitis incredule tangis?
  Ut credas? Erras; Tangitur ille fide.

Palpando credis, quod non palpare valebas,
  Cumque hominem palpas, inſpicis eſſe Deum.

S. Victoria Virgo cum nec nubere, nec ſacrificare vellet, rogatu ſponſi gladio percuſſa in corde Martyr occubuit.

Cor tibi transfoditur juſſu, Victoria, ſponſi,
  Nubere dum renuis, Dîſque litare negas.
Virgo Deo nupta effundis pro dote cruorem,
  Illeque pro roſeo ſanguine regna dedit,
Indit jure tibi invictæ victoria nomen,
  Dum pudor ingenuus victor ab hoſte cadit.

De Chriſti Nativitate. Dum filius Dei parvulus natus eſt nobis, Adam metu ſolvitur.

Numinis ut læſi vocem gradientis ad auram
  Hauſerat, abſcondit ſe fugitivus Adam.
Jam puer eſt Verbum ſine voce, quid ergo timendum?
  Qui voce arguerat, plorat, opemque rogat.
Quid cunctaris Adam? Prodi, te neſcius iræ,
  Atque doli vellet regius ille Puer.
Si prodire foras nudus ſub luce vereris,
  Nudus & in fœno cernitur ipſe Deus.

De SS. Innocentibus, quorum matres martyrium perpeſſæ ſunt in lacrimis ex filiorum morte ex ſententia S. Petri Chryſologi. Serm. 152.

Quæ pietas Matres urget defendere natos?
  Herodis gladium ne prohibete manu.
Si rigidum ferrum teneros bacchatur in Agnos,
  Ad cœli tutum regna paratur iter.
Dum gladio occumbunt, in fletum ducite voces,
  Ut par cum pueris ſit ſuper aſtra locus.
Perfundant oculi lacrimas, natique cruorem,
  Et puer, & mater martyr uterque cadat.

In

In marmoreum templum olim Florentiæ Marti, nunc D. Joanni Baptistæ dicatum.

Priſcum miratur templum Florentia ſactum
  Gradivo Patri: Numen id urbis erat.
Nec fruſtra extruxit: tutela namque cruenti
  Martis erat claros enſe datura viros.
Tranſtulit auſpiciis illam melioribus ædem
  Ad præcurſoris nomen adepta fidem.
Gens ubi contraxit maculas, luſtralibus undis
  Tergitur a ſcelerum ſorde, litatque Deo.

Fama, & Honor virtute parantur.

Quæritis æternam famam, imperioque potiri!
  Credite, virtutis greſſibus ire decet.
Et virtus, & Honor Romæ ſua Templa tenebant,
  Janua ſed templis una duobus erat.
Ad niveas ædes non ire licebat Honoris,
  Si per Virtutem non patuiſſet iter.
Non ergo imperii faſces, non ſella Curulis.
  Conſcia ſed Virtus munus honoris habet.

Quare Pythagoras ſuis interdixit diſcipulis carnis eſum.

Pythagoras, cui ſat fruges, ac poma fuere,
  Diſcipulis carnes mandere lege vetat.
Ardua lex, fateor, temere ne lata putetur,
  Conſilium Samii me reſerare juvat.
Dum prohibet Sapiens animalia cædere ferro,
  Quærit ab humano tollere corde necem.
Qui pecudes mactat, gaudetque cruore ferarum,
  Forſan & ille homines non jugulare timet.

Ad Academiam Philoponorum Faventiæ, quorum Insignia sunt radix herbæ Molyos cum inscriptione

DIFFICILE EFFOSSU.

Parcite Philoponi vestro sub nomine ludo,
Congrua quæsitis edite verba meis.
Quær. Quis juga vos alacres Cyllenia scandere jussit?
Resp. Scandere virtutis fortis adegit Amor.
Quær. Quis nam radicem valeat convellere Moly?
Resp. Extrahet assiduus non sine fruge Labor.
Quær. Fors Amor, atque Labor solio statuuntur in uno?
Resp. In radice Labor, flore quiescit Amor.
Quær. Quid magis est horum cordi? Quid fortius urget?
Resp. Nos Labor instimulat, quò magis ardet Amor.
Quær. Quantum pollet Amor? Quæ sunt effecta Laboris?
Resp. Omnia vincit Amor, fertque trophæa Labor.

Harpyiæ rapacissimum monstrum meretricis Ænigma.

Si cupis ingenium meretricis nosse procacis,
Illud in Harpyiæ cernere quibis ave.
Virgineo vultu blandiri Harpyia videtur.
Blanditur Meretrix, insidiisque necat.
Præpetibus pennis Harpyia per aëra fertur,
Par levibus pennis est Meretricis amor.
Est Harpyia rapax, pedibus prædatur aduncis,
Prædatur Meretrix, divitiasque vorat.
Trux Arpyia dapes obscœno polluit ore,
Polluit & Meretrix nomen iniqua tuum.
Pallet ob ingluviem, semperque Harpyia ligurit,
Semper eget Meretrix, pallet, hiatque fame.

In

In Catalogum Sanctorum Umbriæ a Federico Jacobillo editum.

Umbria nobilium ter felix mater Avorum,
  Quæ tibi ſit pietas indicat iſte liber.
Ecce tuos Divos rerum Moderator honore
  Proſequitur cœlis, ſed Jacobillus humi.
Hic dedit in tabulis horum limatius acta,
  Quis neget hoc ſtudium par meruiſſe decus?

In Hiſtoriam Umbrorum Ludovici Jacobilli.

Si genus Umbrorum Pœnini montis ab umbra,
  Quem gelidum ſpectant, nomen habere putes,
Rerum Cimmerias Umbras, veterumque Penatum
  Vindicat Hiſtoriæ lux Ludovice tuæ.
Umber es, ac tribuis lucem, ut ſecurior omnis
  Ire modo Umbrorum per monumenta queat.

In Hiſtoriam Septimianam Nicolai Baccetii Abbatis.

Si decus, aut ſpecimen priſcæ virtutis anhelas,
  Ac monumenta Patrum, quos imiteris, aves,
Septimiana libens Nicolai clara labore
  Geſta ſub eloquii fonte coacta legas,
Ac relegas: in te recti geminabitur ardor;
  Horum quippe tibi gloria calcar erit.

Ad Jacobum Brancham Monachum Ciſtercienſem Annales Eccleſiaſticos carmine modulantem.

Ars, Natura, Deus tria nota agentia rerum
  In Minimis certant ludere quaque via.
Inchoat a minimo Deus, Ars, Naturaque junctim
  Ordiri a parvis materiata ſolent.
Non erat in magnis promptè qui ludere poſſet,
  Hoc auſum Branchæ Calliopea tulit.

Hiſto-

Historiam ille sacram ingenti conamine versu
  Contrahit, ac magnum ludit, & audet opus.

In fontem anei apri evomentis aquam in urbis foro.

Dum nemus explorat Princeps, sylvasque fatigat,
  Hunc intra muros Urbis adegit Aprum.
Mox cicur evasit venantis cuspide tactus,
  Vulnus pro tetro sanguine traxit aquam.
Quid non in populos valeat clementia regum,
  Quando Ducis ferrum mitigat usque feras?

In geminos fontes ex aequoreis monstris emanantes in platea Deiparæ Virginis.

Quæ reflui maris aspicimus colludere monstra
  Virginis in platea, symbola pacis habent.
Hæc geminos fontes amplexa, undantis amoris
  Principis in populos credimus esse notas.
Utque vomunt gelidos latices, sic divite vena
  Sub miti imperio Flora rigatur ope.

De Equo æneo Petri Tacchæ posterioribus pedibus ad volandum innixo, quem ad Regem Hispaniarum transmisit Magnus Dux Etruriæ.

Dædaleæ stupor est artis libratus in æthra
  Hic generosus Equus nixus utroque pede.
Qui sine remigio alarum secat aëra cursu,
  Vincitque alipedem Bellerophontis equum.
Excudit navus spirantia Tacca metalla,
  Perque leves auras æra volare jubet.
Regem spectat Iber vacuum per inane volantem,
  Regis & Etrusci regia dona stupet.

De

De eodem Equo aneo Petri Taccha.

Pyrricha jam noſtro renovata videntur in ævo,
Ad numerum populus ludere vidit equos.
Non ſemel Etruſci imperii ſpectacula Rector
Hæc peramæna ſuis civibus ille dedit.
Intrepidum quis Equum vidiſſet ad æthera niti,
Ars tua ni Petre ex ære tuliſſet opus?

In Natali Magni Etruria Principis Thraces quoque ad lætitiam invitantur, qui filiorum nativitatem lugebant.

Regius Etruſci imperii dum naſcitur hæres,
Ad nova cum populis gaudia Flora vocat.
Incipe Thraca tuum veterem dediſcere morem,
Naſcentis ſobolis deſine flere diem.
Tu quoque lætare: Expectati Principis ortu
Proxima regna ferunt, atque remota decus.
Prodiit, ut rerum facies turbata quieſcat.
Pacis Avis compar iſte ſequeſter erit.

Innocentius X. ad Pontificatum evectus Columba, Olea, Liliis Gentilitiis inſignibus Chriſtiana paci præludit.

Prodiit ex Arca quondam, modò ab urbe Quirini
Ore ferens Oleas alba Columba venit.
Innocuam volucrem Petri complectitur Arca,
Cum nitidis Oleis Lilia Roma legit.
Pro vadibus pacis ſunt Iris, Oliva, Columba;
Bella cruenta ſilent: Obſtrue Jane fores.

De eodem Summo Pontifice idem argumentum ex triplici Iride Pamphilia familia.

Cum Deus aëriam demittit nubibus Irin,
Monſtrat aquis hominum perdere nolle genus.

Quid

Quid si Romanum triplici nunc Iride cœlum
  Fulgeat? Una salus Urbis, & Orbis erit.

Columbæ volatu demonstratur futurus Pontifex.

Sæpius exta licet volucrum intueatur haruspex,
  Pamphilius faustum cœlitus omen habet.
In Cathedram vehitur Petri monstrante columba,
  Ejus & hanc niveam stemma figurat avem.

Cur Romanorum reges, ac Consules olim duodecim Lictores cum totidem fascibus præirent.

Quæ bis seni lictores Regibus hærent.
  At totidem fasces Consul habere solet?
An quia vulturibus sulcantibus aëra pennis
  Martigenus voluit Romulus esse pares?
Nempe tot inspexit Latii dum conderet urbem.
  Prosperque bono innocuas omine duxit aves.

Votum pro pace Regum, Pricipumque Christianorum.

Magnanimi Reges populorum haud spernite vota,
  Qui belli pressi fœdera pacis avent.
Prona tepent arva humano madefacta cruore,
  Undaque et necibus sanguinolenta fluit.
Sat resonant tuba venere ad classica gentes;
  Cedite. Pax rigidas pulsat amica fores.
In Thracem, in Lernæ monstrum distringite ferrum,
  Ut spretæ fidei detur avitus honor.

Infortunia ægrè vitari posse ex morte Æschyli poëtæ tragici, cujus capiti aquila splendore calvariæ elusa, testudinem perinde ac lapidi illisit.

Æschylus ut caveat. quem Fata minantur acerba,
  De cœlis ictum; tecta laremque fugit.
Cumque senex calvus fronte apricatur operta,
  Testudo illisit sidere lapsa caput.

Hanc

Hanc aquila ex alto jecit decepta nitore
  Calvitii, hoc silicem fulva putabat avis.
Sic periit vates: Igitur solertia nulla
  Nos quocumque trahunt Fata cavere potest.

Ad illa verba Jugurtæ Numidarum Regis, qui dixit, *Urbem venalem, & maturè perituram, si emptorem invenerit:* Saluſt de Bello Jugur.

Quid flavo non obtineas auro hospes in Urbe,
  Quando tibi venum Roma superba datur?
Venalem dixit Nomadum rex ille Jugurta;
  Qui plenis loculis venerit emptor erit.
Crede Jugurta, mihi tua te sententia fallit,
  Quæ dat, non auri flagrat, opumque siti.
Divite sub Jove avara fuit: sub paupere Christo
  Thesauros offert inclita Roma suos.

Ad Petrum Niccolinum Archiepiscopum Florentinum votiva precatio ad Natalia Domini.

Nestoreos annos devota tibi inclita Flora,
  Ac me jam senior Petre Camœna rogat.
Tu riguo præstas lolium ne crescat in agro,
  Ulla nec infelix occupet arbor humum.
Te vigilante lupus non insidiatur Ovili,
  Nec junctas audet rumpere latro fores.
Cur non speret ovis Superùm formosa vireta,
  Quæ te Pastoris munus obire videt?

Ad Vincentium Rabattam Archiepiscopum Theatinum gratulatio pro adepta dignitate.

Hactenus Etrusco vidit Tua nescia casus
  Sidera, Vincenti, Flora micasse polo.
Nunc eadem spectat fulgere Theatis in oris,
  A solio Petri lumen adepta novum.

Una

Una ſub axe micans ad Regem traxit Olympi
  Stella procul gentes; Sed modo quinque trahunt.
Dum tot Sideribus præluces inclite Præſul.
  Quos regis haud credam fallere poſſe viam.

Ad eundem de ejus ſtellifera cruce, quam pro inſignibu habet Rabatta familia.

rcticus hic vertex plauſtri fulgore notatur,
  Alter ſideream fertur habere crucem.
Figit in hanc oculos, cum tendit Iberus ad auſtrum
  Et ſecat ærato remige vaſta freta.
Cumque tuam Rabatta Crucem fulgentibus aſtris
  Compoſitam cernit, naufragus eſſe nequit.
Hac duce non gemmas extremis portat ab Indis,
  Sed bona Cœlituum non peritura vehit.

Ad Robertum Strozzium Epiſcopum Feſulanum.

Eximias animi dotes Roberte nivalis
  Tergeminæ Lunæ Stemmata clara notant.
Luna decor noctis, Strozzæ Tu gloria Gentis
  Illa ſatis, roris, tuque leporis habes.
Humoris mater nocturnæ eſt forma Dianæ,
  Credita Tu ſuperis imbribus Arva rigas.
Tres Lunæ hoc uni Lunæ præſtare videntur,
  Quòd penitus maculis, deliquioque carent.

In Imaginem politicam ex ſententiis Taciti, Doctoris Andrea Baroncini exhibentem Principis quadripartitam vitam, ſcilicet in Pueritiam, Juventutem, Virilitatem, Senectutem.

Exhibet egregii Xenophon ſermone diſerto
  Principis effigiem, quam niſi mente vides.
Adde Baroncini exemplar, quo clarius ævo
  Quadrifido Princeps ſuſpiciendus erit.

Ut

Ut graditur ſenſim per tempora quattuor annus,
Sic populi totidem tempora Rector habet.
Dum puer eſt; Vernat morum candore, juventam
Æſtum, dum gladio dimicat, eſſe putes.
At gravido Autumno par eſt ætate virili,
Confertur Bruma cum glaciale ſenex.

Idem argumentum.

Sunt Taciti decies Tacito regnante quot annis
Deſcripti Annales; Unde perennat opus.
Arboreæ frondes utinam vertantur in Æra,
In parium lapidem Livia charta meet,
Unus ut Andreæ Tacitus cum fœnore poſſit
Altius excuſus tempus in omne legi.

Quod tormenta bellica militiæ gloriam obſcuraverint.

Pugnandi laudem gladio, non igne tuliſtis,
Pulvere nitrato dum caruiſtis avi.
Bellica tormenta hæc ætas excivit ab Orco,
Ut pereat Mavors. militiæque decus.
Vincere qui didicit ferro, nunc glaudibus hoſtem
Ex ære exploſis ſuſpiciendus erit.

Contra Bacchanales larvas.

Urbem larvatus cum per Dionyſia luſtras,
Therſitis faciem ſuſpicor eſſe tibi.
Si forma præſtas, Triadis ſi ſtemmate gaudes,
Os ſpeculum mentis non operire decet.
Sis larva ignotus populo, molire quid optes,
Haud celare vales vindicis ora Dei.

Avaritiæ imago deſcribitur.

Qualis anus lippis oculis, labiiſque repandis,
Ac putri naſo ſquallida membra trahit,

Quam

Quam macie turpi rugis fulcantibus ora,
  Enectam rabida dixeris esse fame;
Talis avaritiæ argentum sitientis, & aurum
  Fingitur aspectus, luridus inter opes.

Hirundo ingrati hominis symbolum.

Garrula cum remeat, de tecto abigatur hirundo,
  Nec trabe sub celsa nidificare sinas.
Blanditiis nullis avis hæc prænuntia veris
  Fit cicur, ingratum denotat illa virum.
Hunc procul expellas, hujus commercia vites,
  Ne fel componas ex redolente thymo.

Auro, gemmisque ornata mulier non est pulchrior, sed ditior, qualis fuit Helena pictoris indocti.

Inspiciens Helenam gemmis, auroque micantem
  Zeuxis ad artificem talia verba dedit:
Pingere si pulchram Ledæam ex arte nequisti,
  Hæc tibi cura fuit, dives ut illa foret.
Sic minus ex auro mulier formosa putatur,
  Ditior esse valet, pulchrior esse nequit.

In cælibem juvenem Laurentium Corsinum ex dono Virginitatis florum sertis coronatum in funere.

Dum Laurens migrat, manibus date lilia plenis,
  Sic nivei proceres, sic Libitina jubet.
Non potuit trifidum fulmen contingere laurum,
  Nec te Laurenti frangere blanda Venus.
Jure tuum Nomen deposcit Laurea serta,
  Sed tua Virginitas alba ligustra petit.

Alexander Macedo Bucephalum ferocissimum equum domat, ac de ipsius nomine urbem postea condit.

Qui potis est ferro gentes, orbemque domare,
Bucephalum domat, ac mandere fræna jubet.
Ille superbus equus pondus quodammodo Regis
Sensit cui mundus non satis unus erat.
Orbem vectus eo vicit: Pro mole sepulchri
Orbem, non Urbem pone viator Equo.

Alexander Macedo dolore exasperatus ob telum in suram defixum fatetur, se non esse Deum.

Immemor humanæ sortis Mavorte superbus
Ambit Alexander filius esse Jovis.
Fit voti compos: Jaculum violenter adactum
In suram elusit numen inane Ducis.
Tunc ait, ut sensit cruciatus corporis ægri,
Me miserum, fallor, sum Deus ore tenus.
Quippe dolore caret soboles augusta Deorum,
Me fore mortalem sura cruenta monet.

Noctuæ proprietates ad prudentiam, librataque consilia referuntur.

Noctua, quam decorat Pallas, quam cusit in ære
Cecrops, virtutis fert documenta tibi.
Nocte volat, noctuque canit, lucemque perosa
Nocte videt: poteris dicere noctis avem.
Hæc quorsum! Metuit nullam Prudentia noctem.
Cuncta procul cernit, lucis acumen habet.
Abdita pervadit, scit Regum arcana tacere,
Consiliumque monet non sine lance dari.

Adversus ebrietatem.

Qua sit Alexander præreptus morte requiris?
Pocula (crede mihi) non medicata bibit.

Quem populi indomiti, aut Mavors superare nequivit,
Ebrietate ferunt occubuisse meri.
Ebrietas viro Ponti est truculentior omni,
Ac tigre Hyrcana sævior illa nocet.
Toxica prosternunt vitam, mentemque falerna,
Quandoque immodicus potus utramque rapit.

Quare Principes adeo habeant venationem in deliciis.

Et nemora, & sylvas Reges, spelæaque vexant,
Delicias ducunt exagitare feras.
Cur hoc? Imperii fines proferre nequibunt,
Cuncta nisi belli munia nosse velint.
Militiæ siquidem speciem venatio præfert,
Enecat hæc damas, enecat illa viros.
Non secus atque ferat insidiis capiuntur & hostes,
Si nescis armis vincere, vince dolo.

Principes supplicibus parcere, fortunaque jactatos tueri decet exemplo Xenocratis philosophi, qui defendit ab accipitre passerem in ejus sinum devolantem.

Passer ut accipitris curvos evaderet ungues,
Xenocratis trepidans advolat ille sinnm.
Excipit hospitio volucrem, occultatque, fovetque,
Donec prædonem cerneret esse procul.
Hanc post dimisit terrore, metuque solutam,
Ne poscentis opem proditor esset avis
Supplicibus discant veniam concedere reges,
Ac male jactatis anchora sacra sient.

Licinius Imperator dum gallum Leonibus obiicit pro fonte gemmario insinuat Principem decere clementiam.

In gemmis opifex Licinum deceperat astu,
At miser ille feris obiiciendus erat.

Im-

Immiſit Cæſar gallum pro ſonte Leoni,
Quo lepido eluſit plena theatra dolo.
His ille in populo vindex laudabilis iræ
Præconem juſſit vociferare notis,
Hic impoſturam fecit, ſubeatque viciſſim
Impoſtor fraudem, fraude ferat veniam.
Quam decet ingenuos animos clementia. Noxæ
Nobilis ultor erit quiſquis inultus abit.

Luſus in hominem promiſſam barbam ſæpius demulcentem.

Sæpe manu barbam propexam in pectore mulces,
Miror, teque gravem ſuſpicor eſſe virum.
Rara tuæ nitidæ par eſt ſapientia barbæ,
Qua creſcente pari creſcit & illa gradu.
Si ſuper aſcendat peracuta novacula mentum,
Deficiet virtus deficiente pilo.

Luſus in deformem naſum.

Aſpicis hunc naſum? Super hunc Poliphemus in antro
Sanguineo Marti cudere tela ſolet.
Si fors ſternutat, tormentum explodere glandem,
Aut geminum credas intonuiſſe polum.
Tellurem naſi cuſpis proſcindere poſſet,
Quid multis? Naſus Rhinocerotis erat.

De pyris moſchatulis, quod ea non ſint dicenda ſuperba pyra:

Mole ſub exigua grato redolentia moſcho
Cur ſumus a vobis dicta ſuperba pyra?
Si reliquis citius menſas oneramus acernas,
A celeri fructu vox repetenda fuit.
Prolicimus guſtum, ſuavi mulcemus odore,
Ergo magis præſtat dicere grata pyra.

In culicem abrumpentem somnum.

Parve culex, furtim si vis haurire cruorem,
  Cur importuna clangis in aure tuba!
Si bibis è vena, somnos abrumpere noli;
  Si lubet in tenebris me jugulare, sile,
Quamvis eludas ictus, iterumque recurras,
  Uno te colapho fors aliquando petam.

JOSEPHI SCALIGERI
VERONENSIS.

Epicedion Henrici Castanei Ludovici F.

QUicumque immensos molitis mente triumphos
Absiste insanis (vana est fiducia) cœptis.
Quisqus suas urgemus opis: spe maxima facta
Præcipimus: Mors atra nigris circumvolat alis,
Et cursu in medio vota imperfecta moratur.
En modo, quem sublimis apex, quem clara manebat
Gloria, qui gestis modo rebus, & indole prima
Cunctorum studia & spes incendebat, inanes
Exsequias fertur juvenis, lacrimasque suorum,
Et fati invidiam secum trahit, aspice quanto
Defertur comitum gemitu, quanto agmine pompæ.
Heu bello properatus honos, & puberis ævi
Tristes primitiæ nimis infelicis ephebi
Visa potens virtus, vitam si fata dedissent.
Nunc quem sera senem debebat laurea cœlo,
Abstulit ante diem, nec longo tempore fortem
Passa frui juvenem, quos spe præsumpserat annos,
Ac generis titulos claris extendere factis,
Si proprium decus hoc voluissent esse severæ,
Quæ fusis hominum dispensant fata, Sorores,
Omniparens cœlum, cœloque adscripta potentum
Federa fatorum, juvenum contingere vitæ,
Quas Telamoniades matrumque orbator Achilles
Contigerunt metas, cur invidistis, ut annis

 He-

Heroum vitas, animis, æquaret, honore;
Heu miserande puer, tu nunc primo occidis ævo;
Occidis: & juvenile decus Mars impius hausit:
Qualia prima novo canentia flore ligustra
Decutit afflatu, qui decutit omnia, ventus.
Ah qualem luctum linquis matrique patrique
Atque tuis? matri imprimis, quæ vota precesque
Conduplicans sublimem in equo & fulgentibus armis
Miserat in bellum, nec talem mœsta recepit;
Sed gelidos artus, sed onus fatale feretri.
Parte alia nullis novitatum exercita monstris.
Simplex nobilitas, & nescia fraudis Iberæ.
Extinctum lugent, versisque insignibus omnes
Funeream ducunt pompam, & funguntur inani
Officio, tu non gemitu revocabilis ullo.
Conciliis Heroum & cœtibus interes illis,
Quos discreta tuentur ab omni limina vulgo,
Limina quæ nisi victores insistere fas est,
Quosque triumphali velavit laurea fronde,
Aut quibus illustris umbravit civica vultus.
Hic tibi non æquo passu templa illa petenti
Obvius occurrens aliquis de gente Deorum
Te cœtus trahit in medios procerumque ducumque,
Francorum procerum atque ducum, qui fortibus ausis
Parta reportarunt toties ex hoste trophæa.
Olli sidereos vultus, & frontis honestæ
Mirantes culmen generosum & membra decora
Expleri nequeunt animum, memoresque juventæ
Flent atque exstinctum fato miserantur acerbo.
Cum vero palmas numerant, & fortia facta,
Tunc justæ credunt numeros explesse senectæ.
Tunc lætum Pæana canunt; tunc, vocibus æther
Fervet, & alterno fremit ingens regia plausu.
Tu contra (horresco memorans) heic jura fidemque
Calcata, heic patria conversum in viscera ferrum,
(Proh pudor) Hispanos dominos in tecta receptos,
Mutatos Gallorum animos, & secla nepotum
Degenerasse refers, virtutum oblita parentum:
Ac

Ac te felicem, cui contigit, ista priusquam
Longius in miseros serpant contagia Gallos,
Oppetiisse tamen pulchram per vulnera mortem;
Denique & hoc melius quam si te lurida tabes
Devotum morbo caput & sine nomine funus
Absumpser: melius quam si te cæspite vili
Suppositum velaret humus peregrina; nec ullus
Exsequiis patriæ contingeret haustus arenæ,
Aut tumulus, tumulo & leti superaddita caussa;
Et funus, qui solus honos est lumine cassis.
Tu loqueris: tacitus suspensis auribus illa
Conventus bibit Heroum; nec jam tua sentis
Vulnera; non gemitus, non hæc mortalia curas;
Et quæ non curas, nobis deflenda relinquis.
Flebimus, & memori, si quid pia carmina possunt,
Si quis amor veri est, te commendabimus ævo.
Dicemus validis defensas viribus arces,
Quam Gardampa rapax, & quam lavit amne Vigenna.
Addentur fusæ palantes agmine turmæ,
Non sine te, & turpi vertentes terga timore.
Ac quamvis titulus plenis tibi fructibus ingens
Armorum merito est; tamen est prior ordine virtus,
Et doctæ impubes ætas operata Minervæ.
Siste parens lacrimas, animi matrona virilis.
Si qua fides vatum auguriis, manet ultimus hostem
Exitus, haud humili persolvet vindice pœnas.
Interea has lacrimas, solatia vana doloris
Accipe care puer, dum paulum cura remissa
Laxet iter voci, ut liceat tua dicere facta
Accipe care puer lacrimas; Salveque Valeque,

In Eumdem.

Cur hoc Henrici sunt condita viscera busto;
  Ast alii cessit corpus inane solo?
Una domus totam quam non capit orbe ruinam,
  Uno non potuit limite tota capi.

Epicedion Ludovici Castanei Equitis Torqu. Regii.

Tristes exequias, miseras surgentis ephebi
Spes interceptas in primo flore juventæ,
Defleram, nondum coiit manifesta cicatrix.
Funestos iterum numeros, & triste doloris
Poscimur officium, lacrimas impendimus orbo:
Extincto demus lacrimas: durissima jura
Fatorum, ludo nondum satiata cruento,
Estne, quod in claras prælustria culmina sedes
Non liceat vobis, si nec domus una sat uno
Fungitur exitio? testis natusque paterque:
Marte prior natus, morbi pater obrutus æstu,
Ordine turbato nati comes additus umbris.
Sic tortus rabido ventorum turbine vortex
Arboreos primum ramos, & matris opacæ
Summa petit stringens, mox ipsam a stirpibus imis
Evertit, totamque advoluit montibus ornum.
Quæ prius insano rumpam convicia planctu?
Quid querar? unde meo questus ac verba dolori
Sufficiam? stupet ecce novo mens obsita luctu,
Nec, quid promat, habet, dum semet in omnia vertit
Scilicet effabor? tantis sim luctibus impar.
Vulnera dissimulem? misero quodcumque tacetur,
Acrius insidit: luctuque expressa querela
Infantes promit gemitus, ac murmura trunca.
Ipsæ quæ nostros solitæ mulcere labores,
Ad quas perfugium duris in rebus habebam,
Præduxere situm squalentem ac nubila mente,
Nec mea responsant facilis ad vota Camænæ.
Septima jam reficit Lunares orbita cursus,
Cum diræ mortis trepidas mihi nuncius aures
Affecit, pigrosque induxit pectore sensus,
Inspirata meis afflans oblivia curis.
Sic tua mors, Lodoice, tuique injutia fati
Musarum dulces fœtus, & carmina nostro
Obterit ex animo, postquam tua funera mœstus
Au-

Auribus his hausi, nil non mutabile sensi.
Atque idem mihi me, qui te mihi casus ademit.
Hoc solum superest, de te vix dicere posse,
Et tantum meminisse tui, tua fata canentem
Flere, minus muto, sed non meliore canenda
Pectoris affectu: si quis tamen hæc quoque si quis
Rumpet fræna dolor; non te flos lecte virorum,
Indictum, aut tua facta sinam, tibi pectora plango,
Et tua jam resides animos in funera solvo:
Ecce diu sterilis male conscia lingua silenti
Obsequio tristi vires, vocemque ministrat
In luctus facunda suos; nec se capit intus,
Quem vis dura mali potuit cohibere dolorem.
Ah quibus incusem probris, qua voce lacessam,
Quæ te non verita est tanto fraudare ministro
Gallorum Fortuna, vices quas sæpe ruentes
Fulsit, & in tuto rursum tua dextra locavit;
Dum toties vincis, patriæque impendere vitam
Non dubitas, quæ te nuper duce civica fregit
Arma, vago fines qua Pictonas amne Vigenna,
Quaque alios fines Lemovix Gardampa pererrat?
Heus ubi nunc virtus, invictaque dextera bello?
Heus ubi perfectæ sitiens mens laudis? ubi ingens
Gloria Castanidum? nempe hæc, proh sancta Deorum
Numina, nempe nigri hæc vis abstulit omnia lethi.
O quot funeribus tibi funus constitit unum.
Quot lacrimas orbæ, quantum tibi, Gallia, fati
Mors dedit una! novum neque enim, neque nuper oborta
Nobilium de plebe caput, sed sanguine ab alto
Demissum gemis, atque heroæ stirpis alumnum
Usque ab avis, & avorum atavis, ab origine prima.
Quod genus externum, quæ gens tam devia nescit
Castanidas proceres, Martis virtute potentes,
Et belli claros studiis, quo tempore finis
Anglus Santonicos dura ditione premebat?
Testis Vultona es, refluaque Carantone lympha,
Cæde Caledonia vitreos infecte liquores.
Hinc sparsum genus est, at eos cœpere propinquis

Pictonis hinc tellus, hinc tellus Turonis oris,
Turonis armipotens Celtarum gentis ocellus,
Ingeniis pollens, & divitis ubere glebæ.
Heic prima hausisti genitalis lumina cœli,
Qua regnator aquæ presso fuit agmine Crosa.
Et turrita lavat Pessæi mœnia Castri.
Heic tibi felices cecinerunt omnia Parcæ,
Et melior niveos oneravit purpura fusos:
Ut quanto patrias patria hæc supereminet almas,
Tanto tu meritis anteires omnibus omnes.
Ergo lacessenti primis vagitibus auras
Infanti ingenuos instillavere liquores
Castigatorum morum, pro lacte tepenti,
Sanctæ nutrices, virtutum exercitus omnis,
Cana Fides, Fideique soror Constantia virgo,
Temperiesque, & justitiæ Prudentia custos.
Inde magisteriis ætas formata Dearum
Accepit tales exculti pectoris auctus,
Quale tuis ipsæ lac immulsere labellis.
Ut, quæ vix fas est partitum singula habere,
In te conjunctim fluerent, unoque recepta
Pectore virtutum collegia mixta coirent.
Nam quod vulgus iners, & adhuc rationis egenum
Nil putat esse fero blandis cum Marte Camœnis;
Tu cum Marte fero commercia blanda sororum
Inter se placida consanguinitate jugasti.
Musarum, vir magne, prior bellive laborum
Laudibus, ambiguum; sed certe magnus utroque:
Nec te nobilitas custos erroris aviti
Traxit in exemplum, legis quæ vertit in usum
Nil scire, & rudibus transmittere cultibus ævum.
Quid referam nullis indelassabile corpus
Usibus, & patiens auræ glacialis, & æstus?
Quid somni immunes oculos? quid membra labore
Campestri durata, nec uni nata palæstræ?
Utque illæ dotis vincebant cetera, ita unus
Vicerat has animus generoso incoctus honesto,
Puraque mens nulli vitiorum pervia labi,

Et

Et recti retinens, & vindex fraudis avaræ.
Tum pudor, & mores priscis Heroibus æqui,
Et castæ gravitas non affectata loquelæ:
Sobria temperies; frons non elata secundis,
Non dejecta malis, mediique in utroque tenores.
Interea magnæ legatus poscitur Urbi,
Septem quæ una sibi gremio complectitur arces.
Quæritur e medio procerum, quæ maxima tanto
Apta foret cervix oneri, tua cognita virtus
Non est passa diu mentem nutare legentis
Principis, aut procerum felicia vota morati.
Mitteris; & quam certa fides, quam provida cura,
Aut tua quæ fuerit claros spectata per actus
Sedulitas, sensit Princeps, videre Quirites·
Quin etiam obsequium longa in statione teneret.
(Tantus amor regni est, tanta est reverentia Regis)
Emeritum nisi jam, lustrum volventibus annis,
Roma redonatum patrio te redderet orbi.
Vita bona pacis dulces agitata per usus,
Militiamque aulæ, potuit tranquilla videri
Hactenus. Hinc crudi studiis exercita Martis
Cetera loricæ sub pondere canuit ætas.
Quis memoret curas animi, discrimina vitæ.
Sub Jove duratas hyberno sidere noctes,
Atque intempestis equitata cacumina nimbis,
Fortibus induto rigidum thoraca lacertis,
Cogenti turmas, implenti munia magni
Militis atque ducis? Lemovix rectore carebat
Limes, Aquitanæ scindens confinia terræ.
Tempore quo Stygio caput extollebat ab antro
Gallorum furians animos civilibus iris
Impia Tisiphone: flebat Provincia sola,
Nuda regente suo, qualis bacchantibus Euris,
Fluctibus in mediis amisso cymba magistro.
Cuncta coruscabant trepida formidine mortis,
Pictone si sonipes flammas miscente cucurrit,
Vel quoties acies longe comparuit, hostis
Extra urbem manifestus erat, suspectus in urbe.
Ut-

Utque Therapnæos fratres, optabile sidus,
Auxilio implorant deprensi turbine nautæ:
Sic te suspirant fessis solatia rebus
Laturum cives; neque sat, te poscere votis.
Posceris & precibus, precibus rex annuit: & mox
Optatus Rector rerum succedis habenis.
Ipsa quidem viridi juvenales indole vultus
Mutato felix novitas moderamine sumpsit.
Ac tibi nulla quies, nec blando lumina somno
Declinare datur, conjux a mente remota
Exsulat, & dulces, carissima nomina, nati:
Publica privatos affectus cura repellit.
Unus amor, nullum patriæ præponere amorem.
Nec sua communi subducere membra ruinæ.
Unum hoc propositum est: hic menti terminus hæret.
Vix admissus eras trepidæ ad moderamina terræ;
Frugibus infestas populator Picto cohortes
Parcius immittit campis; neque ut ante solebat,
Cornipedum crebris assultibus arva fatigat,
Sparsurus pavidis incendia dira colonis:
Et vel si qua foras audacia provehit, hosti
Improvisus adest, vel ab omni parte timendus
Castanides absens animis suspectus inhæret,
Increpuitque metum, sola formidine victor.
Quæ, Gardampa tuas prætexunt oppida ripas,
Et quæ Crosa tuas, dominis servire coacta
Hostibus, hostili nunc sunt prætenta furori,
Nec vota agricolæ, nec spes intercipit anni,
Vel libata Ceres, vel abactus cultor agelli.
Illa, vagis cujus populatibus invia nulla,
Atque omnis fuerat tellus angusta, latronum
Colluvies furumque novo ductore maniplus,
Unius vix se defensum mœnibus Urbis
Continet, illorum nunc præda est obvia, quorum
Prædo fuit. quod non toties, nec tanta per agros,
Perque humiles bacchata casas incendia regnant;
Quod civis propriis fruitur, quod pace colonus,
Castanidæ totum meritis debetur, & uni.

Quæ

Quæ nulli cedit, cui cedunt omnia, dextræ,
Pictonio ſua forma, tua virtute renata,
Et priſcus patriæ rediit vigor artubus ægris.
Te duce mercedem lixæ non pendit arator:
Non pacem donis redimit, non ære quietem.
Namque tui referens exempla domeſtica de te
Miles habet, ſequiturque tuos, ut claſſica, mores.
O felix ſi cui ſtabiles florentis honoris
Aſſeruit titulos indelibata voluptas.
Sed neque inoffenſi datur ævi currere metas,
Continuat ſyncera tenor neque gaudia nobis.
Namque duo meritas temerarunt omnia laurus,
Quæ tranſverſa tuis intervenere trophæis:
Filius, heu, pubes indigna morte peremptus,
Atque tuum carcer, ſed carcer ſanguine multo
Penſatum exegit juſta Rhamnuſia pœna:
Ut damnis tua laus creſcens pretioſior eſſet.
Sordeſcit laus de ſecuro parta, triumphus
Vilis erit, cui non proludunt prævia damna.
Dicat congeſtis auguſtus ſtragis acervis,
Quam pigra Ligerim propellat mole Vigenna,
Merſa quot arma virum, quot fortia corpora volvit.
Jam ſat finitimis impune illuſerat oris,
Turonios prædo faciens equitatibus agros.
Vindictam exſanguis patriæ poſcebat imago:
Vindictam lacera poſcebat Filius umbra;
Devotum funus, civilis victima belli.
It campis agmen, telis exercitus ardens
Procedit: jam cuncta ſibi cedentia votis
Metitur; quas quiſque avida ſpe devorat urbes
His ſervile jugum intentant, his vincla minantur;
Omnibus exitium. Necnon poſcentia pugnam
Agmina Caſtanides dictis accendit: adeſſe
Tempus ait, quo felici victoria lauru
Pictonio requiem, decus ipſis augeat: eja.
Poſcimur, en Mavors, en Mavors; poſcimur inquit.
Signa movet ſtrictiſque acuunt mucronibus iras.
Quæ fuit illa dies? quam multa cæde piatum

Et carcer patris eſt, & nati funus acerbum?
Hic neque cura ſubit quæſtûs, neque parcere victis,
Nec precium captis imponere, corpora quæ non
Optat avarities lucro, rapit ultio cædi
Vindictæ gens tota datur, nam cetera pubes
Ne pereat, petit, & patulas ſe mittit in undas.
Atque aliquis prono deſcendens amne viator
Funera dinumerare velit: ſed longa natantum
Obſiſtit ſeries: numerus cum flumine creſcit,
Cum numero Pæan. Ligeri dic, magne Vigenna,
Dic Liger, Oceano, victrici cedere cuncta
Caſtanidum dextræ, fluvios ſervire triumphis.
Non ego cuncta meo complecti carmine poſſim,
Non Martis, non pacis opus: quas Marte rebelles
Disjecit gentes, placida quas pace ligavit:
Iſta Maronei quos afflat ſpiritus œſtri,
Utilius ſeris miranda nepotibus edent.
Nos humiles animæ, queis ſolvere queſtubus ora
Vix datur, inferias magnæ, quas poſſumus, umbræ
Libamus, tenues numeros, defectaque verba,
Singultu medias interrumpente querelas.
Ergone te, cui tot creperi diſcrimina Martis
Ceſſerunt, toties belli fortuna pepercit,
Lecti invita quies, & ſegnis inertia morbi
Abſtulit? occiduum quamvis tibi vergeret ævum,
Et quartum ter quinta urgeret Olympias annum:
Sobria te juvenem faciebat vita videri:
Nos patriæ utilitas annos numerare vetabat.
Quo properas? cur, quæ valide defenſa dediſti
Oppida, quas toties ſervaſti, deſeris arces?
Aſpice, luctifico miſcentur ut omnia planctu,
Omnis ut ora ſuum deſideret orba parentem.
Heu cur te vitiis ævi præſentis iniquum
Ocior aura tulit? non te precioſa morantur
Pignora præſtantes lecta cum conjuge nati?
Non inculpati convictus ſtrenua membra,
Caſtrorum comites, per tot diſcrimina ſæva,
Indeſerta tuæ fortunæ ſigna ſecuti?

Aſt ego, quem ſuprema terit jam calce ſenectus,
Quid ſteriles annos, quid inutile demoror ævum,
Si genus Heroas nullo ſuperabile bello
Morbus, & ancipitis rapit inclementia fati?
O patria, o magni dominatrix Gallia regni;
Si quis amor veri eſt ſi te tua vulnera tangunt,
Pelle ſitum genii: nubem eluctare veterni
Antiqui. merſumque gravi caput exſere ſomno.
An nondum clades, nondum tua funera ſentis?
Paulatim floremque ducum, bellique miniſtros
Carperis, hos morbus rapit, hos Mars impius aufert.
Funde tuo lacrimas ſupremum munus alumno.
Stet tumulus, tumulum ſignet ſuperaddita cauſſa.
Hunc tumulum, & tumuli titulum ſua Gallia rapto
Caſtanide, quo mille duces amiſit in uno.

Puteanis Fratribus Claudii filiis, de morte eorum patris.

O lecti juvenes, virtutis nobile germen
Succreſcens patriæ; quid me ad damnata rediro
Sacra Camœnarum & meliores cogitis annos
Reſpicere, ut Phœbi revireſcat priſtinus ardor,
Adflatuque novo ſopitos ſuſcitet ignes?
At quodcunque fuit, ſi quod fuit, omne doloris
Sordibus abſolvit, neque jam ſplendeſcere cultu
Suſtinet ingenium, duplici quod funere ſenſim
Efferri ſentimus: hebes nam luctibus hinc eſt,
Hinc ipſum frangit, quæ frangit cuncta ſenectus:
Ut quondam ſenio rimam faciente dehiſcit
Jam putris paries; proprio mox pondere tractum
In proclinatas proſternunt flamina partes,
Scilicet exſequias veſtro ſic ire parenti
Hac ope nitentes. hac cultos mente jubetis?
Namque ex quo tali vos orbos patre reliquit
Nigra dies, turpi macula quæ ſecla notare
Non verita, eſt tanto dum privat ſidere mundum,
Ex hoc nulla mihi diffundunt gaudia vultum:

Et

Et quæ ſunt ſolitæ vulgo lenire dolorem
Vel ratio vel longa dies, harum altera tantæ
Jacturæ meritum menti obiicit: altera longo
Carnifici curæ vires acquirit ab ævo.
Ultima reſtabant animo ſolatia victo.
Quas a me exigitis neque me debere fatebor,
Dulces Pierides generoſæ pabula mentis,
Suavibus in ſtudiis Heliconia ſacra colentis:
Qua non eſt animo potior medicina tumenti.
Cum dolor egeritur lacrimis, explendaque fletu
Cura novis itis omnes effundit habenas.
Sed nos Muſarum ſecretum triſte petentes,
Neſcio quis pravæ dulcedinis efferat error.
Abſentis memores figens in imagine ſenſus:
Qui dum præteriti convictus computat ævi,
Atque ſibi blanditus in omni quærit amicum
Hiſtoriæ tumulo, heu quoties objecta figuris
Luſit amabilibus memores inſania ſenſus?
Nam quocumque meos circum fert lectio viſus,
Seu quem juſtitiæ dotes aut gratia morum,
Aut juris commendat apex, aut gloria linguæ;
Unicus occurrit nobis Puteanus in illis
Exemplis decorum: quia quem congeſta decebat
Virtutum ſeries, virtutes vindicat omnes.
Sic quæ ſunt curis aliorum nata levandis
Otia Muſarum, lacrimis ſunt pabula noſtris,
Et quæ ſunt cunctis medicamen lene laborum
Literulæ, nobis coëuntia tempore longo
Vulnera reſcindunt; animo quia vana miniſtrant:
Qualia fallaces fruſtrantur gaudia ſomni
Inſtar ventorum, levibuſque ſimillima fumis:
Ut, quoties mihi lecta refert, neque præſtat amicum
Pagina, deteſter toties mea numina Muſas.
Inde fit, ut ſi quæ manabat largior olim
Caſtalii laticis, noſtro de pectore vena,
Pauperior fluat, & ſuppreſſo fonte reſiſtat.
Unde igitur verſus, & rapto carmen amico
Sufficiam, cui nec Phœbus reſpondet ut ante,
Nec

Nec vetus adſpirat vegetantes impetus auras,
Parnaſſum & ſacram ſolitas impellere Cirrham?
Quod mihi ſi nullo ſquallerent pectora luctu,
Et par ingenium magnis conatibus eſſet,
Supremi officii præſtarem jura ſodali.
Sed vigil ad curas, ſoliſque adſueta querelis
Non venit ad partes toties mihi Muſa citata,
Pro verbis fundens lacrimas, pro carmine queſtus.
Ne tamen aut pietas, aut cujus ſancta poteſtas,
Claudicet officii pars ulla noviſſima nobis;
Huc ades adjutrix noſtri regina laboris,
Et mihi, Melpomene, potiores præcipe cantus,
Fletibus immodicis ſtatuens quis terminus hæret;
Quos deſiderio fines, quæ tempora pono.
Et cum te in partem lacrimarum ſæpe vocarim;
Pone graves gemitus, lamentaque deſine mecum
Funereos lacerata ſinus, immiſſa fluentes
Hirta per ora comas, & ſciſſo ſquallida peplo:
Come ſerenatam feſto diademate frontem,
Indue purpureo radiantes lumine cultus:
Deterſis curis, & pulſa nube doloris
Compoſitos manes hilari pietate colamus.
Jam laudum, & rerum melior te poſtulat ordo:
Sic ego: ſic Diva hoc ſermone ſilentia rupit.
Principio Natura parens, cum vellet in una
Congerie decorum commercia multa coire;
Atque hominem exemplum ſeclis inſigne futuris
Parturiens, cujus ſub pectore conderet illa,
Hunc humilis vici cæcis vagire latebris,
Aut ignorata nutriri noluit urbe,
Sed regni dominâ, quod regnis omnibus orbis,
Omnibus Europæ præcellit ut urbibus illa:
Ut commune decus, ſociæque inſignia laudis
Tam locus a nato caperet quam natus ab illo.
Regnatrix claræ, generoſa Lutetia, terræ,
Quis memorare tuas ſat digno carmine dotes
Aut laudes æquare queat, quæ debita Muſis
Tot pleno toties fudiſti pignora fœtu?

Tu generas, qui jura regunt, qui legibus urbes
Et sanctis recti populos moderantur habenis.
Non alia nasci Puteanus debuit urbe,
Aut potuit, quam quæ propriis virtutibus illum
Excoleret, similemque suis formaret alumnis.
Protinus altrices linquens infantia cunas,
Imbuitur studiis & primo flore, Minerva
Eductrice, rudes poliuntur cultibus anni.
Excipiunt puerum gremiis florentibus Artes.
Ante omnes teneri moderamen suscipit ævi,
Quæ docet ut primo formetur litera ductu,
Ut commissa suis nectatur syllaba nodis:
Atque per articulos distinctaque membra legendi,
Dædala perpetuam texat structura loquelam:
Utque suis pedibus gradientia carmina surgant.
Huic soror exacuens studiis solertia corda,
Et stricto vultum componens pondere vultus,
Succedit Criticee, pueri quæ sensibus omne
Cecropiæ & Latiæ reserat penetrale senectæ,
Quidquid apud numeros, numeris aut orsa soluta
Venturis seclis commendavere papyri.
Non illi prisci certasset norma Cratetis,
Non cujus spurios versus censura notavit,
Et læso a mendis obelos impressit Homero.
Sic furtim ereptos blandis nutricibus annos
Erudiere Deæ, donec vis mentis adultæ
Ad magnos census, gravioraque cœpta vocaret.
Tunc Dea, quam penes est cultæ facundia linguæ,
Quæ dotes oris tribuit, regnumque loquendi,
Induit Actæi puerum Demosthenis arma:
Eloquii florentis opes, momentaque fandi
Tradit, & attonitas artem quæ permovet aures,
Arbitrioque suo moderatur frena coronæ.
His sacris imbutus ait, pete, limina legum.
Quæ tibi recludet nostri fiducia ductus.
Ut rectore carens, & nullo remige tuta
Ludibrium venti puppis jactatur in undis;
Sic, quicumque subit Themidis sacraria, mystes

Lucis eget noſtræ, cunctiſque paratibus orbus,
Quos munire ſolent pueris diſcentibus Artes;
Excluſus commiſſa luet, quod mente profana
Juris inacceſſo poſuit veſtigia luco;
Et numquam viſus adytis immittet opertis.
Exere vividulos animi ſolertis ocellos,
Care puer, te jura vocant arcanaque legum;
Te ſua votivum Themis in penetralia mittit,
Quæ te purpureis inſertum Patribus olim
Signabit meritis rerumque imponat habenis.
Diſce quis officii limes, quæ regula recti,
Quis licito finis, vetitum quæ pœna ſequatur:
Qualia biſsenis tabulis ſanxere Quirites,
Aut Prætoris honos, aut Cæſaris alta poteſtas.
Artibus excita his homines Aſtræa reviſit,
Prætulerit quamvis telluri ſidera, poſtquam
Aurea deterius vitiavit ſecla metallum.
His quoque barbarico ſquallefcere ſecula ritu
Dediſcunt, & qui voluit feritate timeri,
Jura timet. Validum, ſæviſque potentius armis,
Urbibus ut regis, ſic regibus imperat Æquum.
Quo magis has, dilecte puer, maturior artes
Præcipe corde libens, & totis ſenſibus hauri.
Tempus erit, quando tua te ſpectata per illas
Auguſto Patrum virtus adſciſcet honori.
Dixerat. Obſequiis puerum majoribus aptum
Excipit alma Themis, magnis & deſtinat actis:
Sacra docet, legum tabulas, & condita jura
Monſtrat, & inſtructo jam civica porrigit arma.
Eſt locus, auſtrinum qua pronus vergit in axem
Signifer, & noctes Chelæ, cum lucibus æquant;
Heic ſibi dum priſcas exoſa relinqueret urbes.
Conſpicuum poſuit ſignis Aſtræa tribunal,
Unde ſacro totum moderamine temperat orbem.
Et ſtringit ſcelerum vindex in crimina numen.
Heic inciſa notis media teſtudine tecti
Atque ære ex ſolido legum tabularia pendent.
Atria clara domûs dextra lævaque tuentur

Felices animæ, cœlo ſacrata virorum
Nomina, purpurei toga quos velavit honoris:
Quorum conſiliis tutata eſt Curia regnum,
Quos non vis odii, non illice gratia fuco,
Incolumem juſti vetuit ſervare tenorem.
Hos Dea pro meritis in cœli parte locavit.
Inter quos (celsa Puteanum ut vidit ab æthra)
Præcipuæ ſedis loca dirigit: hunc quoque, dixit,
Iſta manet ſedes, poſtquam perfecerit omnes,
Quos fatis debet non quos natalibus annos.
Atque utinam poſſet contingere longius ævum.
Et tantum vitæ quantum ſplendoris haberet.
Diis aliter viſum, vitiis qui gentis iniqui
Humanæ, ſanctas animas de corpore ſolvunt;
Utque malos mulctent, privant hos luce bonorum.
Interea dum culmen ei ſublime paramus,
Lucida qua juſtæ fulgent examina libræ,
Et vacat huic ſedes, quam deſignavimus illi,
Hos inter Proceres, ſua quos illuſtribus æthræ
Cœtibus inſeruit pietas, cœloque fruuntur:
Hunc, ſummos meritum virtutis nomine faſces,
Inter honoratos admittat Curia Patres.
Juridici cœtus ſecretis actibus adſit.
In medio faciat facundus verba Senatu.
Nullius occulitur virtus generoſa tenebris.
Conſpicuum fundens, Pharos ut Nilotica, lumen.
Nec Puteanus, opem cum lapſa negotia quærent,
Ignoratus erit: dubiis nam protinus illum
Rebus Aquitanæ gentis ad jura repoſcent.
Cum lecti Proceris auguſti membra Senatus
Exciti lacrimis afflictorumque querelis,
Incorrupta dabunt oppreſſo jura Garumnæ,
Mollia præſtantes ſecuris otia terris.
Aſt hos pacatis repetentes patria rebus
Mœnia feralis tempeſtas civica belli
Excipiet: quantis jactatos illa procellis
Heroas ſummos varia in diſcrimina mittet,
Quorum pars Puteanus erit? quid cetera porro
Per-

Persequar? aut potius cur facto sine quiescam?
Plura Deam memorare (etenim memorare libebat)
Et dolor, & taciti vetuit mens conscia fati.
Me quoque quam meritum grande, & reverentia morum
Atque viri virtus huc perduxere canentem,
Hei mihi, cum morbum supremaque cogito fata,
Hei mihi deficiunt vires: nec plura locuta
Melpomene, lacrimisque genas oppleta tumentes
Hæsit, & effusi contraxit vela doloris.
Cupressum crines iterum pro virgine lauru,
Pro lætis humeri velamina tristia sumunt.
Quo me, Diva, gravi perfossum pectora cura
Deleris, infandamque jubes revocare ruinam,
Cui par non fueram flendæ? quid fulmine tanto
Dignum concipiam cui singultantia verba
Vix medio gemitu vox intercepta ministrat?
Ignosce, o nostri sidus memorabile secli,
Si pro carminibus, truncarum murmura vocum,
Pro cultis elegis, incomtas fundo querelas.
Non mihi sunt, quæ tu quondam laudare solebas,
Et quia laudabas, cunctis placitura putavi,
Carmina: sæpe tuis quibus est audacia verbis
Addita, dum claræ metuunt se credere luci.
Omnia tu moriens hæc tecum rapta tulisti.
Omnia ferali sunt tecum condita busto,
O luces, o quos memini, cum fata sinebant,
Colloquio dulci tecum me condere Soles.
O tritos sermone dies, & seria mixtis
Alternata jocis! o quas mirabar adorans,
Oblitumque mei mihi me rapuere loquelæ!
Heu ubi conditi placida gravitate lepores,
Atque serenati divina modestia vultus?
O castigati, Charitum sacraria, mores!
O pietas! o cana fides! o mixta bonorum
Temperies! unus habuit, quæ flemus in uno.
At vos o digni Pylios transcendere fines,
Et tamen ante diem crudeli funere rapti,
Innocui Manes, nostri libamina luctus

Accipite has lacrimas; & quos præstare Camœnæ
Non potuere meæ, pietas compenset, honores.

Paulo Melisso.

Paulle, poëtarum cui doctis frondibus hærens
Cinxit honoratum, laurea serta caput:
Quid facis, o vates? quibus exigis otia Musis?
Aut quibus in studiis fallitur hora tibi?
An teneras mulcent liquidis accentibus auras,
Musica non uno dividis orsa tono;
Ut te miretur modulantem lympha Deorum
Rhenus, & exultans altera nympha Nicer
Anne Palæstinas numeroso carmine Musas
Solvere Teutonicis ora diserta modis
Instituis! Felix animi, vitæque beatæ,
Si mentem capiunt illa vel illa tuam.
Felix, qui faciles traducis pectore curas;
Otiaque in tenera sancta quiete colis.
Vivacis cui dona indelibata senectæ
Spondet inoffenso tracta tenore salus.
Quem non ulla malo labes tentavit acuto,
Non ulla adflavit vis inimica mali.
At mihi perpetuum mordacibus anxia curis.
Nec sine sollicito ducitur hora metu:
Quem monstro prognata lues, quæ limite certo
Quattuor alternos itque reditque dies,
Obsidet, & tacita populatur peste medullas.
Hei mihi, quod loquimur verba minora malo!
Nec possunt elegi vivis proponere pestem
Sensibus: altiloquæ res erat ista lyræ.
Sic me unit victrix; sic me spoliavit inermem:
Sic de me celsis alta triumphat equis.
Nec mihi sufficiunt veteres in corpore vires;
Nec pes munus obit, nec manus ulla suum.
Sed sum, quod ventis debet ludibria, pondus;
Et quod onus primis flatibus aura levat.

Me-

Me non ulla juvat Cerealis gratia fœtus;
  Gnossia nec veteris grata saliva meri.
Omnia Cerbereum spirant mihi noxia virus:
  Omnia sunt ori trita venena meo.
Quid jejuna loquar diluti tædia gustus?
  Oraque non unquam siccà liquore suo?
Quid matutinæ fastidia lenta salivæ?
  Hostibus eveniat ah sapor ille meis! (mur
Quid stomachum exesum stomachique inamabile mur-
  Et numquam ad gemitus pectora muta suos?
Cum gravior fundo veniens exæstuat imo
  Spiritus; & fauces tussis anhela quatit.
Quid nocturna modis insomnia turbida miris?
  Quasque mihi intentat mortis imago minas?
I nunc, meque jube Musarum expromere fœtus;
  Et vacuæ a nobis exige mentis opus.
Me juvat exorare malum hoc: quibus illa pianda
  Auxiliis: quo sit thure litanda mihi:
Formidandum ægris atque implacabile numen;
  Una tribus Furiis addita quarta soror.
Post subducta polo cœlestia semina flammæ,
  Atque Promethеæ conscia furta manus,
Prima peregrinis Erebi caput extulit oris,
  Insueta & vultu terruit astra suo.
Morborum & traxit ferales prima cohortes;
  Seque ducem jussit & sua signa sequi
Inde hominum miseris cervicibus imminet hostis:
  Calcat & imposito subdita colla pede.
O dulces animæ, si qui superestis amici,
  Jure sodalitii pectora juncta mihi:
Accipite has lacrimas, supremi pignora luctus;
  Tristiaque attratis carmina picta notis.
Et tibi nec nostri sit funeris ultima cura,
  Devotum Musis, docte Melisse, caput.
Sic tibi sint faciles Bœotica Numina Musæ,
  Impediatque tuas laurus odora comas:
Atque olim, quandoque mei non inscia fati,
  Vertet in auriculas nuncia fama tuas;

Omnibus indicas fac luctum, Paulle, poëtis;
Et nostri, dices, pars fuit iste chori.
Sic dices, tumuloque dabis tua carmina jungere nostro.
Carminibusque tuis carmina junge mea:
Heic situs est, qui nec vixit, nec mortuus olim est.
Nam mors viva illi: mortua vita fuit,

In Olorem Melissi.

Quisquis picta mei legis argumenta Melissi,
Ipsa suis etiam disce referre notis.
Flexanimas voces signat, cantusque poëtæ
Blandus Olor, dulci gutture carmen hians:
Idem etiam niveis passis argenteus alis
Innocuos mores & sine labe, notat,
Uno argumento, pictura insignis in una,
Culturæ & morum signa, Melisse, geris.

In ejusdem Lilia.

Lilia Francigenæ fuerant insignia gentis,
Celta cui victus subdita colla dedit.
Nunc ea sed vixdum veteris cognominis hæres
Confusus Francis hybrida Gallus habet.
Et nullo gentis, nullo virtutis honore
Cognatis maculat stemmata prisca notis.
Ast tibi vel duplici sunt debita jure, Melisse:
Quod virtus, & gens illa dedere tibi.

In Imaginem ejus.

Cetera membra mei, spirantiaque ora poëtæ
Artificis potuit pingere docta manus.
Sed verum, & vivum vatem, totumque Melissum
Expressum, in nostro pectore sculpsit amor.

In aquas calidas ad Pyrenæos.

Adſpice quanta, quibus vitiis, quibus obſita morbis
Turba, diu lenta decolor ora lue.
Per rigidas cautes & inhoſpita teſqua Pyrenes,
Teſqua vel humano vix adeunda pede;
Pæonii laticis vaſtis obſeſſa ruinis
Dona petit, tanti poſſe valere putat:
Ut pæne ipſius vitæ diſcrimine vita,
Utque ipſa conſtet pæne ſalute ſalus.
Ergo difficilem quæſtum Natura ſalutis
Non ſine difficili Parca labore dedit.
Illa ſalutiferum theſaurum hoc carcere ſepſit,
Carius ut ſcires eſſe ſalute nihil.

De Mirandis Bataviæ ad Douſam.

Ignorata tuæ referam miracula terræ,
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium, heic laſſat textrina Minervæ:
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra:
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt heic frugis acervi:
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.
Heic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis:
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Heic nulla, aut certe ſeges eſt rariſſima lini;
Linificî tamen eſt copia major ubi?
Heic mediis habitamus aquis, quis credere poſſit?
Et tamen heic nullæ, Douſa, bibuntur aquæ.

In Auriacum Danielis Heinſii.

Melpomene ſacrum facit Heinſius, ore favete,
Dum quatit Æſchyleo pulpita picta pede.
Cede Sophoclei carmen regale cothurni;
Cedite Cecropiis plauſa theatra choris.

Prin-

Principis ille vicem ſubitam, ſtrictumque doloſe
 Non expectato fulmen ab hoſte, canit:
Et fixum in patria, dum figitur in Duce vulnus.
 Hanc tibi nulla dies tollet, Ibere, notam
Grandiloquiſque Heinsî numeris, quæ dedecus una eſt
 Mors tibi, Naſſovio vita perennis erit.

In Inſcriptiones antiquas Jani Gruteri.

Cadmeas jactet cur mendax Græcia turris,
 Aut Amphioniam ſaxa ſecuta lyram?
Aſpice, quod ſurgens, non parva mole theatrum
 Gruteri ſtruxit Dædala cura mei.
Uſque pererrato terrarum fine petitus.
 Cernitur ex omni plurimus orbe lapis.
Armorum hic titulis, ille eſt inciſus honorum:
 Conſulis hic fulget laudibus, ille Ducis.
Nobilium decorum cuſtos, Grutere, Vetuſtas
 Explicuit cenſus in tua vota ſuos.
Scripta tot elogiis, tot diſſita ſedibus olim,
 In titulos laudis nunc coïere tuæ.

In Martianum Capellam Hug. Grotii.

Hugo ſoboles Grotius optimi parentis,
Qui limina nondum tetigit puberis ævi,
Sed mente ſenili teneros prævenit annos,
Magnum meditans, auſpiciis noluit illis
Præludere, quæ veſticipum poſtulat ætas:
Sed maluit a grandibus inchoare cœptis.
Nam qui penus eſt omnis & arca diſciplinæ,
Sed quem horridulum injuria ſquallore vetuſtas
Omni ſtudiorum nitido abdicarat uſu,
Illius ab incude profectus, atque amœno
Splendore micans, purpurea veſte decorus,
Cultuſque novo pum ce Martianus exit.
Cerniſve, ut ovantem lepido flore juventæ,
Commendet eum gratia luminis recentis?

Quam

Quam sive habuit, restituit gratius illi:
Seu non habuit, contulit hanc Grotius illi.

In Proscripta.

Proscripsit tua, teque, quod citatus.
Non responderis, optimus Senatus:
Non assis facis, & gravem tremendi
Legem carminis, ac severa jussa
Tantum verba putas: notas honoris,
Famæ stigmata, nominis lituras,
Speras olim abolere posse: frustra:
Cum vulnus coiit, manet cicatrix;
Utque infamia vulnus est honoris,
Sic ignominia ejus est cicatrix.

Marguerite Du Val. Rarum, Laude viget.

Gratia plebejum commendat nulla decorem.
  Vile puellarum vulgus honore caret.
Quod rarum est, hoc laude viget: quam rara venustas
  Est tua, tam rarâ, Margari, laude viges.

Genethliacum Æmilioli Melissi.

Unde me bifori sono
  Festa lætitiæ comes
  Lotos Asia perstrepit?
  Cui Deorum adolet meus
  Thura odora Melissus?
Cur adest Genius gerens
  Luteolum pede socculum?
  Unde cum patera meri
  Liba adorea sustinet
  Ara cæspite vivo?
Audivere Dei preces:
  Et locum pietas habet:
  Vota Jupiter audiit.

Nempe ſunt Superûm ſacri
  Juſta cura Poëtæ.
Nam, Meliſſe, puerperæ
  Filium Æmilium tibi
  Venter Æmiliæ edidit,
  Quam thoro propriam tibi
  Sancta Juno dicavit:
Ne tuum ſine liberis
  Nomen occiduæ petens
  Noctis atra ſilentia
  Lividæ Stygis oblitum
  Obſoleſceret undis.
Jam Meliſſiades tibi
  Porrigit teneras manus:
  Jam nutricia primulum
  Matris ubera parvulus
  Sugat ore novello,
Lacteamque papillulam
  Rictibus pueriliter
  Collabellet hiantibus:
  Nunc repellat, ut abnuens
  Proximuſque neganti.
Inde blæſula garrulus
  Verba ſemiloquo ſono
  Tertiata fritinniens,
  Det faceta parentibus
  Multa millia luſus.
Mox adulta virilibus
  Membra roboret artubus,
  Qualis in nitidum aëra
  Ramulos virides novo
  Vere ſubiicit arbos.
Creſce Phœbicolæ puer,
  Vatis aureolum genus.
  Creſce muſtule pupule,
  Æmili, Æmiliæ puer
  Matris aurea proles.
Ecce lilia cum roſis

Bacchicasque ederas tibi
Rupis incola Thespiæ,
Sutilesque novo parat
Flore Musa corollas.
Major at tibi debita est,
Teque nobilior manet
Texta Calliopes manu,
Quæ sacram tibi Laurea
Umbret inclita frontem:
Cum canes veterum memor
Facta fortia Principum,
Quos Nicrus dominos suos:
Alma quos columen suum
Heidelberga salutat.
Fallor? an novus emicat
Matris è gremio suæ
Dædalæ fidis arbiter?
Et Melissiaden nova
Comit infula vatem?
Prodeas opifex soni
Orpheos liquidos modos,
Atque Arioniæ lyræ
Plectra flexanimo fidis
Provocantis honore.
Nec tibi numeris sacer
Certet innumeris olor
Dircææ fidicen Lyræ.
Nec tibi Venusi Appuli
Comparetur alumnus
Cede Grajugenum cohors.
Cede Romulidum manus:
Quotquot Aonia specu
Limpido trepidans pede
Format unda poëtas.
Nescio quid amabili
Matris Æmiliæ e sinu
Majus exoritur fide:
Fama quod stupeat vetus,

Quod.

Quodque poſtuma laudet.
Vos Deûm genus, optimo
Jure, plaudite Principes.
Iſte ſidereus puer
Veſtra carmine maſculo
Panget inclita facta.
Vos poëtæ hominum decus,
Fauſta dicite populo:
Ille prodigus eloquî
Veſtra fluminibus ſui
Oris ora rigabit.
Omnis ocyus huc ſua
Vota contribuat tibi,
Qui tuum thiaſum colit,
Qui, Meliſſe, ſititor eſt
Hippocrenidos undæ.
Ambo coutribuant ſuum
Carmen: inque vicem ſibi
Serta mutua comparent,
Filio celebris parens,
Filiuſque parenti.
Tuque, quæ ſemel edita
Prole, mater es unius,
Mater alite cum bona
Vatis eſto nec unius,
Nec parente minoris.

PALMERII SCARDANTIS.

De Victoria Christ. contra Turcas.

ET laniata feris in densis Delia silvis:
Nil potuit rabies perniciosa canum.
Frustra lunato contorsit spicula cornu,
Non potuit cornu, non potuere canes.

In eadem.

Concidit in luco morsu Diana ferarum,
Arcus quid valuit? spicula sæva? canes?

ANTONII SERONIS.

De Benedicto Jovio.

QUod sis ultima pars, Jovi, Libelli,
Id fratris pietate, & arte factum est,
Ne vel carior, aptiorve Imago.
Olim quam tua jactet ulla sese
Signasse hunc lepidissimum libellum.

NICOLAI SICCI

BRIXIANI.

In statuam Æneam Philippi Regis, mira arte per Leonem Aretinum conflatam.

UT nati est primum effigies oblata parenti,
Æraque conspexit veros imitantia vultus,
Vivacesque oculos, & signa minacia frontis,
Oraque divinum in puero spirantia honorem,
Gentilesque genas veterum decora inclita avorum,
Substitit admirans Cæsar, paulumque moratus
In magna fertur procerum dixisse corona.
Non mihi non tantum debes mi nate parenti,
Quod

Quòd genui & ſtudio vigili creſcentibus annis
Hactenus erudii tenerum, velut anxia mater,
Quæ properat dulces nidis implumibus eſcas,
Artifici quantum debes dilecte Leoni!
Spirantem qui te viva ſub imagine finxit,
Atque hic vera tui conflavit ſigna decoris.
Quippe ego devotum morti, & fatalibus annis
Mortalem genui; ſed te faber optimus arte
Surripuit letho, incolumem voluitque futuris
Poſt cineres etiam viventem oſtendere ſeclis;
Felix, qui vivo ſemper ſpirabis in ære.
Dixit, & inde abiens mutæ dabat oſcula fronti,
Cum ſubito pueri fulgens nova flamma capillos
Lambere, & innocuo circundare lumine crines,
Perque comas viſa eſt & concava tempora paſci;
Dum ſtupet attonitus Cæſar, vaga murmura cœlo
Diſcurrunt, lævumque ſuper cœlum intonat, & vox
Clarior aſtantum bibulas pervenit ad aures.
Ne properate viri, ſacras reſtinguere flammas.
Hic puer, hic late imperium quacunque videt Sol
Extendet terram magnam ſuper & freta ponti
Victor, & æternis fundabit legibus orbem;
Inde ubi tarda illum premet inclinata ſenectus,
Concipiens animo vitæ melioris amorem
Æterni Jovis, aut Veneris face purior ignis,
Sydus in immenſo radians fulgebit Olympo,
Qua combuſta vetus candet via lactea cœlo.
At Cæſar geminas tollens ad ſidera palmas
Sic ait: o cælſis qui nunc in nubibus aſtans
Das ſancte augurium magni pater ætheris, & Rex,
Si mihi de nato venturi præſcia veri
Omina das, eadem præſenti numine firma:
Dixit, & igne novo radians effulſit imago:
Procumbunt proceres, & læti numen adorant.

Epit. Franciſci Olivæ.

Quæ jaceo injuſta mortis ſucciſa bipenni,
Culta per Inſubres Palladis arbor eram,

Testis erit, quam vena mei sit dulcis Olivi,
Quæque per ora virûm fama superstes erit;
Tu qui succiso veneraris stipite truncum,
Dic lacrimans, arbor, sit tibi mollis humus.

Ad Christophorum Madruccium, Card. ac Principem Tridentinum.

Rideor a doctis, quod scribens tam rude Carmen
Ostendam id multis, nec me ullus jam pudor urat,
Sed jugulem incautos male compto carmine amicos,
Qui temere occursant mihi, cum vitiata Papyrus,
Carnificem longo complectens ordine versum
Sub tunica latet, auditorem quæ male perdat:
Decipimur stulti dulcedine carminis omnes,
Cuilibet est ingens proprii vis insita amoris,
Quæ nos præstigiis ludit fallacibus, & quæ
Errores specie virtutis vestit, & ambit:
Id facimus vates, quod turpis bestia quondam.
Jusserat edicto Deus accersirier omne
Quadrupedum genus, & Catulos gestare sub ulnis,
Millibus è multis regem facturus eum, qui
Dignior atque aliis forma præstantior esset: (Bos
Cervus, Equus, Panthera, Canis, Leo, Sus, Caper, &
Producunt fœtus proprios, & laudibus ornant:
Ultima deformem coram Jove Simia natum
Hirsutum villo, turpi facie, & nate leni
Fert, & ait, solam pater o justissime nostri
Accipe spem generis, pulchrum sine labe Catellum,
Cui debes meritum tituli regalis honorem,
Insigni villo, nitida facie, & nate pulchra.
Exoritur magnus turba ridente cachinnus;
Cum Deus ipse a risu ingenti vix cohibet se:
Quilibet invitus naturæ sic capitur vi,
Ut sua cum doctis conferre poëmata libris
Audeat, immeritam & petulanter poscere Laurum:
Vos ubi deformes vitiato in corpore mendas
Cernitis, & turpes male facti carminis artus,

Sic facite, ut vobis si forte eat obvius alter
Gibboso tantum tergo, sed cetera pulcher,
Atque alter brevis, oblongus capite, & pede claudus,
Ulceribusque lacer, turpis, gibbosus utrinque;
Ingenti pietate illum excipietis; at istum
Diducto licet inviti ridebitis ore:
Sic nostro si sit versu tolerabilis error,
Parte aliqua pulchri faciles miserescite Vatis.
Sin fuerint distorta simul, & turpia membra,
Ut collo caput, ut cruri non conveniat pes,
Tollite cum plausu patefacta fauce cachinnum,
Ridendi hanc veniam petimusque, damusque libenter:
Nec quandoque tamen pudeat, legisse poëtam
Vix superantem urbis strepitum, & popularia verba,
Elumbem versum claudentem, ut ego facio nunc;
Esse solet plerumque sub hoc sermone pedestri
Nescio quid pulchri per verba latentis, & artis;
Non semper qui grande sonat fert præmia vates:
  Pinxerat ingenti cura magnoque labore
In tabula quondam Ganymedem pictor, & illum
Mygdonio Regi dono portarat habendum;
Forte illi hirsutum villoso pectore Apelles
Squallentemque situ, & turgentem gutture pleno
Attulit aspectu; primo Rex risit, & inde
Nunc roseum decus, & pueri florentis honorem,
Nunc maciem, & turpes artus, robustaque membra
Villosi aspiciens hominis; deformior, inquit,
Iste tuus puerum Ganymedem vincit, Apelle.
  Sed nimis hæc longum prælusimus, ut Citharœdus,
Qui dum discordes sumpta testudine nervos,
Indocto frustra concordat pectine nervos,
In cruce suspensas circum se detinet aures.
Jam positis redeo nugis ad seria, quæ me
Insomnes cogunt longas producere noctes.
Namque urens postquam stimulus me impellit honoris
Linquere derisum populo insultante Tribunal,
Verso animo assidue: quæ me urbs vicina, locusve
Excipiat reducem, positis insignibus, & quo

Noſtra ſinu cedat ſenſim inclinata ſenectus.
Ut Navis vexata diu male flantibus Euris
Cæca nocte furens, neſcit quo vis ferat, & ſors,
Sic ego, quem venti invidiæ luctantis, & æſtus
Ambitionis agunt; in præceps indigus artis
A geminis trepidè portum Pollucibus opto;
Vos mihi, vos eſtis fulgentia ſidera, quæ me
Per ſcopulos oris rapidi, per lurida linguæ
Murmura, & infames dominante libidine ventos,
In tutum vehitis portum virtutis amicæ,
Tuque, Atrebâſque meus, noſtri duo lumina mundi;
Dicite vos animæ illuſtres, quæ certa carinæ
Sit ſtatio, quam jam rodit carioſa ſenectus.
Non vos Inſubres inter laudabitis, ut ſim,
Æmula ne occurrens gravium mihi turba virorum
Audeat, ut voti compos, illudere victo;
Neve ſeni ut fecere animalia bruta Leoni
Certatim inſultet petulans, & prava juventus:
Urbe minus Venetûm ſuadebitis ut teneam me,
Ne nive candidior, pura pice nigrior Idæ
Sit Veneto mea ſancta fides ſuſpecta Leoni:
Ampla mihi nec ſunt Romana palatia cordi,
Nam niſi mitra biceps ibi cingat tempora, vel me
Purpurei inſanum paſcat ſpes magna galeri,
Quid facerem ſine ſervitio, ſine honoribus, hoſpes
Parvo animo? neque enim fas eſt obrepere tantum
Stultitiæ, ut poſſim ſpe ſolum paſtus inani
Iſta diu verſare levi deliria mente:
Unde mihi hæc tantum ſupereſt ſpes certa ſalutis,
Ut tandem excuſſoque jugo, vincliſque ſolutis,
Aut curru vehar, aut lumbos laſſante caballo,
Pomifero donec Benaci in margine ſiſtar,
Conductaque lacus nitidi lympham rate ſulcem,
At tua confugiens reduci pede limina, quæ me
Tranquillæ vitæ cupidum, placidæque ſalutis
Excipiant, & amica meæ dent commoda vitæ:
Sed vereor, ne qui quatientem molliter undam
Non tulit, hunc rapido deprehendat turbine vortex
Spu-

Spumeus infidi veſtræ maris ambitionis,
Qui magis horribili vento, & majoribus auſtris
Sæviat, & miſerum dominante cupidinis aura
Per ſcopulos Regum, per magna Palatia jactet.

Ad Epiſcopum Atrebatenſem.

Ne me forte putes vana ambitione furentem
Deſipere, atque animum deliro volvier æſtu,
Immemorem ſortis priſcæ, veterumque malorum,
Accipe, cur vanos odi quos nunc gero faſces,
Et quod conſcendi, te concedente, Tribunal;
Audi quam dubium, atque anceps diſcrimen agat me.
Hic mihi felices glebæ, & bona jugera campi
Evenere quidem, tamen hinc ſe ſpumeus amnis
Præcipitans, mollem ripam vorat, & rapit unda,
Decidui & partem ſemper furatur agelli.
Parte alia Torrens montano turbidus imbre
Aggeribus ruptis campo decurrit aperto
Victor agens ſecum ſata læta, hominumque labores:
At dices, quid tu interea teris otia? quid ſtas?
Quid tua jura ſinis piger indefenſa rapi? nec
Antevenis, firmaſque tuum facto aggere magno
Et terra, & ſaxis, & denſo ſtipite campum?
Amnis uterque rapax aprico arcendus ab agro eſt
Longa mole tibi, vi multa, atque obice multo.
At non quos dicam fortaſſe intelligis amnes;
Hinc numero fidens aufert mea jura Senatus,
Et res confundit noſtras, tollitque, rapitque,
Et rebus ſeſe alienis ingerit audax;
Inde nihil princeps durus non arrogat armis;
Hi duo de ſumma imperii luctantur, aguntrem,
Ille potens dextra, compto hic ſermone diſertus,
Hic cauſa melior, arte at præſtantior ille:
Ut longurius in ſtabulo ſuſpenſus, equorum
Non facile evitat calces; ut ſæpe coorta
Seditione gravi in populo, juſtiſſimus unus
Qui paci medium ſe offert, perit; hic ego ſic ſum

Spectator pugnæ, expectans quod me jubeat fors
Ferre jugum, cujus victoris jurgia ferre;
Interea torrens nunc hic, nunc turbidus illic,
Decerpit ripas paulatim gurgite edaci,
Et sensim pauper fines ita claudor in arctos,
Ut mihi sint odio fasces, & inane Tribunal,
Justitiæque manu frustra qui stringitur ensis;
Et quamvis nihil hic jam sim nisi fabula vulgi,
Multus verna mihi tamen est pascendus, & idem
Terve quaterve procax renovandus vestibus anno,
Aulæis ornanda domus mea, cum riget annus;
Cum calet, extremis quamvis quæsita Britannis
Sordent, nam melius paries ornatur Hibera
Pelle abeunte hieme, atque æstas cum fervet in agris,
Temperat æstivos pellis vitulina calores.
Aut auro pulchrè, aut ferro signata calenti;
Cœnandum lautè est, ne si gravis adveniat vir
Invisum cupidi, & sordentis nomen inurat.
Nam quamvis multus superet patrimonia sumptus,
Inque dies crescat, quod me gravat, æs alienum,
Attamen, (est ut opus, utque est res credula) vulgo
Credor habere ingens argenti pondus, & auri;
Unde nec hospitibus domus est claudenda superbis,
Undique quos fallax invitat opinio, quæ me
Per bibulas populorum aures, per compita ubique
Ut bene felicem mendaci prædicat ore,
Stragulaque exornant thalamos, pictique tapetes,
Ne mea pauperies in lucem prodeat, & ne
Hospitibus nos accuset cariosa supellex.
Nec minor hinc inopem stabuli subit altera cura,
Ut fœno pascantur equi, nec desit avena,
Et strigile eniteant multa in præsepibus altis;
Acrius hæc miserum pungunt dispendia, quod non
Solvuntur promissa mihi stipendia, quæ tu
Munificus mihi larga dari, Cæsarque jubetis:
Undecimus mensis, ni fallor, labitur, ex quo
Germanæ pubi, quæ me comitatur, & anteit,
Immitis nec dat questor lictoribus aurum;

In-

Interea miseris ne desit lens, olus, aut sal,
Æs præsto, moriens mihi quod pater ante reliquit
Quæsitum magna virtute, & paupere mensa.
Non tantum per plana citus volat atria turbo
Reste puer quem multiplici, spirisque coërcens
Innumeris, magno sublatum verbere jactat,
Quantum ego perpetuo curarum turbine versor,
Curarum quæ me sollicitant noctesque diesque,
Ut videam de me quod contigit ante pusillo
Fortè homini: non est incundior altera dictu
Fabula, nec brevior; da te mihi, si vacat, audi.
Nanus erat binis quondam non longior ulnis,
Exigua insignis brevitate, atque integer annis;
Quem propter facti novitatem, artusque pusillos
Optabant hilares cœnæ, & convivia læta.
Hunc mulcere senes, pueri, innuptæque puellæ
Et cupere, & læti circum amplexarier omnes;
Felix, ni cuicunque homini sua displiceat sors;
Hunc atrox propriæ brevitatis cura misellum
Urebat male, & occursans miseratio sortis
Invisæ, pro qua ille Deum incusare solebat,
Assidue obiiciens tantilli corporis attus;
Audiit orantem Divûm pater optimus, & rex,
Et quid, ait, nos obtundens prece sollicita, vis?
Procerus fieri, & longos assurgere in artus.
An statura placet communi longior? an quæ
Finibus est homines inter mediocribus? inquit,
Opta animo qaamvis speciem, tibi namque erit a me
Sive brevi, seu tu mavis procedere longa;
Consilii dubius formaque incertus in omni
Hæret pumilio; at tandem. Mihi forma gigantis
Supra hominem cubitos extans, aut quatuor, aut sex
Longa placet; Deus, esto gigas, ait, & prece ne me
Posthac sollicita, atque informi voce fatiges.
Nec mora, pinguescunt membris crescentibus artus,
Corpus & in longum sensim producitur omne,
Ut Sole inclinante hominum fit longior umbra,
Fitque eadem noctu deprenso lumine major,

Sic, quantum cupit exultans extenditur ille,
Surgit in immensum, toto jam longior est pes;
Hunc subito circumveniunt incommoda mille,
Imprimis quærenda illi domus amplior, & lar,
Esuriens magnis pascenda laboribus alvus;
Deciduusque amplis arcendus vestibus imber;
Ille ubi se obsessum damnis videt undique, cœlum
Respiciens, inquit: tua me indulgentia perdit
Juppiter, ipsa boni fallax me lusit imago,
Informem invisamque mihi pater exue molem;
Tu Perenote mihi ille es, & pater optimus, & rex,
Qui obsequio victus dulci quondam, & prece blanda
Fecisti è parvo me pumilione gigantem,
Insignem ventre, & damnosum faucibus amplis
Servorum; qui me, & patriam ligurire queant rem;
Hanc mihi tu ingluviem famulorum, & inutile pondus
Præcide, & tenues iterum me transfer in artus,
Per genium, fratresque tuos perque ossa parentis
Sancta precor, vitæ tandem me redde priori.
Ista tibi & musto, & satur autumnalibus uvis
Dictabam ruri, Venusino carmine, dum tu
In Gallos aditus numeroso milite tentas.

Ad Christophorum Madruccium Cardinalem, ac Principem Tridentinum.

Obsequio quamvis reverentia debita herili
Me trahat ad veteris lora relicta jugi,
Erronemque vagum, desertoremque laborum
Me tuus acer amor sub sua signa vocet,
Rus tamen innocuum caris me detinet ulnis,
Inque suburbano vita beata loco.
Nam quoties animum civilis cura fatigat,
Meque mei saturum tædia ruris habent,
Et mens deliro rursus cupit excita fastu
Libera regali subdere colla jugo,
Ipse mihi insignes ultro largiris honores,
Inque urbe immensas das mihi largus opes.

Et

Et comes ire paro, ſuperes ſive arduus alpes,
  Seu mare turbatum flante Aquilone ſeces.
Quin etiam obrepens menti ambitioſa cupido
  Concipit exemplo maxima facta tuo.
Et quid agant Galli inſomnes quæro anxius, & quid
  Claſſis. ab Eoo littore vecta paret.
Sed poſtquam deſiderii deferbuit ardor,
  Et victa ambitio ſub ratione jacet.
Occurrunt animo venienti grata ſenectæ
  Commoda multa meo rure parata mihi.
Libertas hinc cara omni pretioſior auro
  Surgit, & immemorem non ſinit eſſe ſui.
Inde mihi grato blanditur murmure ſilva,
  Et qui muſcoſis it propè rivus aquis.
Et quoties maleſuadus amor conſurgit habendi,
  Sollicitatque meum pectus inanis honor,
Parva quidem, tamen externæ nihil indiga frugis
  Res, ſuadet cunctas deſpicere urbis opes.
Me mage delectant tenui patrimonia ſumptu,
  Et meus exiguo qui calet igne focus.
Quam quos ingentes ciet urbs maleſana tumultus,
  Quæque ſtrepunt medio jurgia crebra foro.
Ut fluctu incerto nunc huc nunc volvitur illuc
  Inde Noto, hinc gelido flante Aquilone, ratis,
Sic me diſcordi ſtudia in contraria vento
  Hinc Villa, inde tuus pellit herilis amor.
Quale tamen rus ſit noſtrum prius accipe, quam me
  Madruci immemorem nominis eſſe putes.
Atque utinam urbanos ipſe aſpernatus honores
  Huc venias, rapidis vectus anhelus equis.
A ſtrepitu procul urbano. & diſcordibus armis
  Conſpicua in pulchro ſtat mea Villa loco.
Camporum ad medium claro cognomine Mons eſt
  Inter Cenomani pinguia rura ſoli.
Undique planities longo circumvaga tractu,
  Perſimilis placidis eſt maris æquoribus.
Paſcua magna Bovum ſunt immetata; nec ullus
  Terminat agreſtis grandia rura lapis.

Hinc

Hinc de parte Euri muſcoſa Mincius urna
  Quæ mage ſunt nobis proxima rura rigat.
Uberis inde agri glebas, de monte volutus
  Alluit, alpina Mella ſuperbus aqua.
In medio amborum multus niſi provocet hymber
  It Clyſis placido per mea rura pede,
Hic paribus ſpatiis denſo ordine conſita ſylva
  Populeas creſcens explicat alta comas.
Ad latus occidui nemoris ſatis ampla recumbit
  Ære mihi, & multo ſtructa labore, domus.
Ad centum cubitos altis directa columnis
  Area quadrato clauditur ampla ſinu;
Ædis habet medium gibboſis aſpera ſaxis
  Janua, turgenti grata ſupercilio.
Veſtibulum æquales hinc atque hinc dividit alas.
  Dextra mihi, hoſpitibus læva habitanda meis.
Tablini ad medium radiis rota lignea crebris
  Volvitur, impulsu prætereuntis aquæ;
Hæc rotat inde aliam, quæ concita grandibus alis
  Cit ventos, cum Sol terga Leonis adit.
Dum calet, & lectos hæc molliter afflat heriles,
  Et quæ cum multa eſt menſa parata roſa;
Rivus aquæ ſtabulum lambit nugacibus undis,
  Unde lutoſa meis crura lavantur equis,
Non deſunt intus thalami laquearibus altis,
  Quos circum volitat ſomnus, & alma quies.
Suſtinet extremos curvati fornicis arcus
  Aurata in nitido ducta corona loco.
Pulchra ſub aurata circum currente corona
  Artificis docta eſt faſcia picta manu;
Cernitur hic noſter denſis exercitus haſtis
  Proxima quadrato milite ſigna ſequi;
Ecce in deſcenſu vallis ſuperingruit acer
  A tergo celeri Thrax metuendus equo.
Defendit ſtagni pontem poſt terga relicti
  Lecta virûm pugnax a legione manus.
Mittitur inde equitum noſtris trepidantibus ala,
  Hinc peditum auxilio cum duce lecta cohors.

Anci-

Ancipiti eventu miſcetur pugna, cadentum
  Undique purpureo terra cruore rubet.
Noſtrorum tandem virtus longe amovet hoſtes,
  Ac tuba victores ſub ſua ſigna vocat.
Hiſpanûm interea, Germanorumque phalanges,
  Longo non ceſſant ordine ſigna ſequi.
Impediunt iter ad medium ſtridentia plauſtra,
  Æneaque a multo machina vecta bove.
Ruſtica ſternit iter pubes campeſtribus armis,
  Ne ſcrobibus denſis tardius agmen eat.
Non eſt villa meo formoſior altera rure,
  Nec quæ ſit frugum fertiliore ſolo.
Alta decem cubitos, & ſex præcinctio tota eſt,
  Nullus & in tota ſtat locus æde minor;
Hic mihi ſemper humus tepidis viret excita ventis,
  Pictaque purpureis floribus arva nitent.
Flava Ceres cultis meſſes fecundat in agris,
  Ovanteſque pater ducis Jacche choros.
Laſcivaſque agitat per amœna vireta choreas
  Aurea cum gemina nuda ſorore Charis.
Templa etiam ſunt hic formoſis plena puellis,
  Dum fumant feſto maſcula thura die.
Hic tibi erunt roſeæque genæ, nitidæque papillæ,
  Collaque montana candidiora nive.
Sunt etiam fuſcæ mixto pallore puellæ,
  Quas magis ardenti lampade vexat Amor.
Has inter Leonora ſuis nos ignibus urit,
  Urit, io niveos pande puella ſinus.
Tum ſeu magna juvat validis perculsa lacertis,
  Seu poſita ad medium parvula reſte pila,
Ædibus in noſtris tibi erunt loca commoda utrique,
  Lætus ubi exercet brachia dura labor.
Cultrix vicini nemoris procul aſſonat Echo,
  Plena viris feſto dum ſtrepit aula die.
Præterea aſcenſu facili mons ſurgit, & alto
  Circumfuſa procul vertice rura videt.
Ædes magna Deûm ſaxo conſtructa vetuſto
  Occupat aërii verticis alta latus.

Creditur hic magni Pluto tentasse tonantis
  Progeniem, & summo constituisse loco,
Omnia cum dixit tibi erunt subjecta potenti,
  Ipse meos supplex si cadis ante pedes.
Cernitur ac de rupe lutoso Mantua campo,
  Cernitur & magno mersa Cremona Pado.
Bis sextum ad lapidem Boreæ de parte sereni
  Surgit ab excelso Brixia magna jugo.
Perpetuis rupes afflata salubribus auris,
  Temperat æstivas Sole calente faces.
Quæ meus hic Clysis felicibus irrigat undis,
  Multa mihi dives rura colonus arat.
Tam formosa licet me villa retardet inertem,
  Rure tamen medio me tuus urit amor.

Ad Gonzalium Pyretium.

Ira Deûm postquam sacro nos attigit igne,
  Et fregit fasces fulminis aura meos,
De spe sollicita pulsus crescentis honoris,
  Quem labor & multus Regis alebat amor,
Rura colo, & vitæ delector simplicis usu,
  Nullus ubi instructa stat vafer arte dolus,
Et licet assiduo non hic strepat aula tumultu,
  Nec mea sit rauco plena cliente domus,
Me tamen alma quies curarum nescia, inertem
  Rure fovet placido nocte dieque sinu.
Seu portu amisso fera concitet ira Britannum,
  Et nova conscripto milite bella paret,
Sive lacessitus bello non induat arma,
  Nullus & erepta provocet arce pudor,
Anxia sollicitum non hæc me cura fatigat,
  Lurida nec pallens inficit ora pudor,
Nec moveor velut ante, novo si Insubria bello
  Ardeat, hostili diripienda manu.
Non hæc vana meos rumpunt deliria somnos,
  Externoque metu Musa soluta cubat.

Ad

Ad veteres facilem victum ſine lite penates
  Dat mihi felici rure paternus ager:
Nec mihi ſi detur nunc optio libera honorum,
  Ferre mea optarim regia ſceptra manu.
Ægrotam tamen hic mentem dolor anxius urit,
  Unus & hic noſtro vivit in ore pudor,
Quod me, cui dominus dederat pater ante ſecures,
  Garrulaque Inſubri dicere jura foro,
Poſt multos Rex munificus dimiſerit annos,
  Nec dederit meritis præmia digna meis.
Sub patre cum rapidos res poſceret ardua curſus,
  Ibam mutatis curſor anhelus equis.
Cum tentanda forent Scythici fera limina Regis,
  Audebam ſtygii tecta ſubire Dei.
Cumque truci intrepidum fœdus ſancire Tiranno,
  Perque vagos Perſas illius arma ſequi.
Tunc ego Pannoniam defendi fœdere pacto,
  Cum domui hoſtiles Marte furente minas.
O Quantum nobis pax attulit illa ſalutis!
  Non potuit per me res magis apta geri.
Tempeſtate illa triplici Germania bello
  Arſit, & ancipiti bella fuere loco.
Tunc aquilas primum trepidantes vidimus, & tum
  Pallere invicti Cæſaris ora metu,
Cum foret inque uſum quærenda pecunia belli,
  Immodicum fœnus ſenſit avitus ager.
Quin etiam cum Vercellas Rex Gallus haberet,
  Et jam anceps dubia ſtaret in arce timor,
Haud timui circumfuſo nil territus hoſte
  Gallica nocturno fallere caſtra dolo.
Fama mei adventus Gallorum ubi perculit aures,
  Sunt verſa in trepidam territa ſigna fugam.
Eſt mihi conſiliis per multos Inſuber annos,
  Adjutuſque mea per fera bella manu.
Fama loquax late interea mea facta canebat,
  Et Latium implerat nominis aura mei.
Qui titulos virtute putant meritiſque parari,
  Sortis & artificem quemlibet eſſe ſuæ,

Meque tot insignem videre securibus annos,
  Consiliisque meis ardua bella geri,
Huc veniunt, & me per mollia prata jacentem
  Inveniunt, densis est ubi silva comis:
Meque ferunt ægre torpere per otia inertem,
  Et laudum antiquas deseruisse vias.
Rursus & externos hortantur inire labores,
  Et desueta novo subdere colla jugo.
Illorum adversor monitis, valideque resisto,
  Et nulla in præceps ambitione trahor.
Non cessant tamen his dictis latus urere amaris,
  Atque meum fastu sollicitare jecur.
Est animus tibi, cum dubiis Mars errat in armis,
  Ingeniumque, gravis cum tibi sumpta toga est.
Scribis & annales Latio sermone disertos,
  Et venit ad faciles utraque Musa pedes.
Cum prodit levibus a te Comœdia soccis,
  Pulpita festivis sunt tua plena jocis.
Et genere, atque opibus flores, nec deficit ætas,
  Inque tuo solidum corpore robur alis.
Cur animæ illustres quæ regia munera tractant,
  Tam temere a merito te repulere loco?
Sic pecudes solet a stabulis avertere pastor,
  Cum quatit ægrotum tussis anhela latus.
Interea dum turba loquax hæc vulnera tractat,
  Per mea purpureus labitur ora pudor.
Et quamvis mea mens culpa non palleat ulla,
  Nec vitra sint nostra splendidiora fide,
Ille tamen color insuetus qui fulget in ore,
  Et quæ lingua novo tacta pudore silet,
Hospitibus manifesta mei dant signa doloris,
  Unde meam credunt crimen habere fidem.
Et morti toties pro rege oblatus acerbæ,
  Immeritæ labis suspicione notor.
Tu qui Smyrnæi divina poëmata vatis
  Ducis ad Hispanos ore tonante modos,
Dic toti Gonzale precor qui consulis orbi,
  Qua lacer est nobis veste tegendus honor.

Ad

Ad Josippum Vidaschum.

Cur mihi post longum non fertur Epistola mensem?
  Nec venit ulla tua charta notata manu?
Ergo domi per longa diu piger otia cessas?
  Invitum nec te scribere cogit amor?
Scribe meus quid agat Princeps, Vidasche, Tridenti,
  Quid tuus illustris cum legione Comes.
Quæ nova militiâ te mordet cura solutum,
  Per longos quid agis sole calente dies.
Numquid adhuc miser ambitionis volveris æstu,
  Dum nimis attenta mente paratur honor?
An potius contemnis opes, curasque perosus
  Absque aliquo patrium munere limen amas?
Incipe, vix poteris calamum retinere volantem,
  De fonte ingenii lactea vena fluet.
O quam multa tuis aderit facundia dictis,
  Urbani quantum per tua verba salis?
Interea quæ me gremio fovet hospita tellus
  Accipe, pars animæ magna Josippe meæ.
Qui Ligurem a Tuscis lapidoso dividit amne
  Me lentum Etrusco margine Macra tenet.
Cum juga nimbosi descenderis Apennini,
  Se se aperit pulchro vallis amœna loco.
Undique per colles pecori opportunus alendo
  Est ager, & celsi per latus omne jugi.
Per colles, & per sinuosa volumina vallis
  Densa olea aprico stat numerosa loco.
Planiciem tardo scindit bove rusticus amplam,
  Unde legit cupida plurima farra manu.
Quælibet extremo camporum margine vitem
  Hærentem ramis arbor amica fovet.
Castaneæ hic longum virides servantur in annum,
  Et quæ virgineo poma colore rubent.
Non ficus, non morus abest, nec amygdala, non nux,
  Fragaque montano mollia nata jugo.

Quæ circum in tumulis caſtella frequentibus aſtant,
  Ornant turritis ardua clauſtra jugis.
Ut ſunt Orcheſtris ſtatuæ decora alta ſuperbis;
  Quas populi ſcenæ fronte cadente vident.
Planicie ſic quæ in ſpeculis cernuntur ab ima
  Oppida, ſunt denſis grata cacuminibus.
Aſt ubi ſpumoſus per ſaxa loquacibus undis
  Macram intrat gelidis Balneus amnis aquis,
Et Fluvii coëunt; quadrato condita ſaxo
  Arx vetus in ſcopulo flumen utrunque tenet.
Natorum has ædes proavi tenuere meorum,
  Et quæ multa frequens oppida vallis habet.
Cuncta placent, deſiderio triplici tamen angor,
  Quod facit inviſos tardius ire dies.
Me vocat ad patrios domus imperfecta penates,
  Semper & ante oculos ſtat locus ille meos.
Tuque etiam occurrens menti, grata otia turbas,
  Succediſque animo cura ſecunda meo.
Ille tamen ſceptro princeps inſignis utroque;
  Quem dominum nobis prima juventa dedit,
(Pace tua) mediis ardentior oſſibus hæret,
  Immemoremque minus me ſinit eſſe ſui.
Hic vultu, atque manu revocans me ſemper herili,
  Erronem rurſus ſub ſua lora trahit.
His ſtimulis atque his, violentius uror, & angor,
  Et tam multiplici turbine amoris agor,
Ut jam grata meæ non ſint, nec amica ſenectæ
  Plurima quæ dives commoda vallis habet.
Unde domum menſis vicinas ante calendas
  Hinc deſiderii me vehet ignis edax.
Poſt triduum veniam, ſeu vos Benacus habebit,
  Sive Tridentino gratior aura jugo.
Teque meoſque ſimul conſervos limine primo
  Complectar, longus quos mihi junxit amor.
Inde ubi congreſsûs primi ceſſaverit ardor,
  Ante meum ducet me puer unus herum.
Qui cupidus noſtri, ſacræ poſt oſcula dextræ
  Me læto excipiet plenus amore ſinu.

Ille

Ille honor eliciet lacrimas, oculique madebunt
  Lætitia, tacito rore rigante genas.
Tu teneros Elegis illic dum flebis amores
  Ad raucum murmur prætereuntis aquæ,
Aut ſcribes, numeris connectens verba ſolutis,
  Seria venturis verba legenda viris,
Ipſe tibi agreſtes modulabor arundine verſus,
  Et ſcribam quid agat cum Corydone Mycon.
O utinam curru properans Aurora nitenti,
  Hunc niveum nobis portet amica diem.

Ad Mercurium.

Cylleni interpres divûm, velocior Euro,
  Qui toties ſuperas iſque rediſque vias,
Poſt mille exactos varia regione labores,
  Iſta juventutis ſint tibi dona meæ.
Undique cerati taurina è pelle cothurni,
  Sellaque, diſpoſitos quæ bene cingit equos.
Et ferula, & geminum calcar, parvusque galerus,
  Et cornu quod ter pendula zona ligat.
Curſor ego his adii ſpoliis florente juventa
  Terrarum quidquid cognitus orbis habet.
Nunc mea cum requiem poſcat vicina ſenectus,
  Cumque riget vultus concava ruga meos,
Hæc veteris monumenta mei deſerta laboris
  Pendebunt templo munus inane tuo.

SPINELLI

FLORENTINI.

De Ambrosio Monacho.

Attica mella ſapis, redoles quoque nectar ubique
  Tu qui divino numine, nomen habes:
Quod niſi dulce canis, referens Myſteria Divûm
  Dulcius hoc certe eſt nectare, & ambroſia.

GERARDI SPINII

FLORENTINI.

Ad Lauram Battiferream.

Quam tua nos lædat febris, doctiſſima Laura,
  Laura decus Phœbi, Pieridumque chori,
Quiſnam dicendo ſatis exprimat? ipſe ego certe
  Impedior lacrimis, talia dum cupio.
Sola etenim poteras Medices ornare canendo;
  Et flere illorum tu quoque ſola rogum.

Quos

Quos tamen ut celebres, oro pia numina, reddant
  Corporis antiquum, prævalidumque decus;
Atque eadem, nobis quæ tot cœleſtia dona
  Eripuere, utinam tot tibi reſtituant.

Ad Marium Columnam.

Sublata baſe præcelsam proſtrare Columnam
  Enixe cupiit mors inimica bonis.
Hanc tamen illuſtris Coſmus fulcitque, regitque,
  Nec ſinit adverſo robore decidere.

Ad Benedictum Varchium, de Mario Columna.

Qui modo tollebant noſtram ſuper aſtra Columnam
  Tres clari proceres, Auſoniæque Duces,
Vidimus heu, cunctos orbatos lumine, Varchi;
  Heu miſeram! alterna nunc eguiſſe vice.

PROSPERI SPIRITEI.

De Platina.

QUi res Pontificum ſacras, & geſta piorum,
  Quique ducum vitas nobile fecit opus:
Quique modum docuit, quo laudet honeſta voluptas,
  Et quo ne juvenes torqueat acer Amor:
Pluraque quæ longum eſt, properans, cenſere, viator,
  Omnia ſidereæ pignora mentis erant.
Vivit adhuc Platina: & quamquam conceſſerit Orco.
  Nil tamen in vatem Parca ſevera poteſt.

JO: FR. QUINTIANI STOÆ

BRIXIENSIS.

Ad Marcum Antonium Mulam, Brixiæ Præfectum.

PLuribus auditam traxit præſentia famam:
  Et perſæpe fuit fama reperta minor.
Ingens fama tui præceſſerat: ipſe repertus
  Major es: imo tuis maximus officiis.
Nec mea mendaces facit hæc cenſura poëtas.
  Qui culicem faciunt ferre per aſtra bovem.
Quique canunt montes per ſe volitare per æthram:
  Et talpam è ſumma ſede fugaſſe Jovem.
Odi ego marmoreo leporem conferre Leoni,
  Sed ſum Romanis verior hiſtoricis.
Tullius eloquio es: re Scipio: corde Metellus:
  Et Cato conſiliis: Pompiliuſque fide.
Tandem audi, in toto quot ſunt tibi corpore membra,
  Tot ſimul Heroas: Semideoſque tenes.

Anſuigus Martinengius extinctus matri ſuæ.

Quid mea fata gemis dulciſſima mater? & altis,
  Quod perii in bello. fletibus ora rigas?
Deſine chara parens, miſeris fœdare querelis
  Perpetuum nomen, perpetuumque decus.
Audio maternos gemitus: maternaque verba
  Triſtia: percuſſos & ſine fine ſinus.

Ca-

Captivus poteram noſtræ dare tempora vitæ.
  Sed magis egregium ſum ratus enſe mori.
Liber ego oppetii, non hoſtis robore victus:
  Sed magis egregium ſum ratus enſe mori.
Liber ego oppetii, non hoſtis robore victus:
  Sed numero hoſtiles continuante manus.
In me unum fluxere acies: ego fulminis inſtar,
  Fregi hoſtes qui in me grandinis inſtar erant.
Annis pænè puer: vir pectore: crudus in armis,
  Corporis, atque animæ prodigus uſque meæ.
Chara vale genitrix; finemque doloribus adde.
  Aſſiſtet lateri gloria noſtra tuo.
Sic ego, qui cecidi tanto pro Rege triumpho,
  Principe pro tanto: vivo ego, non perii.

Ad Marcum Antonium Mulam, Brixiæ Præfectum.

Fama refert Calabrum tria corda habuiſſe poëtam,
  Quod ſciret Oſce, quod Latine, & Attice.
Quum potuit Græcæ Geticam, Geticæque Latinam
  Miſcere linguam, Naſo vir triplex fuit.
Quum tibi ſit præſto triplicis facundia linguæ.
  Triplex corona triplici ornabis caput
Quum loqueris græce, loqueris velut alter Homerus,
  Scribis latine; tu ſecundus es Maro.
Si cantas numeris vernacula carmina Tuſcis:
  Vere Petrarcham te facis & illi parem.
Ergo hominem triplicem mea Brixia corpore in uno
  Cole & verere, & triplicem laurum para.

In Ejus Amplexu.

Ecce virum amplector triplicem, qui triplice lingua
  Emeruit triplici cingere fronde caput.

Epitaphium Hermolai Mauroceni.

Quænam hæ puellæ lacrimantes quattuor?
Juſtitia, Probitas, Fortitudo, Gratia:

Mortem Hermolai Mauroceni plangimus:
Cur ad ſepulchrum quattuor fletis Deæ?
Mortalis ullus flere non poteſt ſatis.

De Joanna Aragonia.

Eſſe Deam fecit ſapientia dia Minervam,
Et Venerem exhibuit candida forma Deam.
Divinos meritis ſenſit Jovis uxor honores,
Atque Ceres frugum munere culta fuit.
Moribus indepta eſt ſua templa Diana pudicis,
Dote pudicitiæ credita Veſta Dea eſt.
O ſeclum ingratum, ſi non tibi dedicet aras.
Si non præſenti ſint tibi templa Deæ.
Fronte Dea es, virtute Dea es, Dea vera pudore,
Vis brevius? tecum fers mihi mille Deas.
Adde quod exponas utriuſque volumina linguæ,
Et repares ſtudio perdita ſcripta tuo.
Ingeniiſque faves, Muſis decima addita Muſa,
Atque auges Charitum nomina quarta Charis.

BENEDICTI SOSSAGII

PAPIENSIS.

De Pindari Versione Alex. Adimari.

UNde novum manat divini carmen oloris?
Forsitan e Cœlo barbitus ista fluit?
Agnosco; in Tuscum Dirce deducitur Arnum,
In Tuscos felix Græcia migrat agros.
Avehit in patriam Grajos Adimarus honores,
Plectraque Pindaricæ suspicienda lyræ.
Hoc erit: hoc vere geminas ostendere Thebas,
Et geminam Dircen, dum geminatur olor.
Quin idem quando, Thebane, renasceris ales
Quam fuerat Dirce, nobilis Arnus erit.

Pace tua dicam; Romani gloria plectri,
Flacce, minus vero carmine vana canis.
Pindaricos potuit cantando æquare volatus
Ales ubi flavis volvitur Arnus aquis.
Nec tamen Icariis temerarius excidit ausus,
Sed metam optatam Dædalus alter habet.
Jam Thebana minus poteris turgescere Dirce:
Alter inaccessi carminis ales adest.
Sed contra Dirce exclamat: se Tuscia jactet,
Dum tamen ex me habeat Tuscia quicquid habet.

Pindarus Elysiis Ademari carmen in oris
  Si legat, Etrusce gaudeat ipse loqui:
Et clamet: numquid me ludit amabilis error?
  En Tuscus videor, qui modo Grajus eram?
Me certe agnosco Thebanum in carmine Tusco,
  Aut mihi terra parem prodigiosa tulit.
Qui Dircæus eram, Tusci sum carminis ales,
  Aut Fidicen plectris fallitur ipse suis.
Sed tamen invidia quamvis ringente, fatebor:
  Quam Thebana, mihi plus lyra Tusca placet.

VESPASIANI STROZÆ

FERRARIENSIS.

De Guarino Veronensi.

HUnc tibi consensu tumulum Ferraria magno
  Pro meritis posuit clare Guarine tuis.
Tu pater eloquii, geminæ tu gloria linguæ,
  Præcipuus Juvenum tu moderator eras.
Te duce nostra vigens studiis florentibus ætas,
  Pierio priscis certat honore vicis.
Nec Verona minus tali se jactat alumno,
  Quam celebres veteri nomine tollit avos.
Primus & extremus te noverat orbis, & ultra
  Humanum virtus se tulit ista gradum.
At nos hic senio resolutos condimus artus.
  Candida sidereos incolit umbra domos.

NICOLAI STROZÆ

FERRARIENSIS.

Ad Beatissimam in Cælos Virginem Assumptam.

PRinceps Olympi Dea, beatis Cœlitum
Potita Regnis; sceptra cui Mundi dedit
Æterna summus Molis immensæ Parens,
Miranda Superis; inde qua lucem premit,
„ Aperitque Thetis; qua ferens Titan diem
„ Binos propinqua tingit Æthiopas face,
Viris colenda(finis alterius mali
Gradus his futuri) non prius solis jubar,
Quam lacrimosum flebili edoctis solo.
„ Heu statue tandem gravibus ærumnis modum,
Finemque cladi, sancta Moderatrix Poli;
Spes una nutantem metu absolvens humum,
Natale neu repetat Chaos; adeo furens
Librata terris pondera intorquet nefas.
Quam summa quondam Charitas molem dedit,
Ubique amoris vinculo firmans sui,
Quassam hinc Superbo illinc Avaro turbine
Totam diremit agens Scelus. Nusquam pudor,
„ Aut cura Juris, sanctitas, pietas, fides,
Vi flaminis bacchante sæva, per juga,
Per arva Virtutum sacer procerum chorus
Quocumque præceps agitur extorris loco.
Hinc plurimus in iras tumet Olympus; vacat
Trisulca numquam cuspis, aut torpet manus

Ful.

Fulgere tonantes aſperans Cœli minas.
 Fulmineo adacta corruit primum Ceres
Ultore telo: flevit horrentes fame
Vindex vel ipſe furor cadaverum ſtrues.
Humanus autem contumax Superis tumor
Magis inolevit; qualis afflictus ſolo
Aëra laceſſit turgidus vento globus,
 Adhuc negata meſſe, ſqualebant agri,
Macieque triſtis ora miſcebat color;
Cum juſſus Acheron tabido natam ſitu
Efferre luctificam Luem. Ingemuit quater
Tellus dehiſcens: quater anhelos flammeo
Reparavit artus Dite, cum monſtrum tulit.
 Letho madentes horruit vultus dies;
Horruit utrunque pervium Mundo jubar;
Nec ſuſtinere, diſſitis montes jugis.
Dumque ipſe ſaxeus facile ceſſit rigor,
Non ceſſit hominum. Quot riget nimbis hiems,
Quot madet Orion; quot nives Arctos gerit;
Tot enſe vitas Atropos ſontes metit:
Feroſque in imbres diruat ceu grando Mors,
Non vitia, ſed ſternit viros. Demum ciet
 Vivens tot inter funera vel adhuc ſcelus,
„ Extra nocentum exilia diſcordem Deam.
 Hoc deerat unum rebus everſis malum.
Affuit; & omnes pæne Chriſtiadum plagas
Queis verſet odiis, cladibus, bello, dolis,
Teſtentur Urbes, Diva, quas aſtris ſuper
Occidua ſpectans Regna, ſuccenſas vides
Tot in ſupremos igne cognato rogos;
Tot ſua querentes arma, traductas ſolo.
Teſtentur inſonti fluenta ſanguine,
Et quas pudore noſter aſperſit cruor,
Glebæ, ſtupentiamque pro cadavere
Flumina, retortis greſſibus, viſu nefas.
 Pectus neque Hyrcanum meo, neque ſyrtea
Stetit animo vis inſita obducens ſinum;
Ut ſaxeo integer, dolori adhuc queat
Per

Per funera miseranda ferri. Adamantinus
Vel ipse facile cederet fractus rigor;
Montes ubi liquantur humentes diu
Sanguine fidelium quidem circumfluo,
Æque tamen pietate molles. Ubi dolent
Sæpe e superjecta cadaverum strue
Plerosque Valles funerum montes dare.
Proh temporum miserrima! Ferinum subit
Seclum peracto Ferreo. Hinc terris procul
Humana ratio est. Hinc ope incassum valent
Consultæ in acta mentis Europa fati.
Hinc qualis amens jura Mæander sibi
Numquam nova positurus attollit vada;
Dum vere torrentes mare retorquet minas,
Patrios in ortus agmine undarum tumens,
Phrygios ruinis complet affines suis.
Tales Agenoris dolet alumnos Duces,
Tanta sibi glomerasse odia, dum cæca rabies
Exegit, haud Status Ratio, amicos diu
Versasse populos milite injuncto fide.
Qui victor, hinc victus modo, oppressus, premens,
Flexibus eisdem semper in notos ruit.
Spesque minimi Imperii monet. Spes impia!
Id sive quæsitum demus; partum nega;
Si victor efferat spolia; victum puta:
Quod scelere partum constat, amissum reor;
Et scelere quæsitum est, ubi Ecclesia ruens,
Civili adactos vulnere in funus trahi,
Hinc inde gnatos usque deflebit suos.
Deflebit Urbes Cive; deflebit domos
Fideli ademtas Patre. Proh celsis Dea
Locata scamnis! Proh Gubernatrix poli!
Barbarica nunquid Regna desunt? Num latet
Ismaria quam patuere? Nimirum labor
Grandis adituros versat; ubi brevis Pio
Solymas jugavit Rege Gallorum cohors;
Domitosque Liguri laude Nyseos dedit
Hispana paucis millibus dudum ratis.

Quid

Quid plurimo si remige armasset fretum?
Quid viribus si misceat vires adhuc
Augusta Præpes? Aureaque Lilia comans
Regale Signum consonis tandem tubis
Exerceât jam bellla? Quid si armis, equis
Sarmata propinquos urgeat fortis Scythas?
Quid si sub eadem temporis spatia legant
Itali Othomanum, classe contracta, salum?
Adde his studentem Cælitum rectis opem.
Quam cito superbo poneret Thraci jubar
Luna in perennem cornibus noctem latens!
Quam cito decorum peteret Europæ caput
Asia, e subactis deferens oris opes!
Quam cito, Tyranno Rege captivo, daret
Eoa promens sceptra Pangæus fidem!
Huc ergo Christiadum Duces; huc, age Dea,
Excipe tot armis concitas mentes virûm.
Hucque reparato classica Fideles sono,
Pia gaudeant afflare bella, qua potest
Pietate salva, navibus, telis, tubis
Nova meditari imperia regnandi fames:
Qua non prementes, Barbarûm premet furor;
Jamque fera monumenta dedit. Hinc Græcas fere
Subegit Urbes; Italas illinc petens
Armato obivit Ismaro in classes mare.
Fietque voti compos. Incassum vias
Unius obstans Adriæ virtus negat:
Dum quosque Phlegeton Principes discors agit
Per mutuas Erynnis iras, quo paret,
Trucique facilem singulos prædam ferat.
Ast tu supernæ summa vis ulnæ Dei
Alma patiere Virgo, Cocytum tuis
Spoliis tumentem? Perfidæ Canum fami
Animas referri? Sive fidentes tibi
Populos in óra supplices, captos trahi
Per templa Barbarûm? Ætheris verso ordine
„ Extinguet Ortus, referet Occasus diem:
„ Pax ante fida nivibus, & flammis erit;

„ Et

„ Et Sylla Siculum junget Ausonio latus;
„ Priusque multo vicibus alternis fugax,
„ Euripus unda stabit Euboica piger;
Quam triste subeat omen, & ratum sibi
Tuo Fidelis credat auspicio malum.
Sequeris dolentes pone solatrix Dea.
Quos diligis, juvat premi, non opprimi.
Spectatur igne aurum, sed adversis fides.
Eo ferentur, quo vel inflexi jacent.
Afflicta Zephyris Palma sic tollit comam.
„ Non est ad astra mollis e terris via.

Psalterium supplicantis Ecclesiæ.

Respice exhaustos opibus fideles,
Magne totius Moderator orbis:
Tuque labentis generis Redemptor
Respice, Nate.
Respice infirmos Hominum labores,
Aura Solatrix ab utroque manans:
Deferens Trini speciem Tonantis
Respice, Numen.
O satis numquam meritis adacta
Laudibus, David Soboles, supremo
Grata Motori, bona quæque nobis
Posce Maria.
O satis numquam venerata, miris
Siderum Regi sociata tædis,
Virginum Virgo, bona quæque nobis
Posce precando.
O sacro afflatu paritura Verbum,
Spiritus almi speciosa Conjunx,
Astra cui fulgent: bona quæque nobis
Posce precando.
O Parens Patris, Genitoque Nata;
Nata Divino placitura Amanti
Stirpe Jessæâ; bona quæque nobis
Posce precando.

Pro-

Prolis æternæ Genitrix beata,
Ne quidem prima temerata labe;
Tota nam Pulchra es; bona quæque nobis
Posce precando.
Sola tu affectos veterum tenebris
Præter horrores, hebetata nullis
Noctibus culpæ: bona quæque nobis
Posce precando.
Non tulit, Ditem coluisse primum
Te Dei sanctam subiturus Aulam
Cœlitus Princeps: bona quæque nobis
Posce precando.
Prisca dum tristes Phlegethonta torquet
Pestis ad Manes, Medicum pudico
E sinu profers: bona quæque nobis
Posce precando.
Quæ præest rerum thalamis maritans,
Candidum nupti, stupuit, pudoris
Lilium servans: bona quæque nobis
Posce precando.
Quæ thoro antistat, properante partu
Ordinem supra, stupuit, sacrato
Ubere inspecto: bona quæque nobis
Posce precando.
Ecquid an mirum? Chorus Angelorum
Astupet tantis; Cherubinque & ardens
Cœlitum cœtus: bona quæque nobis
Posce precando.
Cœpit Immensum, dedit Increatum
(Proh stupor!) parvæ gremium Puellæ
Semper intactum: bona quæque nobis
Posce precando.
Non fuit tanti posuisse Mundi
Cardines; quanti thalamum parasse
Numini Sponso: bona quæque nobis
Posce precando.
Non fuit tanti superos creasse
Spiritus; quanti decorare donis

Nu-

Numini Sponſam: bona quæque nobis
 Poſce precando.
Te per exemptos numero coruſcans
Spiritus fulgor ſimul actus unam
Obſequens ambit; bona quæque nobis
 Poſce precando.
Luce virtutum, face charitatis
Lampades multo, jubar, & ſacrorum
Alitum præſtas: bona quæque nobis
 Poſce precando.
Gratia manans, meritiſque nulli
Perviis linguæ, Proceres olympi
Anteis omnes: bona quæque nobis
 Poſce precando.
Te Ducem clamant Volucres beati,
Et genu ſacræ Triadi reflexo
Concinunt laudes: bona quæque nobis
 Poſce precando.
Teque Reginam Superûm cohortes,
Queis laboratæ patuere ſedes.
Efferunt hymnis: bona quæque nobis
 Poſce precando.
Ipſe lætatur Superûm Creator
Floſculis divam redimire frontem:
Aſſonant plauſus: bona quæque nobis
 Poſce precando.
Quam bene expenſi meminit laboris
In Redemptorem Puerum relati,
Prodigens æther! bona quæque nobis
 Poſce precando.
Quam redundanti ſequitur dolores
Gaudio, Cœlos ope luculentos
Hauriens munus! bona quæque nobis
 Poſce precando.
Vel queat verbo peragenda quæque:
Non poteſt quicquam Deus increatis,
Virgo, te majus: bona quæque nobis
 Poſce precando.

Quod

Quod Sato, & Patri eſt placitum; ſed ille
Te ſuper cuncta omnipotentis ulnæ
Vult; Pater nolet? bona quæque nobis
Poſce precando.
Poſſe idem eſt Patri, genitæque Proli;
At parem Nato decet eſſe Matrem;
Quæ tuæ vires? bona queque nobis
Poſce precando.
Nulla vis culpæ eſt, adeo Tonantis
Expetens iras, nocitura ſonti,
Si petas, mundo: bona quæque nobis
Poſce precando.
Orbe polluto, genus omne numquam
Obrutum, tantâ foret Advocante,
Vindici fluctu: bona quæque nobis
Poſce precando.
Urbe pollutâ neque diruiſſet
Nube ſuccenſa pluviale ſulphur
In Gomorrhæos: bona quæque nobis
Poſce precando.
Te micans iris Deus, annuente,
Flammeos uno poſuiſſet imbres
Harami Juſto: bona quæque nobis.
Poſce precando.
Quidquid e magnis, Dea, promereris.
(Parva non noſti) reparat nocentum
Omnium noxam: bona quæque nobis
Poſce precando.
Quicquid e ſummis meritis recenſes
(Magna te norunt) ſimul omne præſtat
Grande Sanctorum, bona quæque nobis
Poſce precando.
Non ſinis, quemquam modo te colentem
Fulgure ultore ſtygiis ſub umbris
Tartari afflari: bona quæque nobis
Poſce precando.
Terror Inferni; Domitrix ſuperbæ
Mentis infenſæ Domino faventi

Po-

Posteris Evæ: bona quæque nobis
Posce precando.
Ingemit pallens, reboatque ab imis
Sedibus nigri Dominator Orci,
Nomine audito: bona quæque nobis
Posce precando.
Clausa Demersis Acherontis antra
Pandit ad nutus trepide capessens
Jussa Rex dirus: bona quæque nobis
Posce precando.
O pia, o clemens Dea, virginalis
Æthere in summo specimen leporis!
O potens mitis! bona quæque nobis
Posce precando.
Maximum terræ decus; o colendum
Qua diem claudit, reseratque Eoo
Delius ponto: bona quæque nobis
Posce precando.
O salutari profluens odore
Mystica excelsis, Rosa, digna septis
Nesciens sentes: bona quæque nobis
Posce precando.
Fons sacer lymphas supero moranti
Stagna Narcisso, referens amantem
Numinis formam: bona quæque nobis
Posce precando.
Hortus æterno perodora vere
Serta virtutum relegens Acanthis.
Liliis, Nardo: bona quæque nobis
Posce precando.
Immo terrestris Paradisus, unde
Spes virens, candor Fidei calensque
Charitas fragrant, bona quæque nobis
Posce precando.
Maximum Cœli jubar, intuendum
Qua ferit Titan, fugiensque ab Arcto
Horret inspecto: bona quæque nobis
Posce precando.

Sidus erranti hoc Mare fluctuosum
Seculi; aspectu pietatis omnes
Ducis in portum: bona quæque nobis
Posce precando.
Major Aurora: croceo præisti
Axe tu nullâ vice sub peractam
Temporis Lucem: bona quæque nobis
Posce precando.
Elegans Phœbe; rear Increatum
Te quidem Solem, nisi mutuata
Luce penderes: bona quæque nobis
Posce precando.
Gratior Phœbo: geniale, gaudet
Terra, conceptos aperisse fœtus
Lumen in Numen: bona quæque nobis
Posce precando.
Compta stellati species Olympi,
Non pyropeas adamante Moles,
Sed Deo ostentans: bona quæque nobis
Posce precando.
Suavior Mundi serie; per axem
Gratiæ, Auctorem magis in supernum
Blanda coueentu: bona quæque nobis
Posce precando.
Fulgor, æterna micat unde sede
Sanctius numquam Speculum Beantem
Proferens Vultum: bona quæque nobis
Posce precando.
Lux Beatorum; rutilante, summi,
Qua, poli effulget penetrale Divis;
Dioptra Cœlestis bona quæque nobis
Posce precando.
Plura num volvam? Modulans quis umquam,
Vel per immensum sacer Ales ævum,
Par tuæ laudi! bona quæqus nobis
Posce precando.
Laude quam nescis, miser; hanc require
Semper admotâ prece; fundet Hostem

Luce ſupremâ: bona quæque nobis
Poſce precando.
Virginum Virgo; radius ſalutis.
Martyrum Martyr; Zephyrus dolentum,
Sancta, Sanctorum patriâ recenſe
Sede fideles.

Ad Beatos Cœleſtis Aulæ Principes.

Cœlorum proceres undique Spiritus
Afflantes placido Sidera lumine,
Vos quam luctificis caſibus excitum
Orbem luce tuemini!
Paſſim ſacrilegis Regna fidelium
Luſtrantes odiis, bella reponite,
Queis Pæana ferox læta per infera
Victrix Impietas canit.
Conditos fatuo quos ſale Principes
Hinc illinc patrio margine cernitis
Europam furiis volvere flebilem,
Menti reddite ſoſpites.
Tandem percipiant; non niſi mutuis
Cognata excidiis arma laceſſere;
Et demum faciles Chriſtiadum plagas
Prædam tradere Barbaris.
Qui circum pharetra plurimus inſonat
Thrax late pelagum navibus occupans,
Alternis minime creditur ocyus
Manans cædibus affore.
Hinc, vel Biſtonia claſſe ſubegerit
Quidquid Memnonia lampade viſitur;
Nec Cyprum Rhodope, ſceptra cadentia,
Nec Cyprus Rhodon admonet.
Ægram quæque Rhodon Gnoſia viderit
Tellus auxiliis omnibus avia,
Supremis eadem luctibus indolens
Nulli advertitur agmini.
Jam jam Trinacrium, jam premet Italum

Victor Barbarica compede, ſingulos
Nexurus Dominos, quos ſua miſerit
Quaſſos viribus Eumenis.
Novit Sequanicus; novit Ibericus
Hanc, quæ Teutonicis, notaque Sarmatis
Progreſſura magis; tanta nec ingruit
Cuiquam cura periculi.
Socordes hominum! Maxima quantulis
Rerum congeries mentibus incubat!
Hic nec ſtultitiæ, qui ſtatus obtinet
Reges, conſtitit impius.
Ultra progreditur. Proh pudor! eloquar,
An verò ſileam? Qui ſcelus abdidit,
Hoc ſe complicuit. Quid? Nimis, heu nimis
Ex ſe conſtat iniquitas.
Cœleſtes animi; vos quibus obvia
Effulsere ſolo murice pectora.
Lymphatis Erebo dicite poſteris;
Ferrum quis pius exerat.
Non qui cum Batavis convenit hoſtibus,
Ut fratrem ſpoliis eximat inclitis:
Non qui Threicium miſſile conſulit
Terrens Adriacos ſinus.
Non qui Parthenopen claſſibus obſidet:
Non Suevis feriens fœdera perfidis,
Dum plane Auſtriaci livet in Alitis
Stricta cuſpide gloriam.
Verum quæ Tethydos carbaſus ultimæ
Scrutata eſt latebras, non magis enitens
Armis Heſperiæ, quàm ſacra dogmate,
Semper luce micantior.
Nec non Galligeni quæ Ducis agmina
Exemere jugo colla Sionidum.
Quæ nunc Caucaſeis obſita Barbaris,
Virtus ſuſtinet impetus.
Et quæcunque pio milite Creticis
Prora in ſubſidium finibus appulit.
Nil hac Criſticolis laude decentius:

Nil

Nil hoc nomine dignius.
Huc Sanctæ Fidei debitus urgeat
Acclamatus honos undique Principes.
Fas, Jus, Sacra, Deum dextra recenſeat
Chriſti legibus obſequens.
Vota hæc aſtra ſuper ducite Cœlites,
Qua vos perpetua pace beamini;
Fidiſque unanimes prœlia Regibus
Thraci infeſta precemini.

Cithara ſupplicantis Eccleſiæ.

Reſpice exhauſtos opibus fideles,
Magne totius Moderator orbis,
Tuque labentis generis Redemptor
Reſpice Nate,
Reſpice infirmos hominum labores
Aura Solatrix ab Utroque manans:
Deferens Trini ſpeciem Tonantis
Reſpice Numen.
Diva, tu longo populata luctu
Secla, pacato rediviva Cœlo;
Cœlitem nobis bona quæque Patrem
Poſce precando.
Tuque Avernalis Domitor catervæ;
Huc ades celſi Paranymphe Sponſi;
Quique ſolatus redeunte, captam
Luce Senectam.
Voſque Sanctorum Proceres Volantum;
Sive inexhauſtum Jubar accolentes;
Sive mandantis celeres Olympi
Juſſa ferentes.
Tuque Cœleſtis cui fonte Pindi
Ora non tantum maduere Phœbo;
Ceterum ſacræ datur efferendus
Indice dextræ.
Voſque, ſublimem ſubitura Prolem
Viſcera, intacto niveo pudore,

Queis datum priſcis aperire ſeclis
Augure verbo.
Tuque per ſyrtes prior æſtuoſas
Hoſpitis Vitæ, ratus evehendæ,
Cœlico fretus Zephyro, fidelis
Carbaſa Puppis.
Tuque, luctantes ope cujus Alnos
In ſtygis quondam boreale fulgur
Petrus inſtruxit potiore ſacri
Remige dicti.
Voſque biſſenum reliqui Senatum
Qui coronaſtis, ſimul, & perennis
Qui ſalutari monumenta vitæ
Ore petiſtis.
Voſque, prædictæ ſeriem ſalutis
Qui recenſenti calamo legentes,
Inde firmaſtis calamo peractas
Sanguine leges.
Voſque odorati Superum per aulas
Martyrum flores, violentus ira
Turbo quos vitæ e teneris peremptos
Sepibus hauſit.
Tuque, divinis tenebras Ravennæ
Qui flagellaſti radiis Apollo;
Quique Vitali didicit ſub Urna
Perdere Vitam.
Tuque, cui Divûm micuere portus
Saxeas inter medio procellas;
Quique cognato violatus igne
Laurus inarſit.
Tuque, ferali ſtrue qui revinctus
Alligas Vincens rabiem Tyranni
Quique Cœlorum ſibi comparavit
Clauſtra Securi.
Tuque, cui ſacrum gladio revulſum
(Proh ſcelus!) ſummis Caput eſt tiaris;
Quique telorum maduit cruento
Obrutus imbre.

Vo-

Vosque pendenti satius bipenni
Colla ducentes, mage quam profanis
Impios unquam venerata cultus
Flectere Divis.
Vosque non passi, Phlegethonta vulgus
Ferre languentum; duplici medentes
Arte, donastis meliora nendo
Stamina Parcis.
Vosque præclari pietate fratres,
Ast quoque injuncta nece clariores;
Queis per Insubrum tumulos repertis
Astra parentant.
Vosque, vos inquam, Superum phalanges,
Queis triumphales rubuere Lauri,
Dum Tyrannorum rabies, redempto
Orbe, furebat.
Tuque, quo Christi madefacta thermis
Roma, damnato Puerûm lavacro;
Quique supremæ fugiendo, nactus
Sedis honores.
Tuque, cui fallax Arii Lyceum
Fuste confusos aperit Sophistas,
Quique potasti Ambrosio salutis
Nectar ab ore.
Tuque, cui admotâ pietate, crebris
Ictibus saxi gemuere cautes,
Quique Mars solâ legione cœpit
Pauperis Æthram.
Tuque, cui terno reparatus Auro
Innocens grates Hymenæus egit;
Quique flammanti sibi pollicetur
Torre pudorem.
Tuque sylvarum, nemorumque cultor
Monstra contemnens furiata Ditis;
Quique succensas vepribus fefellit
Pectore flammas
Tuque cui frustra ratus Asmodeos
Dona scrutari speciosa formæ;

Quique bis ſeptem Lacrimis in eſcam
Luſtra peregit.
Tuque per clauſas Uteri latebras
Viſus horrentem Radiare terram;
Quique miratur Calamos amantis
Munus Amoris.
Supplicis vocem populi legentes
Præſulum cœtus miſeris adeſte;
Quæque Confeſſo veneranda Chriſto
Concio gaudet.
Voſque Doctrinis crocei nitores,
Hæreſum noctes quibus amoventur.
Quique Spelæis obiere luſi
Funera Mundi.
Tuque, cui ſordes animæ lavantur
Verſæ in undoſum Mare lacrimarum,
Quæque Mars Trini ſuperavit Hoſtis
Agmen inermis.
Tuque centenis agitata Bobus,
Quos fugit, Lucem ſtabulis, eandem;
Quæque mactato repetit ſupernum
Ubere Sponſum.
Tuque virtutum ſpecimen, Sophorum
Principem ſancte redocens palæſtram;
Quæque contritis ſequitur beata
Fercula Malis.
Tuque cui ſummus dedit Agnus omni
Labe ſemotum, tuituſque nomen;
Quæque defoſſo Jugulo, Parentis
Condidit iras.
Voſque Sanctorum rutilæ cohortum,
Sive candoris face Virginalis,
Sive perpeſſi ſimul enitentes
Igne Furoris.
Voſque Cœlorum reliquæ, jugales
Queis thori famam ſonuere pinus;
Queiſque pœnarum ſociata tædis
Palma vireſcit.

Vosque, vos omnes precibus tonanti
Præsides iræ, tremit unde tellus;
Plura quæ circum mala quæque nobis
Pellite Divi.
Vosque, vos tandem placido comantes
Æthere affectu, beat unde Cœlum
Spiritus Cives; bona quæque nobis
Poscite Divæ.

SIMONIS ANGELI SUSPIRII
BRIXIENSIS.

Ad Bartholomeum Cottam Presbyterum.

QUod redolent messes Arabum, quod spirat Amomum,
Balsamaque, & rutilis lilia mixta rosis,
Hoc quam donasti vitrea Cotta optime in urna
Lympha mihi, Ambrosiæ, & Nectaris instar, olet.
Sed si majores tibi vis me reddere grates.
Non lympham, mittas Massica vina precor.
Grati apibus flores varii, gratusque Poëtis
Bacchus io genitor candide Liber ades.
Dicere io Pæan, & io, & bis dicere Pæan
Audiar Eois, occiduisque plagis.
O si forte mero Permessi flumina manent,
Quam carus Phœbus, talia cara forent!
Me sæpe ad nitidos fontes invitat Apollo,
Musaque Castalias sedula monstrat aquas;
Res mihi grata quidem ad latices, fluviosque vocari,
Sed mage grata, merum si mihi uterque ferat.

Dum gemit Arcadicam miseratus Juppiter Ursam,
Sæva quod in matrem tenderet arma puer,
Sensit, & indignans essata est maxima Juno,
Quid fles? en tecum est Phryx puer incolumis

HIERONYMI TANINI
FLORENTINI.

De Joanne Medic. Cardinale.

CRudeles divos, crudelia ſidera ſat vos
  Dixiſſe, & mœſtas dilaceraſſe genas;
Effudiſſe etiam lacrimarum flumina, & altis
  Impleviſſe auras flebilibuſque modis,
Flere decet; non flere, pudor, mos eſtque ferarum
  Flere decet; ſed non quam licet, ulterius.
Heros Mediceus meliore hoc lumine dignus,
  Pro bonitate ſua, pro ſine labe animo.
Ante diem cœli ſtellantia regna petivit,
  Nunc ſanctus ſanctos incolit ipſe locos:
Noſtras lætus ibi curas deridet inanes.
  Perpetuo Divum perfruiturque bonis.
Spargite nunc violis tumulum, hoc incidite carmen,
  Poſt cineri æternum dicite jamque vale.
Hic heu Joannes Medices: dolor omnibus ingens:
  Cui clarum ornavit purpura ſacra caput,
Corporis, & mentis forma pulcherrimus, annos
  Ante & bisdenos juſſus obire, jacet.

IN LAUDEM JOANNÆ ARAGONIÆ.

Hoſpes, & Templi Sacerdos.

H. Quis poſuit Templum celebrari carmine dignum
  Mæonio, quod nulla poteſt abolere vetuſtas?
  Nil equidem majus video, nil clarius; orbis
  Miretur quamvis Epheſi miracula, & altum
  Invictumque Rhodos quo gaudet clara Coloſſum:

S. Ne

S. Ne mirere Hoſpes, celebrat quos Græcia, vates,
Quos colit & Latium, quos Tuſcia tollit ad Aſtra;
Delubrum poſuere, quibus formoſus Apollo
Aonidumque dedit chorus hanc attollere molem.
H. Felix digna domus ſuperum; felicia ſecla,
Delius ipſe quibus tales dat habere Poëtas:
Felices veſtro laudari carmine vates,
Et digni ſacrâ redimiri ab Apolline lauro.
Sed quæ tela gerens manibus Dea caſte ſacerdos.
Veſtibulum ante ipſum quæ luce refulget ahena?
S. Formoſa inventrix oleæ fortiſſima virgo.
H. Cur vigiles agit excubias ad limina? tanti,
Quæ nam cauſa premit vigilantem ac ponderis urget?
S. Ingreditur nemo, ſacra niſi dignus oliva,
Frondibus aut Phœbi, arcentur procul atque prophani.
H. Quo ſtrepit applauſu? totum quo carmine templum,
Intus quiſve ſonat lenis concentibus aura?
S. Muſæ agitant choreas, & Phœbo carmina dicunt,
In medio citharamque movens pater aſtat Apollo.
Nam Grajæ, & Latiæ, Tuſcæ ſimul atque ſorores,
Delius & vates Helicona, & laurea Tempe
Parnaſſi liquere jugi, liquere Aganippen;
Tantus amor Templi, tanta eſt hic cura manendi,
Hic Helicon locus alter erit, Parnaſſus & alter;
Hic hederæ, hic lauri ſurgent, naſcetur & alter
Fons Aganippeus currens melioribus undis.
H. Fortunati igitur, quorum perculsus amore
Phœbus erit; pulchrum vobis componere carmen,
Et ſummum Templi dabitur conſcendere limen;
Sed cui tantus honor? tantarum & gloria laudum?
Famaque tot rerum delubrum cuique dicatum eſt?
S. Mortali divæ (ſtirps Aragona) Joannæ,
Cui Charites inſigne decor, Venereſque dederunt;
Cujus agit mores probitaſque, pudorque miniſtrat;
Erudiit quam Pallas, amat quam pulcher Apollo;
Vatum cura ingens, animi pars maxima vatum.
H. Stat manifeſta fides, celebris ſtat gloria dictis,
Factaque tantarum & monumenta inſignia rerum;
At

At quid ego aspicio? quid nunc mea lumina cernunt?
Quæ manus adventat juvenumque senumque sacerdos
Templum, cui viridis circundat tempora laurus?
S. Sacra cohors vatum, cultæ, quæ Templa Joannæ
Erexit; venit ecce caput redimita corollis
Ut meritas illi laudes, & carmina dicat.
H. O decus Hesperidum genus egregiumque tuorum,
Æqua & progenies superis, præclara Joanna,
En tua fatidicæ nunc ad delubra cohortes
Dona ferunt meliora auro, melioraque gemmis;
En tibi non quæ mittit Arabs, non quæ aurifer Hermus,
Non pateras auro fulvas, nec jaspide tectas,
Sed tibi mille ferunt meditata volumina, laudes
Servatura tuas, cursus dum sidera cœlo
Servabunt, plaustrumque polo versabit & Arctos,
O si lauricomum potuissem scandere montem,
Ardentemque sitim sacra depellere lympha,
Non ego phœbæos cursus, lunæque labores,
Magnanimum facta herorum non inclita, sed te,
Te canerem, mea Musa tuum super Æthera nomen
Tolleret, & laudes in longum extenderet annum.
S. Jamque vale, hinc etenim hospes non ignarus abibis.
Perge igitur, faveantque tuis pia Numina votis.
H. Tuque vale, & viridis maneat tibi longa senectus.

NICO.

NICOLAI TASSI

FLORENTINI.

In Pindarum ab Alexandro Ademario Etrusci Carminis versione donatum.

SOllers diversas liber hic abiturus in oras
Cujus nam auctoris nomina fronte geret?
Pindarus est, inquis; decet hunc præferre volentem
Et genus, & titulum, nomen, & omne decus.
At genus, & titulum, magnum & memorabile nomen
Doctus Ademarius tempus in omne dedit.
Nobilis ille, igitur vocitetur Pindarus, abdit
Nomen, Ademarius, cui decus, & titulum.

JACOBI TAURELLI

FANENSIS.

De tabulis Iguvii, sive Eugubii in Theatro repertis.

HÆc quicumq; venis veterum ad monumenta virorum
Quæ septem in tabulis ære notata vides.
Suspensum ignotus nequem fortasse character
Neve peregrinus sermo diu teneat,
Etruscas dic esse notas, & Lydia verba
Ante quibus usa est Tuscia Romulidas.

Scilicet antiquis cum fortis Etruria seclis
Crevisset, tenuit jura utriusque maris.
Fluctibus Adriacis, huic Tusca colonia nomen,
Ipsaque Tyrrhenis fluctibus ora dedit
Et tenuit pulchra quantum supra æquor, & infra
Atque etiam a Gallis usque fretum Ausonium
Unde a Tyrrhenis turres, dictique Tyranni
Illa domos celsas vox notat, hæc dominos.
Ergo tam longe populo, lateque potenti
Cum sua lingua fuit, tumque elementa sua.
Paulatim linguam sed perdidit alta vetustas,
Romanumque magis perdidit imperium.
Namque ubi Roma potens, rerum & pulcherrima facta est,
Septem arces muro cinxit & una sibi,
Finibus extensis Romanas discere voces
Imperat, & Dominos verba Latina sequi.
Sic patrios gens Lyda sonos in secula mille
Desueta ignorat nunc magis atque magis.
Sunt elementa super nostris quæ versibus infra
Scripta, Abrahamæo more legenda damus.
More Abrahame tuo, primus tu namque figuras
Scribendi in medium ponis ab orbe Syro.
Assyria, & Solymus, Janus, Noa vitifer hic est
Transtulit ad fontes, o Tyberine tuos.
Forma characterum, numerusque parumper ab illis
Mutati, est idem cursus, & ordo tamen.
Sic etiam Latio Græcos Evandria mater
Deducens, eadem cernitur, atque alia.
Ordine quæque fuit prope par, ductuque notarum
Græcis nec specie, nec numero est similis.
Sed lege jam, Eugubioque vale bona multa precatus,
Virtutum, atque virûm quod decora alta colit.

De cæde Rhadagasi.

Barbarus infesto Rhadagasus Medicis ictu
Dum ruit, & jam spes concidit omnis, ait.
Florentem at minor hanc, atque urbem excindere Romã
Gloria erat; dextra quam cecidisse tua.

BARTHOLOMÆI THEANI

BRIXIENSIS.

Ad Dominicum Bollanum Brixiæ Prætorem.

VEnisti tandem miseris optata voluptas
Solamen portans, & sancta oracula Phœbi
Ore tuo Bolane, sedens justissime Rector,
Ætherea delapse plaga, & cœlestibus oris.
Cujus in adventu furor omnis & arma quierunt
Sæva nimis, sævæque manus, & funera sæva,
Jamque diu bacchata odiis totamque per urbem
Jam rabies, dirumque nefas, furiosa pererrans
Pectora, mortales miseros horrendaque cædes
Aggrediens, multis latuit confixa tenebris.
Occultique ignes, & saxea flamma refugit
Te viso, hac postquam majestas tanta refulsit.
Non aliter, quam si manes penetrasset ad imos
Ipse auctor vitæ, loca sæva trementia latè
Evacuare malis, superas cum traxit ad oras
Insontes animas, cœli in regione serena
Constituitque pios, & tartara terruit atra.
Jam rediit Pax illa procul dimissa, nec unquam
Sedibus his nostris sine te reditura; revixit
Relligio, pulsumque decus, Concordia dulcis.
Securus pauper gestit, plebs ipsa triumphat,
Nobilitas tanto gaudet Prætore, tuisque
Auspiciis innixa viget, fruiturque salubri
Consilio, virgaque pari, moderanteque dextra.
Alta quies passim surgit passimque revisit

Sol-

Sollicitos animos, & pectora mœsta relaxat.
Qualis in Oceano fluctus si forte furentes
Neptunus sensit, rapidisque repressit equorum
Cursibus, & subito pontum substravit, & undas:
Portubus edicens quassatas condere classes,
Littora néve suis contingere motibus ulla,
Candida dum flavos Galatea retexere crines
Audeat, ardentisque preces auscultet amantis.
Hinc tibi devota ac felix ter Brixia plaudit,
Et postes castos, sacrataque limina adire
Ardet amans, ardetque pios astare penates
Templa, arasque tuas, & numina certa tueri,
Ante tuos tripodas supplex responsa referre.
Quo tibi, si cœlo veniunt tam candida sceptra,
Et rursum cœlo redeunt, numerumque coronant
Divorum, cœlumque tenent, cœlestia namque
Atria debentur, debentur siedera clara;
Æquato qua libra suis examine pensat.
Attamen interea meritos celebrabit honores
Vere novo, passim cum prata virentia rident,
Bacchus & apricis in collibus ipse colorem
Auget inexpletum, faciem sufflatus, & ora,
Brixia cum patribus magnis, humilique caterva.
Intonsosque dabit pueros altaria circum,
Qui laudes Bolane tuas, qui carmina cantent.

Ad Hieronymum Maurocœnum Brixiæ Præfectum.

Nil unquam potuit cedere gratius,
Nil unquam potuit reddere charius,
Cœlum qui refovet, sidera temperat:
Maurocœne mihi dulcior omnibus
Qui sunt, mihi qui fuerint, melle suavior:
Quam te in hoc solio cernere splendidum,
Stola purpurea, lucido in auro.
Non est agricolis aptius imbribus;
Passim cum segetes æstibus areant.
Non portu miseris qui freta permeant,

Na-

Navi cum validus fluctus inhorruit;
Te præfers alium nomine amantius,
Summis quem colui relligionibus.
Cunctis præfuit is dignus honoribus:
Clemens, & facilis, justus & integer;
Quem fama æquiparas, laudibus approbas.
At si nunc pietas te premit, aut amor,
Ne spernas hilaris, qui tua numina
Exoptat penitus devenerarier.

Ad Jacobum Aquaneum.

Qui te diligit, atque amat libenter,
Præsentemque colit: cupitque longè,
Jocundissime mi, Jacobe; magnum
Musæ quid faciant tuæ, parentve,
Nunc Thianius ille scire gestit,
An nunc otia forsitan requirant:
Queis jam miseris ultimum libellum,
Tuis finibus atque propulisti.
An tibi potius jugis pererrent:
Quibus perpetuis viget melodis,
Virtus inclita: quam supremus ardor,
Humano generi parare certat.
Non parvus labor, at Cerefque parca.
Ne potus nimius, Venusque dira,
Quæ quisquis fugiat, levis, miserque
Orbi tam vacuo futurus adsit:
Inops nomine dignus invenusto.
At nos viribus omnibus sequamur:
Argutum resonet, diuque vivat
Nostro pectore nomen oh beatum,
Cœlo jam inseruit suos amicos.
Illustrat radiis genus vetustum:
Et novo penitus nitore vestit.
Quem non lampade clariore Phœbus
Unquam protulit, igneove curru,
Quamvis jam domuit ligone terras

Et ſtivam tenuit, deditque ſulcos,
Eja nunc hilaris dolore nullo,
Vivas incolumis mei Patronus.

Ad Joannem Antonium Taygetum.

Errare multos cenſeo, ſi me feras,
Comes vigiliarum ſtudioſe Taygete
Qui ſæpe nullos tempore hoc noſtro ferunt
Flaccos, Marones, aut Poëtas non bonos,
Qui res altiloquo regum jam carmine cantent:
Laudibus, & meritis celebrent: Cœloque reponant.
Abeſt poëtas qui colat: foveat, ſimulque
Alat: nec unquam magis Apollo ſic ſuis
Favit nec unquam Muſæ, adeſt adhuc liquor
Refuſus altis fontibus nymphis ſacer;
Qui liquidas effundit aquas: quibus acta virorum
Fortia mellifluo reſonantia temperet ore.
Florent honeſtæ quæ vigent artes; valentque:
Ingenia ſurgere clara nunc paſſim vides.
Nil deſit illis nempe, nil niſi favor.
Vates erunt, ſi modo manus bona adſiet.
Jam ſacrum reſonare dabunt Helicona: ſuaſque
Najades in ſylvis doctas agitare choreas.
Vatum ſed heu mentes nimis miſeræ jacent:
Nil clamor altus, nil prodeſt calamus vigil;
Nil ars, furor nil, nec novus labor juvat.
Me miſerum cui fata loquor? cui triſtia vatum
Effero? cui notas fecit jam fama querelas.
Acrius & doctis inſpexit lumine chartis.

HIE-

HIERONYMI THIENNÆI

VICENTINI.

De Joanna Aragonia.

ANte aras veneranda tuas, & limina templi,
Quod modo ſacravit martia Roma tibi,
Diva decus Latii, & matrum pulcherrima, Diva.
Fama incorruptæ nota pudicitiæ.
Conſtituent alii regum ſimulachra tuorum,
Et procerum vultus marmore nobilium
Expreſſos, contexta alii laquearia puro
Ex ebore, ac cedro, molliaque æra dabunt,
Excelsos quæ contineant, clarosque triumphos,
Et pulsos Gallos finibus Auſoniæ;
Sceptra alii, ac ſolido ex auro diademata, quondam
Quæ geſſere viri ſtirpis Aragoniæ;
Effingent alii geminos, duo fulmina belli,
Quos olim junxit firma Columna tibi,
Fabricium, fratremque, illuſtria corpora quorum
Conſilio ac armis regna ſubacta tenet
Invictus Cæſar, dumque obſidione fatigant
Oppida, dumque hoſtes Marte favente premunt.
Præſtanti Aſcanium virtute, & fortibus auſis
Excudent alii, quem tibi fata virum
Incolumem ſi forte velint, felicior uxor
Te nulla, aut cupido quæ mage cara viro.
Afferet extremis etiam peregrinus ab oris
Quæ ſpargat templo cinnama, thura, crocum;

Quin & Erythræo lectas in littore conchas,
Indorum varias & cumulabit opes;
Sardonychas, fulvosque simul, viridesque lapillos,
Quodque habet eximium latior Oceanus.
Scilicet egregiæ famæ compulsus amore
Conferet in templum munera quisque tuum;
Et multos addet titulos & carmina dicet,
Queis tua permaneant nomina magna diu.
Hac ego jamdudum pariter succensus, & ardens
Accedo ad templum diva Joanna tuum;
Et dare cum nequeam fulvi tibi dona metalli,
Ingentes vel quas India mittit opes.
Candida mixta rosis ponam tibi lilia, ponam
Narcissum, & violas florida serta tibi.
Hæc tu præcingas ut tempora sacra quotannis,
Accipies horti munera parva mei,
Felix sorte tua, felix virtute parentum,
Felix conjugio terque, quaterque tuo,
Olim, dum Phœbus faveat, tibi carmina & ipse
Instituam, & laudes persequar usque tuas.

De eadem.

Principio ut dicam patriæ primordia, & alta
Stemmata, Aragoniæ progeniemque domus,
Cuinam mortales inter præstantior ulla
Contigit, aut urbe hac terra beata magis?
Littore in Euboico quam formosissima Siren
Condidit, aut certe nomina tanta dedit,
Parthenope clara ingeniis, & robore clara
Militiæ, & culti fertilitate soli,
Alta ubi consurgunt, & cœlo proxima tecta,
Structaque de pario marmore templa Deûm;
Illic Hesperidum sylvas, & poma videre est,
Qualia narrantur divitis Alcinoi;
Imminet & ponto moles operosa, fabreque
Addita, quadrijuges qua spatientur equi;

Unde licet placido volitantes æquore puppes
  Cernere, & in tutum, cum furit unda, trahi.
Circunſtant colles olea, Bacchoque nitentes,
  Et lætas ſegetes ſuggerit alma Ceres.
Hanc patriam Aſcanii conjux, ſortitaque ſedem eſt,
  Quam Venus antiquo præferat Idalio.
Hic amat uſque coli, nec victima gratior ulla
  Eſt ſibi, quam munus vatis Apollinei.
Nam Phœbum, & doctas tam diligit illa ſorores,
  Quam nutrita ſacris collibus Aonidum.
Accedit proles regum generoſa potentum,
  Quorum de priſco ſanguine nata Dea eſt.
Otia qui populis & ſervavere quietem;
  Dum ſtare imperium fata Deuſque dabant;
Cum toties hoſtem per Daunia regna ſecuti
  Et decori, & rebus conſuluere ſuis.
Quid referam Heroas claros de gente Columna
  Conjunctos arcto fœdere connubii?
Quorum tot magno confecta duella labore,
  Tot victæ gentes, oppida capta manu;
Quot prope ſublimi cernuntur ſidera cœlo;
  Quot mare per vaſtum monſtra natare ſolent.
E quibus Aſcanium tacitum ſi forte relinquam,
  Officio videar poſſe carere meo.
Nam varios hujus caſus, varioſque labores
  Dum repeto, atque actæ tempora militiæ,
Non alium ærumnas paſſum pro Cæſare tantas,
  Præmia non alium tanta tuliſſe puto.
Qui poſtquam e Latio atque Inſubribus expulit hoſtes
  Haud dubiis ſeſe caſibus obiiciens,
Pinguia tot magno meruiſſe a Cæſare dictus
  Quot validi invertant jugera mille boves;
Samnitum & populis leges imponere, & arces
  Munire auxiliis præſidioque ſuo.
Hinc ſibi divitias, & Magni nomen adeptus
  Unius ad nutum Cæſaris arma movet;
Sed quamvis cumulo rerum prædives, & auri;
  Virtutum cumulo eſt ditior ille tamen.

Artibus atque aſtu qui magnum exæquet Ulyſſem,
  Exæquet Pylium Neſtora conſilio;
Tam docte, tam prudenter de qualibet hic re
  Diſſerit, ut credas doctius eſſe nihil.
Hunc quia præ cunctis clarum voluere, beatum
  Nunc etiam tali conjuge fata volunt;
Cujus ſi formam quæras, ſi denique mores;
  Moribus, & forma noveris eſſe Deam.
Tam pulchra egreditur thalamo, quam Lucifer, aut cum
  Delia curvato plenior orbe nitet.
Ore pudor, labris inſunt redolentia mella,
  Cum loquitur, dulci nectare verba fluunt.
Muſarum cultrix, cultrix operoſa Minervæ eſt;
  Tam belle exercet munus utrumque Dea;
Carmine ſi ludat, ludentem carmine Sappho,
  Si cithara, Clio plectra movere putes.
Pingat acu chlamydem, croceos aut pingat amictus,
  Palladia hæc dices picta fuiſſe manu.
Formet acu inſtructas acies diſcurrere campis;
  Jurabis campis bella cruenta geri.
Denique res nulla eſt tam dura, atque ardua, quam non
  Anxia cura hujus, perficiatque manus.
Quod ſi perpendas quantum hæc ſupereminet omnes
  Dotibus inſtructas corporis, atque animi,
Nulli digna magis mulier ſociata marito eſt;
  Apta magis nullus fœdera lectus habet:
Tyndaris ob formæ laudatur dona beatæ;
  Illa tamen Paridis turpis adulterio eſt.
Caſta fuit conjux nimium ceſſantis Ulyſſi:
  Illius at facies viſa decora minus.
Caſta fuit, formoſa etiam Lucretia, at illa
  Romani imperii prima ruina fuit.
Pulchra hæc, & nullo quam facto infamia turpet,
  Nec patriæ exitium, perniciemve tulit;
Quin potius decus eximium ſtetit illa, ſuoque
  Præſidium generi, præſidium & patriæ.
Quare ni mea me fallit ſententia, poſſe
  De tali hæc videor dicere conjugio,

Hunc

Hunc fore qui ſenior cara cum conjuge vivat;
  Illam, quæ ſoli ſerviat uſque viro.

De eadem.

Mortales viſus, divinos intellectus
  Regia Joanna, nunc Aragona domus
Occupat Hiſperiis pretioſum munus ab undis,
  Quod tulit auratis dives Iberus aquis.
Heſperides Nymphæ liquido de fonte perennes
  Currite divitibus flumina ſemper aquis.
Sanguine regales certent laudare poëtæ,
  Et forma pulchras exuperante nurus.
Dum tamen hanc norint cunctas ſuperare puellas,
  Quas facit aut ſanguis, forma, vel orbe Deas.
Quam ſibi formandam Venus omni ſumpſerit arte,
  Qua ſibi formata ſumpſerit omne decus,
Pulchrius hanc quoniam multo ſe fecerit ipſa,
  Quæque dedit veneres invidet ipſa Venus.
Phyllira turpis huic, Saturno Regeque turpes.
  Quas ſua cumque Deas caſtra coëgit amor.
Ruſtica quid ſcirent Saturne, olim tua regna?
  Illa tibi ſi pars, pulchra puella fuit.
Ecce novæ veniunt formæ, nova forma novatis
  Ingeniis, miro diſcutiturque modo.
Quæ quondam pulchræ tulerint ſua præmia formæ,
  Contentæque ſuo tempore, nunc ſileant.
Illa quidem demum noſtris collata puellis
  Si qua mihi pulchra eſt, pulchra puella ſat eſt.
Junoni formandæ Zeuxi, hæc ſi una fuiſſet,
  Centum Virginibus non eguiſſet opus.
Hanc ſi vidiſſet, hanc ſuſpiraſſet Apollo,
  Nec fleret Daphnen Peneis unda novam,
Nubigenum quæ pugna fuit, jacuiſſet & ipſa,
  Perſeus armatæ quam tulit arte manus.
Non Europa novi preſſiſſet terga juvenci,
  Majeſtas Semelen, nec Jovis arma ſui.
Ferret Amymones latices nunc urna quietos,
  Ipſa nec effuſa comprimeretur aqua.

Forma nec Antiopæ Dirces Nychtheidos agris
  Cogeret in ſatyrum fulminis ire Deum.
Falsus Enipeus cepiſſet Salmonida numquam.
  Nec Tyro fictis preſſa fuiſſet aquis.
Nec facie pulchra Phœbum Leucippi moveres,
  Conjuge pro ferres, Ida, nec arma tua,
Ida inter juvenes juvenum pulcherrimus, orbis
  Quos habet, ac habuit, quos habiturus erit.
Si mihi nunc referas Helenam, Ledam. Hermionamque,
  Nunc mihi cum nata eſt turpis utraque parens.
Turpis es o Ilaira, o turpis es Orithyia.
  Nunc mihi & Eveni filia turpis erit.
Herois & temporibus quæcunque fuiſtis,
  Deſinite Inachides nomen habere meis.
Quantum luminibus Phœbea lampade præſtat
  Titan, & Phœbe ſigna minora premit,
Priſcus honos tantum noſtrarum cedat honori,
  Sic & Joannæ ſecula noſtra Deæ.
Græcia ſpectatis celebrandis plurima formis,
  Huc ferat in noſtram lumina fixa Deam.
Et laudet dignam regali ſtirpe creatam:
  Sanguine nec faciem degenerata ſuo.
Atque artus, longaſque manus candore nivali,
  Candida purpureis omnia mixta roſis.
Atque oculos Veneris tunc, cum manet ante parentes,
  Et Bacchi digitos, Tethyos atque pedes.
Et quales Sais lavit Bœbeidos undis
  Aſcenſura ſui pura cubile viri.
Lactea duplicibus fluitantia pectora mammis.
  Et cervice ſua brachia digna notet,
Omnia præſtanti præſtantia corpore laudet
  Extera; ſiqua latent, hæc meliora putet:
Ingenuas artes, mentem, moreſque pudicos
  Moribus aſſimiles Penelopea tuis.
Palladis ingenio ut doctas decurrat in artes,
  Pulset Apollinea plectra ſonora lyra;
Ut nunc hiſtoriis ornans ſua tempora priſcis,
  Quæ fugienda viris, quæque ſequenda docet.

Ut

Ut nunc obloquitur septem discrimina vocum,
Pectine nunc, digitis nunc tenuatur opus.
Gracchaque cum loquitur cedat Cornelia, tanto
Visa sit ornatu, tamque modesta loqui.
Quamque aditus præstet faciles adeuntibus almâ
Dexteritate nitens, fabilitate pari.
At multo in rebus solertia major agendis,
Provida præsenti postera mente videt,
Lvia non nostrum prudentior esset in ævum,
Nec quæ Romanos Mammea rexit avos,
Vel mentita virum superavit facta virorum,
Quæ nomen lingua dicta columba Syra.
O qui te talem tanti genuere ut? ut alta
Virtus, forma in te, nobilitasque par est?
Conjugio tali felix domus alta Columnæ
Conjugis Ascanii fulget in Hesperiis,
Proh Taracon felix tellus ab origine felix
Quæ genuit, quæ te Parthenopea videt.
Vivite felices rarum par, vivite semper,
Vivite in alterius alter amore pares.

FRANCISCI THOMASII

De laudibus Jacobi Aretini præceptoris sui.

MUsæ Pierides Jacobi dicite laudes
  Quas celebrem magnas versibus hisce meis.
Est novus hic Cicero: est doctus Cyllenius alter,
  Cujus ab ore viri dulcia mella fluunt.
Virgilii celebris, Lyrici, Nasonis & almi
  Non his inferior nunc gerit iste vicem.
Ore Pericleo sapiens Jacobus ad aures
  Intonat, & volitat docta per ora virûm.
Consimilesque sui doctos geniturus alumnos,
  Hic est, quo nusquam doctior alter erit.
Plaudite nunc omnes ergo, & Dîs solvite grates,
  Sortiti ad studia hunc vos quoque vera ducem.

De Singulari Euphrasia forma ad Phœbum.

Cum Cytherea tibi, Juno, & Tritonia nota,
  Phœbe, sit, & pulchri quidquid Olympus habet;
Num tribus Euphrasiæ Divis æquanda videtur
  Forma, opibus multis, ingenioque potens?

DO-

DONATI THOMITANI
PATAVINI.

De Hieronyma Columna.

Viator, & Parthenope.

Vi. CUi vis Parthenope, tam claram condere molem?
Cur poſita eſt laribus tanta Columna tuis?
Pa. Hæc ſola Auſoniæ quaſſos reparabit honores.
Illuſtri generis nobilitate ſui.
Vi. Quo fundata ſolo, firma & tellure manebit?
Pa. Relligione Deûm, moribus atque bonis.
Vi. Eſtne opus Jonium, laboratum aut arte Corinthi?
Pa. Hoc Latii populis inclita Roma dedit.
Vi. Nunquid Mygdonio, Pario vel marmore ſecta?
Pa. Hæc rarum caſtæ ſimplicitatis opus.
Vi. Divina quæ facta manu, ſimulacra tenebit?
Pa. Pallade cum docta, Cypridis ora Deæ.
Vi. Hinc tibi tot Muſis meriti ſolvuntur honores,
Sebethi ad vitreas pretereuntis aquas.
Et Grajo, & Tuſco, Romano & pectine Vates
Mille tuum poſthac nomen ad aſtra ferent.

BERNARDINI THOMITANI

PATAVINI.

In Laudem Hieronyma Columnam.

QUisque tuam laudat Vates Hieronyma formam,
 Et genus, proavos, pectus, & ingenium.
Te legit & celebrat Latii pulcherrima tellus
 Tybridis & magni diceris esse Decus.
Hinc merito centena moves ad carmina plectra,
 Quæ tua certatim nomina ad astra ferunt:
Incola quæ Geticæ miratur sola pruinæ,
 Quæque etiam relegit Sole perustus Arabs.
Et Rhodopejus amat tua nomina vallibus Hæmi,
 Et rigidi repetunt, fortia corda, Scythæ.
Tum fœcunda bibens septemplicis ostia Nili,
 Sarmata & instructos flectere doctus equos.
Quique colunt nigri felicia rura Sabæi.
 Massylumque nemus, Caucaseumque jugum.
Demetit & quisquis segetem beneolentis amomi
 Et qui Cyniphium non bene littus arat.
Et quos occiduo circumtonat æquore Nereus,
 Et quos Eoi diluit unda maris.
Hæc eadem mollis solitus laudare Sicamber,
 Hæc eadem Parthus concinit ore ferox.
Crinibus Æthiopes flexis, passisque Geloni
 Laudibus applaudunt pulchra Columna tuis.
Sæpius ipse Cilix, posito meditatur aratro,
 Laudibus applaudens casta Columna, tuis.

Te

Te ſtupet iratæ ſinuoſa Propontidos ora,
Et te cum Scylla, vaſta Charybdis, amat.
Noſceris & tumidis Hyrcanæ Doridos, undis
Teque colunt Lybicis ſtagna refuſa vadis.
Extrema hoc Thule, hoc picti novere Britanni.
Aurora, & Gades, cumque Aquilone, Notus.

Ad Theleſillam.

Proſilit algidulus muſcoſo e fornice rivus,
Electro cujus purior unda cadit.
Frigiduli reſonant latices, mollique ſuſurro
Invitat dulcis, languida membra, ſopor.
Et nemus egelidum ramis frondentibus umbras
Præbet, & arguto murmurat aura, ſono.
Frondibus in denſis motæ crepitantibus alis,
Ingeminant liquido gutture carmen aves.
Florida prata nitent, vario & depicta colore
Miſcent purpureis lilia cana, roſis.
Hic Theleſilla potes placidis te mergere in undis,
Urenti quoties ſidere fervet humus.
Hic gelidis ſitibunda potes lenire labella,
Et lymphis faciem tergere pulveream.
Ipſa feres avido delectos pollice flores,
Ad ſumum ſaturans vimineos calathos.
Et caltham, & violas, immortalemque amaranthum,
Sanguineo, & maratri gramina juncta, croco
Romanæ his texes dum ruſtica dona Columnæ,
Concelebrans tantæ numina magna Deæ:
Ipſe ego tum citharam percurrens pectine, eburnam,
Tractabo tremula, fila canora, manu.
Tum mihi Pegaſides, divino carmine, laudes
Dictabunt, tantæ præmia magna Deæ.
Illi ut naſcenti tribuerunt aurea Parcæ
Stamina, quæ Latio ſecula priſca ferant.
Utque opibus magnis, illuſtri & ſanguine creta,
Sit Romæ ſplendor, Parthenopeſque decus.

Pal-

Pallada ut ingenio ſuperet, formaque Dionem,
  Lumine ſitque hujus Cynthia clara minus.
Illius ut voces formet Tritonia virgo,
  Et repleas multo nectare, blandus Amor.
Sit decima hæc animi, Muſarum denique, cultu
  Reddita, quarta Charis, tertia caſta Venus.

In Templi Detractorem.

Invide quid mordes? in nos quid lumina torques?
  Et cupis in lepidos Cerberus eſſe jocos?
Tu procul hinc Stygiis potius pete Tartara regnis,
  Orci inimica lues, Manibus atra lues.
Illic tu caudam tetro ſub ventre reconde,
  Latratuque animas tergemino excrucies.
Non te Phœbus amat, non diæ lucis imago,
  Sed noctis tenebræ, Ditis & umbra necens.
Te nihil adverſus moliri triſte poëtas,
  Et vates ſacros Juppiter ipſe dedit.
Orpheus hinc teſtis, potuit qui pectine eburno
  Et petere infernos, & remeare lacus.

F I N I S.

INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur

IN TOMO NONO.

A

ABel pag. 426.
Abraham 339. *auctor scribendi reputatur* 526.
Academia Parisiensis 331. *Philoponorum Faventiæ* 440.
Achilles 312. 313. 331. 392.
Accoltus Benedictus Card. laudatus 15. 21.
Adam in Paradiso constitutus peccat 297. 300. *abscondit se a facie Domini* 438.
Adimarius Alexander Pindarum vertit 503. 525.
Ægyptus 406.
Æmilius Romanus ægrotat 83. *&c.*
Æneas 81 92. 147. 231. *discessurus patriam alloquitur* 258.
Æschylus poëta 444.
Æstas 146.
Ætas aurea 178. 179.
Ætna 183. 249. 251. 254.

Affectus animi varii 65. Vide Amor, & Dolor.
Alcibides citharœdus 46. 47.
Alcinous 8. 532.
Alexander Macedo 421. *Urbem condit Bucephali nomine* 449. *telo confixus, se mortalem agnoscit ibidem.*
Amaltheus Hieronymus 286.
Amandum mutuo 157. 191.
Amantium curæ, & sollicitudines 49. 50. 53. 89. 99. 110. 138. 156. 180. 189. 229. 247. 370. *ipsorum stultitia* 90. *cæcitas ibid.* 108. *incommoda* 190. 246. *inconstantia* 370. *desideria* 253. 273. 371.
Ambitio 186.
Americæ populi novissimè detecti 69.
ad *Amicam absentem amans contendit* 144. *absentem revocat* 273.
Amicus verus quis 86. 201. 336. 346. 382.
Amori an sit indulgendum discutitur 107. *&c.*
Amoris vis 3. 4. 46. 49. 50. 53. 79. 95. *&c.* 98. 103. 109. 110. 114. *ipsius origo, & fabulosa generatio* 47. 48. 96. *amoris natura* 79. 239. 246. 190. *verus amor latere non potest* 54. *malorum omnium causa ostenditur, & exemplis confirmatur* 90. 91. *vitiorum omnium pessimum ibid. ipsius effectus* 48. 92. 180. *tollit libertatem* 98. 108. *ægritudo insanabilis* 109. 194. *Deus Pacis* 114. *amoris indicia* 172. *ipsi omnia parent* 121. 135. 137. 189. *mari comparatur* 173.
Amphion 80. 474.
de B. *Andrea Avellino* 435.
de D. *Andrea Apostolo* 436.
ad *Ad Angelum Custodem hymnus* 425.
Animi æquitas servanda 10. 186. 266.
Apelles 437. 483.
Apollo 160. 212. *ad ipsum deprecatio* 83. *&* 132. *ejus*

ejus varia nomina 85. *amori fit obnoxius* 137. *ejus oraculum* noſce teipſum 420.
in *Apoſtatas* 369.
Aquæ calidæ ad Pyrenæos 473.
Arachne 261. 262.
Aragonia Joanna 502. 522. 531. 535. 536. *totius familiæ laus* 532.
Arbores variæ 16. 147.
Arionis ſtatua 5.
Arnus laudatus 7. 8. 11. 20. 27. 82. 104. 270. 317. 351. 503.
Arundo, ſive de uſu arundinis 257.
Aſtræa 158. 176. 212. 270. 467.
Aſtronomia 333. *aſtronomi, & chronologi laus* 40.
Avalus Alfonſus 243.
Avaritia 325. 447. *in avarum* 171.
Aurora 20. 42. 44. 51. 61. 64. 215. 370. 409. 433.
Auſpicium 216.
Auſtriaca Joanna 210. *Joannes* 296. *Frater Regis Hiſpaniarum* 383.

B

Babylonius ignis pueros non lædit pag. 413.
in *Bacchanales larvas* 447.
Bacchus 138. *Ariadnam aſtris inſerit* 98. *Bacchus inter epulas* 202. *ipſi indulgendum* 231. *Bacchi varia nomina, & fabuloſa generatio* 234.
Barbara Callina laudata 229.
Battiferrea Laura 498.
de *Bellis impendentibus* 26. 264. 322. 515.
Bellum deteſtabile 424. 506. *tormenta bellica militiæ gloriam obſcurant* 447.
Bellum navale contra Turcas geſtum fuſè deſcribitur 29. *&c.* 216. 223. 291. 389.

Bembus 198. 287.
Benedictus Petrus 326.
S. *Benedictus se nudum in spinas projicit* 431.
de S. *Bernardo Abbate* 433.
Bessario Nicænus Cardinalis 398.
Bessus 191.
Bolanus Brixiæ Prætor 527.
Bonamicus Lazarus 288.
Bonarota Michaël Angelus 18. 351.
Bonhomus Episcopus Vercellensis 286.
Boni quare contemnantur 78.
Boreas 300. 370. 454. 456.
Borgiæ Lucretia laudata 169. 170. 172. 174. 176. 186. 197. 198. 203. 204. *ad ipsam Genethliacon* 175.
Borsius laudatus 141. 166. 170.
Brixiæ fundator Hercules 231. 528.

C

C*Admus pag.* 231. 254. 474.
Cammillus Leonardius 209.
Campanus Martialis a morte per prodigium liberatus 347.
Campofregosus Fregosinus Comes laudatus 80. 83.
Capilupus Hippolytus 335. *Lælius* 336.
Carmina pariunt lętitiam 79. 80. *famam* 207. 312. 332. 335. 346. *belluas, & saxa trahunt* 326. 332.
Casa Joannes 288.
Castanei Henrici laus a 453. *ad* 455. *Ludovici a* 456. *ad* 463.
Castilionæus Balthassar 287.
Catilinæ facinus unde exortum 112.
Cato 231. 369. 384. *ejus dictum in belluonem* 353.

de

de *Cerasis* 12.
Cerberus 224. 332.
Chaos 227.
Charon 229. 332.
Chavvetus Marcus Præses Tolosanus 338.
Christus Jesus nascitur 162. 296. 299. 438. 510. *a regibus adoratur* 164. *a matre quæritur* 406. *inter doctores disputans reperitur* 409. 410. *patitur* 303. 426. *mortem subit, & ad inferos descendit* 165. *Cœlos ascendit* 166.
de *Christi passione epigr. plura a* 426. *ad* 429.
Cicindela, sive noctiluca 263.
Cleopatra 422. 426.
in *Codrum* 77.
in *Cœlis nobis Patria est* 88. 333.
Columna Hieronyma 226. 393. 539. 540. *Marcus Antonius* 240. 241. *Felix* 368. *Marius* 499. *familia laudata* 535.
Comparationes variæ 86. 98. 99. 100. 528. 535. 536.
Conceptio purissima B. Mariæ Virginis 437. 510.
Consolatio ad Parentes pro morte filii 86. 455. 500. *ad filiam pro morte patris* 129. *& ad filios pro morte Patris a* 463. *ad* 470.
Constantinus M. Romanorum Imperator 398. *ipsius origo, mores, & facta illustria* 399. *Romam in signo Crucis vincit, in Christi sectatores indulgens, crudelis in suos* 401. *morbo lepræ inficitur, lavacrum sanguinis pro remedio proponitur* 402. *Matrum dolor pro jugulandis filiis* 403. *ab Apostolis Petro, & Paulo in somnis admonetur* 403. 404. *a Sylvestro baptizatur* 405.
Corcyra 213.
Corsinus Hippolytus laudatus 397. *Laurentius* 448.
Cotta Joannes 287. *Bartholomæus* 421.
Creatio rerum 47.

Cremona 70. 72. 492.
Crœsus 148. 420.
in *Culicem abrumpentem somnum* 452.
Culpa eo gravior, quo dignior, qui peccat 50.
Cupido 190. 358. 373. 374. *laudutur* 227. 365. *ad Cupidinem* 13. 181. 226. 232. 237. *sauciatur* 18. 200. 244. *describitur* 92. 97. *ipsius blanditiis nemo resistit* 115. 121. 227. *in Cupidinem marmoreum dormientem* 197. 203. 204. 371.
Curæ publicæ 184. *&c. Urbanæ a* 485. *ad* 488. 489.
Cybele 261.
Cyclops Polyphemus loquitur 248. *&c.*
Cyprus capta a Turcis 214. 224. 292. 389.

D

DAnaidum supplicium pag. 333.
Dantes, a Corbinello illustratus 347.
Davidis lapsus 115. *Psalmi* 325.
Deo omnia sunt præsentia, & clare patent 67. *Deo Patri gratiarum actio pro victoria de Turcis relata* 292. *ad ipsum deprecatio* 323. 357. 509. *Dei Providentia in Eliam Prophetam* 429.
Deprecatio ad Mariam Virginem 505. *&c.* 509. 517. *ad Deum* 323. 357. 509. 517. *ad Apollinem* 83. *&c.* 132. *ad Beatos Cœlestis Aulæ Principes* 515. *ad Beatos omnes a* 517. *ad* 521.
Descriptio Sacerdotis Jovi sacrificantis 64.
Descriptio ruris amœni 7. *&* 16 105. *&c.* 296. 415. 489. 495. 541. *Senilis ætatis* 289. 374. *Poëseos* 349. *formosæ puellæ* 350. 370. Vide Puella. *Mortis* 423. *Villæ* 489. *&* 495. *&c.*
Didonis navigatio 58. 82.
in *Die commemorationis Fidelium Defunctorum* 435.

de

de *Diocletiano* 272.

Dionysius Areopag. in morte Christi demiratur 435.

Divitiæ contemnendæ 78. 93. 102. 325.

Doloris vis 2. 47. 48. 86. 125. 149 *&c.* 331. 382. 407. 438. 456.

Duces Christianorum, qui contra Turcas ad Naupactum pugnarunt 216. 389.

Duellum scacchorum 391.

Duratio rei variis modis effertur 2. 336. 524.

E

EBrietatis damna pag. 449.

Ecclesiæ supplicantis psalterium, seu cithara 509. 517.

Echo 239. 491.

Ecloga nautica, in qua Christianorum, & Turcarum navale certamen exponitur 212. *&c. ecloga item* 268.

Elias Propheta mirabiliter pascitur 429.

Elogium pro victoria de Turcis reportata 223. 291.

Enceladus Gigas 249. 256.

Epicedium Mustelæ 142. *Phylloroës* 149. *Henrici Castanei* 453. *Ludovici Castanei* 456 *&c.*

Epinicion Christiani orbis Turcarum classe ad Naupactum profligatâ 291. 223.

Epitalamium Lucretii Canoriferi Comitis, & Taddeæ Vermigenæ 211.

Epitaphium Bartholomei Rontini 23. *Benedicti Varchi* 28. *Augustini Barbadici* 38. *Mustelæ* 142. *Phylloroës* 149. *Tobiæ Veronensis* 167. *Guarini Veronensis* 168. 504. *Margaritæ Peregriniæ* 168. *Matthiæ Regis Hungariæ* 168. *Leonoræ Ferrariæ Ducis* 169. *Hippolytæ Tassonæ* 197. *Jo: Pici Mirandulani* 200. *Angeli Politiani* 200. *Pallantis*

Stro-

Strozia 266. *Pauli Barbi* 267. *Aloysii Trissini* 388, *Torquati* 397. *Francisci Oliva* 481. *Platina* 499. *Hermolai Mauroceni* 501.

Equus aneus ad Regem Hispaniarum missus 442.

Estensis familia laus 156. 158. *Isabella, Beatrix, & Alfonsus fratres* 160. *Borsius primus Ferraria Dux* 166. 170.

Ester laudata 113. 437.

Etruria antiquitas 526.

de *Eucharistia augustissimo Sacramento* 426.

Euphrasia Virginis factum 414.

Exempla congesta 86. 98. 103. 421 *amorem malorum causam ostendunt* 90. 91. 421. *feminarum inconstantiam demonstrant* 104. *femineum sexum illustrant* 113. 114. 210. *praclaros viros qui amori cesserunt, enumerant* 115. Vide Femina.

Exequiarum persolutio 224. 453.

F

Fabula de rege quadrupedum eligendo pag. 482. *de quodam nano* 487. *fabularum studium improbatur* 319.

Falconis laus 76. 77. 78.

Fama 50. 244. 329. 493. *quomodo acquiritur* 312. 439.

Farnesius Alexander Cardinalis 23.

Favor vulgi instabilis 485.

de S. *Felicitate Martyre* 431.

de *Femina, qua viva sepulta est* 195.

Femineus sexus laudatus 113.

Femina raro fida, & constantes 104. 192. 193. 232. *feminarum illustrium laudatio* 113. 114. 210. *femina malorum causa* 90. 91. 421. 422.

Ferraria laudata 128.

Fer-

Ferrum propter uſum deteſtabile 424.
in *Feſto omnium Sanctorum* 435.
Florentia laudata 11. 146. *Templum Marti ſacrum D. Jo: Baptiſtæ dicatur* 439.
Flores varii 9. 10. 25. 272. 359. 378. 416. 541. *ad flores* 236.
Flumina varia 295. 380. 460. 461.
Fons laudatus 10. 16. 22. 328. 340. 415. 541.
Fontes Florentiæ ex apro æneo, & duobus monſtris marinis emanantes 442.
Fortunæ vices 67. 68. 73. 77. 78. 81. 142. 347.
de S-*Franciſco Stigmatibus ſignato* 434.
Funerea pompa 453.

G

GAlatea pag. 253.
Ganymedes 22. 323. 483.
Gemmarum ſpecies variæ 360.
Genebrardus Theologus 318.
Genethliacon pro Natali Alfonſi Principis Eſtenſis 157. *in Nativitate Chriſti Domini* 162. 296. 299. *ad Lucretiam Borgiam* 175. *de natali Dominæ* 140. 187. *pro filio Veſpaſiani Gonzagæ* 277. *Pauli Toſcani* 381. *Lucioli* 382. *Æmilioli Meliſſi* 475.
Gigantes 256. 249. *Cœlo dejecti* 269.
Gonzaga Ferdinandus 11. 12. 13. 19. *Franciſcus* 76. 156. *Veſpaſianus* 277. 279. *ægrotat* 281.
ad *Gonzagam Sigiſmundum, ut amorem fugiat adhortatio* 89. *&c.*
Græcorum certamina 26.
Grotius 474.
Gruterus Janus de antiquis inſcriptionibus 474.
Guarinus Veronenſis 168. 504.
Guicciardinus Hieronymus 268.

Har-

H

Harpyiæ monstrum quid exprimat pag. 440.
Heinsius Daniel 473.
Helenæ raptus 42. 421. *ejus laus a genere, & pulchritudine* 44. 45. 46. 145. 210. *ejus officia, & studium in Paridem* 54. *&c. fugam cum Paride molitur* 57. Vide Paridis.
Hellespontus unde dictus 81. 181.
in *Helluonem* 200. 352. 367.
Henricus III. Gallorum Rex a Sarmatia rediturus expetitur 303.
Hercules 81. 86. 112. 116. 137. 339.
Hermus 191.
Herodes Infantes occidi jubet 164. 438. *Jo: Baptistæ caput amputat* 422. 433.
de *Hippolyta, & Callimacho* 196.
Hippolytus a Diana liberatus 22.
Hirundo ingrati hominis symbolum 448.
Homerus 466.
Homo in adversis probatur 283.
Hortus laudatus 8. 9. 25. 27. 415. 416.
Hortus Hesperidum 40. 416. 532.
Humiliter de seipso sentiendum 420.
Hymnus in Christi natalem diem 296. & 299. *ad Angelum custodem* 425. *ad Mariam Virginem* 509. *&c.*

I

Jacobus Aretinus laudatus pag. 538.
Jacob 339.
Jacobillus Federicus Historicus 441.
Jacominius Antonius 348.

Janus

Janus 70. 242.
Jason 82. 110. 155.
Imago puellæ 375. *marmorea* 206. 207. 208. *Gerardi Vaxis male picta* 352.
Infans a lupo invasus 77.
Inferorum monstra 165. 186. 224. 333.
Infirmus queritur 470.
Ingenia hominum varia 109.
SS. *Innocentium martyrium* 438. 518.
Innocentius X. Pont. Max. 443.
Insomnia quietem turbant 120. 153. Vide somnium.
Inscriptiones antiquæ Jani Gruteri 474.
in *Invidum* 134.
Invocatio ad musam 42. 212. 223. 398. 465.
de D. *Joanne Baptista* 433. *ejus Templum Florentiæ* 439.
Joanna Austriaca 210. *Aragonia* 502. 522. *a* 531. *ad* 537.
Jocus 364. 368. 381. 384. 451. 452.
de S. *Josepho, atque Joanne Evangelista* 431.
Jovius Benedictus 480.
Iris signum federis 443.
Italiæ clades imminentes 264. Vide Bellum. *Italia sacra Ferdinandi Ughelli* 419.
Judith laudata 113.
Jugurta Numidarum Regis verba de urbe Roma 445.
Julius III. Pont. Max. 26.
Juno 98. 102. 535.
Juppiter 22. 65. 101. 160. *in Taurum versus* 137. 145. 237. *varias formas induit* 208.
Juvenes bonis studiis sunt informandi 326.
Ixion 333.

L

Lacrimæ B. Mariæ Virginis quærentis Puerum Jesum pag. 406.
Lamentatio in morte amicæ 149. 238. *Matris in morte filiæ* 266.
de *Laocoonte* 196. 244.
in *Latronis verba:* Memento mei dum veneris in regnum tuum 428.
de S. *Laurentio Martyre* 433.
Laus Oratoris 15. 23. 28. *Pictoris* 18. 19. 75. 126. 351. 362. *Medici* 20. 23. 83. 286. 311. 350. 384. *Poëtæ* Vide Poëta. *Theologi* 319. 321. *Episcopi* 373. 445. 446. *Mathematici* 347.
Laus Cosmi Medices; Vide Medices. *Benedicti Accolti* 15. 21. *Antonii Allegretti* 15. *Bonarotæ* 18. *Juliæ Romanæ* 18. *Pauli Jovii* 19. 22. 24. *Alexandri Farnesii Cardinalis* 23. *Andreæ Angulii* 23. *Ludovici Ariosti* 24. *Caroli Cæsaris Augusti* 26. *Benedicti Varchi* 28. *Petri Victorii* 28. *Sfortiæ familiæ* 70. 71. *Falconis protonotarii* 76. 77. 78. *Joviani Pontani* 79. *Campofregosi* 80 & *Caroli Sabadini adolescentis* 86. 87. *Puellæ pulchritudine, ac virtute ornatæ* 95. 96. 98. 100. 101. 102. 145. 226. 229. 308. 349. 393. 534. *Jani Pannonii* 107. 108. *feminarum illustrium* 113. 283. 308. 313. 522. 534. *Borsii* 141. *Vespasiani Gonzagæ* 278. 281. *Prosperi Vicecomitis* 285. 289. *Amalthei Hieronymi* 286. *Marii Molsæ* 286. *Petri Bembi* 287. *Antonii Tebaldei, Antonii Marii, Lazari Bonamici, Joannis Casæ* 288. *Henrici III. Gallorum Regis* 303. *Catharinæ matris Regis Christianissimi* 283. & 313. *Genebrardi* 318. *Levatii* 320. *Gerardi Vaxis* 321. 324. 326. *Joannis Poterii* 232. 336. 348. *Petri*

tri Benedicti 326. *Fracastorii, Politiani, & Sadoleti* 334. *Joannis Aurati* 343. *M. Antonii Mureti* 344. *Antonii Jacomini, & Dati* 348. *Vigoræi Archiepiscopi Narbonensis* 373. *Henrici Valesii* 377. *Strozziorum Alexandri, & Petri* 417. *Petri Niccolini* 445. *Henrici Castanei a* 453. *ad* 455. *Ludovici Castanei a* 456. *ad* 463. *Puteani Claudii a* 463. *ad* 470. *M. Antonii Mulæ* 500. *Joannæ Aragoniæ*, Vide Aragonia. *Hieronymæ Columnæ*, Vide Columna.

de *Leandro, & Erone* 4.

Leo Aretinus sculptor eximius 480.

Leonellus Ferrariæ Princeps 171.

de *Lepore Dominæ fugitivo* 118.

Libertas arbitrii hominibus inest 66.

Lictores cur duodecim Romanos Consules præirent 444.

Lovatius Theologus 320. 321.

Lucerna dono data 255.

Lucretia Romana 210. 349. 360. 413. 534.

Lucullus Romanus Dux 12.

Ludorum varia genera 53. 97. 156. 243.

Lutetia 465.

Luxuriæ damna exemplis ostenduntur 421 422.

de *Lyside a filio occisa* 170.

M

MAcra fluvius pag. 495.

Mantua 492.

Manutius Paulus 335.

Maria Virgo immaculata concipitur 437. 510. *nascitur* 433. *annuntiatur ab Angelo* 298. *parit ibid. ejus lacrimæ dum quæreret Puerum Jesum* 406. *inter doctores disputantem reperit* 409. 410. *in Cœlos assumitur* 505. *ad ipsam deprecatio* 505. 509. 517.

de S. *Maria Magdalena* 432.
Maris tranquillitas 58. 122. *procella*, Vide Tempeſtas.
Marius Antonius 288.
de S. *Matthæo Apoſtolo* 434.
Mathildis nobilis feminæ laudes 213.
Maurocœnus Hieronymus Brixiæ Præfectus 528.
ad *Maximilianum Cæſarem* 206.
Maximianus Imperator ſuperbus 400.
Medices Coſmus 8. 11. 18. 20. 25. 39. *Auguſto comparatur* 25. *laudatur* 39. 269. 270. 315. 317. *Cæcilia* 307. & 349. 377. *Laurentius* 315. *Joannes Cardinalis* 522. *Hippolytus Card.* 20. 21. *Joannes Medices & Aloyſius Gonzaga* 11. 13. 19.
Meduſa 205. 244. 256.
Meliſſus Paulus 470. 472. *Æmilioli Genethliacon* 475.
Melpomene 465. 469.
Menelaus Trojanos honorifice in Regiam excipit 45.
Mercurius 497.
Mincius Fluvius 80. 82. 349. 490.
Mirandula Joannes Picus 9. 206. 241.
Mors inexorabilis 312. 323. 326. 332. 423. *ipſius figura allegorica* 423.
in *Morte Coſmi Medices Magni Etruriæ Ducis* 6. 268. *Joannis Medices, & Aloyſii Gonzagæ* 11. *item* 13. *Benedicti Varchi* 28. *Auguſtini Barbadici* 38. *Caroli Sabadini Argentei* 86. &c. *Principis occiſi queritur conjux* 125. *Muſtelæ* 142. *in morte amicæ epicedion* 149. *Hippolytæ Taſſonæ* 203. *Lauræ Puellæ* 238. *Annæ uxoris Veſpaſiani Gonzagæ* 279. *Aloyſiii Triſſini* 388. *Alexandri, & Petri Strozziorum fratrum* 417. *Æſchyli Poëtæ* 444. *Henrici, & Ludovici Caſtanei* 453. 456. *Claudii Puteani* 463. *Joannis Medices Cardinalis* 522.
in *Morte Amicæ lamentatio* 149. &c. *in morte filiæ* 266.

Moy-

Moyses 319.
Mula Marcus Antonius 500. 501.
Mulier, Vide Femina: *ornata non fit pulchrior* 448.
Munus rusticum 5. 254.
Muretus M. Antonius 344.
Musæ 308. Vide Invocatio.
Mustelæ Epicedion 142.

N

NAnus homo in gigantem crescere postulat pag. 487.
Narcissus 3.
de *Natali Anthiæ* 140. *Cynthiæ* 187. *Artemidis* 363. *Magni Etruriæ Principis* 443. *Æmilioli Melissi* 475. *Christi Domini* 162. 296. 299. 438. *B. Mariæ Virginis* 433.
Natura mirabilis in suis operibus 263. 420.
Navigatio 122.
Naupactus sinus in quo contra Turcas pugnatum est. Vide Bellum.
Neapolis laudata 532.
Neptunus 284. 295.
Nereidum nomina varia 122. 230.
Niccolinus Petrus Archiepiscopus Florentinus 445.
Nilus Fluvius 176. 186. 189. 409. 540.
Niobes statua 5. 125. 151.
Noctua prudentiæ symbolum 449.
Nox describitur 59. 62. 63. 105. 215.
Nox in qua Christus Jesus natus est 162. 300.
Numa Pompilius 115. 412.
Nympha in arundinem versa 3.

O

in *OLorem Melissi poëtæ pag.* 472.
Opes & divitiæ oneri sunt, non levamini, atque ideo contemnendæ 93.

Oraculum Jovis a Proteo editum 65. 66. *Trojæ excidium prænuntiatur* 67. *Oraculum Apollinis* nosce teipsum 420.
Oratio Imperatoris ad milites 35. 43. 219.
Orator Argivus illuditur 384. Vide laus Oratoris.
Orpheus 80. 135. 152. *feras trahit* 326. 332.

P

PAcis effectus pag. 179. 314. 527. *pacis amor* 378. 444.
Pactolus 192.
Padua Laudata 138.
Padus Fluvius 83. 285. *frigore concrescit* 169.
Pæan pro victoria ad Naupactum relata 223. 291.
Pallas 212. 257. 262.
in *Pamphilium saxum* 77.
in *Pana*, *&* *Amorem certantes* 195. *Pan* 254. *Panis ad fugientem nympham deprecatio* 2.
Paphnutius martyr in palma confixus 434.
Paradisus terrestris 297.
Parcæ 205. 270. 312. 317. 326. 332. 351 381.
Paridis in Græciam expeditio 42. *ejus oratio ad milites* 43. 44. *Menelaum Regem adloquitur* 52. *Lacedæmone moratur* 53. *fugiens Helenam secum ducit* 57. 79. *Protea supplex affatur* 62. *expeditionis causas refert* 63. *benigne excipitur* 63.
Paris judex Pulchritudinis 98. 257.
Parodia, *ex Catullo* 380.
de *Passione Christi Domini ad* 426. *usque ad* 429.
Pastorum cura, *&* *occupationes* 253.
de D. *Paulo Eremita*, *&* *Antonio* 430.
Peccatum malorum causa 297. 301.
Penelope exemplar constantiæ 104. 145. 156. 385. 534.
Pericles 205.

Perillus Tauri Phalaridis inventor 416.
Persei statua ænea 27. *ejus virtus* 79.
de S. *Philippo Nerio* 432.
Philomela 331. 415. *Laudatur* 144.
Philoponorum Academia Faventiæ 440.
Phylloroës epicedium 149.
Phœbus 11. 12. 22. 64. 82. 116. 146. 162. 210. 373. *ad ipsum deprecatio* 83. *fusè laudatur* 84. & *ipsius varia nomina ibid.*
Pictores 148. 483.
Pindari versio ab Alexandro Adimario peracta 503. 525.
ad *Pisanum Pictorem, statuariumque summum* 126.
Pius V. Pont. Max 225.
Plato amori obnoxius 115.
Platina 499.
Pœna tardior sæpe gravior 66.
Poësis sub specie Puellæ venustissimæ 340. *ejus studium difficile* 385. *dicto vale salutatur* 386.
Poëta 24. 28. 79. 80. 108. 135. 167. 286. 287. 288. 322. 329. 334. 341. 361. 384. 458. 470. 501. 522.
in *Poëtam, qui Virgilium emendare ausus fuerat* 198. *item in Poëtam* 285. 356. 357. 362. 364. 366. 381. 385.
Pontanus Jovianus laudatus 79.
Populorum enumeratio 540.
Poterius Joannes 324. 382.
Præsepe describitur, in quo Christus natus est 163.
Principis optimi institutio 278. 450. 458. *à* 465. *usque ad* 470.
de *Procri, & Cephalo* 4.
Prometheus 181. 186. 333. 471.
Proserpina 227. *rapitur* 228. 263.
Proteus 61. 62. 65. &c.
Psalterium Ecclesiæ supplicantis 509. 517.

Psittaci laus 452. *amicam defunctam vocat* 154. *de Psittaco, & Scopelo* 354.
Pudicitiæ exempla a 412. *usque ad* 417.
Pugna Naupactiea 36. 215. 389. *Turcæ profligati* 291. *&c.*
Puella pulchra sed dura 1. 5. 13. 126. 133. 180. 227. 233. 276. 355. 374. *oculis enecans* 24. 102. 148. 235. 354. 366. 370. 379. *in florem versa* 17. *Pulchra* 17. 25. 46. 94. 95. *&c.* 10. 98. 102. 144. 145. *&c.* 187. 195. 204. 226. 240. 350. 363. 377. *a* 531. *ad* 537. 540. *infida* 104. 191. 192. 193. 196. 232. *ingrata* 193. *amanti cor rapit* 202. *absens* 273. *&c.*
Pulchritudo Juvenis 86. 407. *Puellæ*. Vide Puella.
Pythagoras esum carnis interdicit quare 439.

Q

QUæstiones physicæ, seu naturales pag. 47. 420. in *Quemdam dentibus omnibus destitutum* 203. *splendidas vestes induentem* 361. *in quemdam, cui uxor garrula* 362. *in malitiosum; & improbum virum imitatio ex Catullo* 380. *in deformem nasum* 451.
Quies animi ubi reperitur 489. *urbanis honoribus præferenda* 493.

R

RAbatta Vincentius Archiepiscopus Theatinus pag. 445.
Radagasus Getarum Rex occisus 211.
de *Raptu Helenæ* 42. *&c. libri tres*. Vide Paridis.
Reges Arabum Christum adorant 164.
Regina Christianissimi Regis Mater laudata 283. *Galliæ pacatrix* 313. *&c.*

Rerum humanarum vicissitudines 86. 306.
Rhoaldus 338.
Roma 21. 23. 26. 67. 68. 70. 92. 176. 265. 368. 400. 459. 526.
Romanorum futura virtus, & gloria prænuntiatur 67. 68. 76. *Romani Imperatoris electio ad quos spectet* 68.
Romulus 176.
Rontinus Bartholomæus 20. 23.
Rosa laudata 171. 202.
Rubio Viventius medicus 310. 384.
Ruris laudes 6. *&c.* 16. 25. 27. *a* 488. *ad* 492. 493. 495.

S

SAcerdos Jovi sacra faciens describitur pag. 64.
Sanctorum omnium festum 435. *ad ipsos deprecatio a* 517. *ad* 521.
Scacchorum duellum 391.
Sculptores 147. 207. 442. 480.
Sculptura 206.
Scylla, & Charybdis 31.
Segnius Fabius Villam instaurat 27.
Senectutis descriptio 289. *&c.* 374. 497.
Septimianum rus laudatum 7. 25. 27.
Sicci Nicolai virtus 493. 494.
Sfortiæ familiæ laus 70. *&c.*
Signa Cœlestia, atque illorum adspectus 158.
Similitudo scopuli 2. *cervæ fugacis* 13. *floris tabescentis* 14. 101. 266. *solis occidui* 24. *Matris dolentis* 47. *venatoris* 50. *viatoris* 51. *Mercatoris* 53. *sagittæ, alitis, & fulminis* 60. *adamantis, & navis* 81. *nubium* 89. 266. 370. 410. *equi indomiti* 98. *infirmorum* 109. *tempestatis ibid. floris* 277. *solis vitrum transeuntis* 298. *Boreæ* 300. 370.

370. 454. 456. *Tigris catulorum raptorem insequentis* 311. *Vasis recentis* 326. *avis palustris* 327. *Fluvii, & fontis* 328. *nivis* 370. *lolii* 401. 402.

Simois Fluvius 258.

Sisyphus 186. 333.

Sol occiduus 62. 157. *Sol oriens* 122. 136. 140. 177. 243. 284. 293. 505.

Somnium describitur 42. 122. 132. 153. 340.

Somnus artus occupat 69. 340.

Spiritus corpore discessurus 290. 291. 332.

Statua ænea Philippi Regis 480.

Strozziorum Alexandri, & Petri fratruum laus 417. *Roberti Episcopi Fesulani* 446.

Sylva 340.

T

Tabulæ Eugubii in Theatro Fanensi repertæ pag. 525.

Tacchæ Sculptoris opus ad Regem Hispaniarum missum 442.

Tagus aurifer 161. 295.

Taygetus Jo. Antonius 530.

Tantalus 186. 333.

Tempestas in mari 123. 159. 284. 368. 459. 484. *in aëre* 268.

Tempe Thessaliæ locus amœnus 416.

Templum Honoris Romæ quomodo constructum 439. *Templum Apollini sacrum* 522. *Templum S. Joannis Baptistæ Florentiæ* 439. *in Templi detractorem* 542.

Tempus quanti æstimandum 78.

in *Terris locum permanentem non habemus* 87. & *ideo posthabitis fluxilibus rebus ad æterna debemus contendere* 88.

Themis Dea 467.

Theologiæ studium commendatum 319. 320. 321.

The-

Theseus 132. 155.
Thetis 176.
de D. *Thoma Aquinate* 430. *Apostolo incredulo* 437.
Tibris fluvius 11. 12. 16. 23. 67. 401. *inundat* 22.
Ticinum 71.
de SS. *Timotheo*, & *Maura conjuge simul cruci affixis* 431.
Titianus Pictor 75.
Tobias Veronensis 167.
Tolsa Balthaßar Mathematicus 347.
Tolosa laudata 338.
Tormenta Christi Domini 303. *a* 426. *ad* 429.
Toscanus Laurentius 325. 344. *Paulus* 342. *Cæsar* 346.
Triumphus 224. 225.
Troja diruta 258. 421.
Trojani excidii præsagium 67. & *in Italiam post longos errores navigatio ibid.* & 258.
Tumulus Ginevræ Castellæ 173. *Jo. Pici Mirandulæ* 241. *Marulli in amne demersi* 245. *Lascaris*, *Herculis Strozæ*, *Guidi Posthumi*, *Matthiæ Corvini ibid.* *Hesychii Epicurei* 359. *coqui* 361. *Thaddæi Zuccheri pictoris* 362. *Laurentii Toscani* 364. *Monsalei* 368. *Adolescentis virtute insignis* 370. *Puellæ* 375. *Aloysii Trissini* 3. 88. *Hippolytæ Balionæ* & *Petri Ricobuldi* 390. *Guarini* 168. 504.
Turnebus Adrianus 331.
Turcarum classis a Christianis victa 29. & 215. & 228. *Contra Selimum* 73. *ipsorum navale certamen* 212. 291. &c.

V

Vale dictum studiis poëticis pag. 387.
Valesius Henricus Poloniæ Rex designatus 377. *frater Regis Gallorum* 383.

Vaticinatur Proteus 68. *vaticinium* 73. 265.
Vaxis Gerardus 231. 324. 327. & 351. 360. *ad ipsum adhortatio ut Davidicos Psalmos carmine exprimendos suscipiat* 325. *memoriæ vis singularis* 360. *ejus discessus* 382.
Venetiarum Urbs 73. 216. 225. 265.
Venus 17. 24. 44. 50. 66. 77. 98. 102. 132. 147. 182. 203. 211. 236. 350. *ab Apelle picta* 437.
Veris descriptio 97. 140. 233. 305. 378. 379.
Versio Pindari per Adimarium facta 503. 525.
Vestales Virgines 412.
Vestis mira arte laborata laudatur 181. &c.
Ugbellius Ferdinandus 419.
Vices rerum 87. 131.
S. *Victoria Martyr* 438.
Victoria statua icta fulmine 21. *Victoria de Turcis relata* 29. &c. 389. 215. 479. *pro victoria Naupactea Pæan, seu elogium* 223. 291. &c.
Victorius Petrus 28.
Vidaschus Josippus laudatus 495.
Villa describitur 489. &c. 495.
ad *Vindictam cohortatio* 44.
Violæ ab amica missæ 235.
Vir bonus contemnitur cur? 78.
Virgilius 362. 363.
Virginis pudicitia 349. 412. *commendatur* 411. *apibus comparatur* 412.
Virtus bellica 11. 14. 30. 69. 71. 216. & 224. & 278. 281. 285. 304. 383. 454. 457.
Virtus 347. 439. 458. *sibi pretium est* 77. 78. *virtutis, & fortunæ discrimen ibid. virtus in adversis probatur* 80. 81. 283. *fortunam calcat* 82. *virtutis locus* 333.
Vita hominum brevis 78. 267. 312. 446.
Ulysses 248. 251. 252. 534.
Umbria Sanctis pluribus clara 441.

Vo-

Volucres 7. 78.
Urbana incommoda ex nimio luxu 486.

X

XAnthus pag. 258.
Xenocrates passerem ab accipitre defendit 450.
Xenophon 131. 446.
Xerses 73. 120. 295. 422.

Z

ZEphyrus 24. 27. 58. 301. 305. 321. 340. 377. 415.
Zeuxis 126. 147. 448. 535.

Pag.	v.	ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 1.	v. 1.	tutel,	tutela,
	v. 8.	ferus,	fœtus,
24.	v. 30.	luvere	ludere
36.	v. 29.	plumbes,	plumbeis,
43.	v. 1.	habes,	hebes,
	v. 11.	jacenda	jacienda
	v. 17.	lempus ſermoae	tempus ſermone
	v. 37.	calpeque	culpæque
78.	v. 1.	fatis	ſatis
80.	v. 23.	recepium	receptum
84.	v. 23.	foror	ſoror
102.	v. 3.	O niveas	O niveos
116.	v. 8.	amas?	amans?
118.	v. 21.	ſollicitare	ſollicitate
141.	v. 12.	clamoſa	clamoſo
162.	v. 14.	tantam	tantum
165.	v. 13.	Tartareis	Tartareus
184.	v 21.	putas	puras
204.	v. 28.	oculis	oculos
223.	v. 29.	cremenda	cremanda
232.	v. 24.	quærat?	querat
244.	v. 3.	Ea	Et
254.	v. 7.	miror	minor
263.	v. 30.	ferti,	ferri,
346.	v. 6.	perrumperes	perrumpere
363.	v. 18.	promiſero	promiſere
404.	v. 23.	collaƈtis	collatis
415.	v. 33.	ſtridiore	ſtridore
416.	v. ult.	couſillo	conſilio
435.	v. 28.	ducet.	docet.
450.	v. 14.	ferat	feræ
465.	v. 13.	harct;	hæret;
503.	v. 7.	Ia	In
508.	v. 5.	bellia?	bella?
128.	v. 17.	ſiedera	ſidera

Date Due

Form 335—40M—6-39—S

851.08 B751C v.9 376492

Bottari

Carmina

DATE	ISSUED TO

851.08 B751C v.9 376492